BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
15 B
11

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

28
D
5

28 D 6

Digitized by Google

DE ORDINATIONE CLERICORVM TRACTATVS.

Auctore.

SILVIO TINTO V.I.D.

A SANCTO SEVERINO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



SOC. IESV. BIBL. SEC. COLL. ROM.

ROMAE,

Expenſis Io. Angeli Ruffinelli, Typis Aloyſij Zanetti.

M D C I.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTR.^{MO} ET REV.^{MO} D.D.

LVDOVICO DE TORRES

ARCHIEPISCOPO MONTISREGALIS

PATRONO OPTIMO

SILVIVS TINTVS.

CVM optimi Seminarij tui alumni, Pręſul Ampliſsime, opuſculum à me de iuris facultate conſcriptum, in eam redegerint methodum, qua id nomini tuo dedicarunt, eo me obligationis vinculo deuinxerunt, vt aliquam erga illos beneuolentiæ ſignificationem, ſine magna

¶ 2 ingra-

Digitized by Google

ingrati animi nota, prætermittere non poſſe videar. Cumq. hac de re mecum ſæpiſsime quærerem, cognoui nullam eſſe rem, quæ maiorem illis fructum poſſet afferre, quam ſi aliquod illorum ordine, atque inſtituto dignum, quod ipſi maxime profitentur, emitterem: vt proprium Eccleſiaſtici ordinis gradum, ſublimemque, ad quam aſpirant Sacerdotij dignitatem percipientes, ea, quæ inſtituti ſui eſſe nouerint, peragant, & quoad fieri poſsit, perficiant. Atque illud me maxime ad onus hoc ſubeundum coegit, quod non tam abunde, & copioſe, ut res poſtulat, de Sacramento Ordinis, cum magni ſit ponderis, & vtilitatis, quam de Sacramentis alijs à Doctoribus, etſi clariſsimis actum eſſe perſpexerim. Non tamen inficiabor multa à me ſcripta, atque explicata, quæ ab eiſdem Doctoribus eleganter, accuratèque diſputantur; ſi quis tamen plenius introſpiciat, nouas rationes denuo additas, nouas etiam quæſtiones ab illis potius ſignificatas, quam deciſas inueniet. Quare confido, tractatum hunc ex animi mei ſententia, doctrinæ, & morum vtilitati, cuius rationem ſemper habui, inſeruitu-

uirtutum. Vnum ſolummodo eſt, in quo non nihil offenderer, quod cum hac de re tenui quodam dicendi ſtylo, omni eruditionis genere prætermiſſo, & ſcholaſtice, vt dicitur, diſſeruerim, ut ita planius, & facilius quod ageretur, omnes intelligerent; incultum tibi opus hoc, omnibusq. verborum ornamentis expers, videri poterit; cui ab ipſa quaſi natura tributum eſt, his tantum auctoribus delectari, qui magnam ſibi in litteris celebritatem nominis, atq. auctoritatem compararunt. Sed quomodocumque res ſe habeat, cum hoc deuoti tibi animi mei ſit munuſculum, volui, ut in tuo tantum nomine appareret, cuius ditioni non ſolum mea omnia, ſed etiam ipſummet, quod inſumo, tempus, & quidquid in illo agitur, iure optimo ſubijcitur. Accipe igitur noſtrum hoc grati animi monumentum, placeat hoc obſeruantiæ teſtimonium, & ſi pro meritorum tuorum magnitudine perexiguum; quod ſi aſſequar, ad opuſculum aliud de dignitate, ac de priuilegijs Clericorum inſcriptum, hoc longe utilius, quam primum, tibi ſimiliter dedicandum, fiam promptior; in quo etiam appoſite quæſtio-

nem illam inſerui, an ſcilicet Summus Pontifex temporalem etiam in totum terrarum orbem iuriſdictionem habeat, quam diebus hiſce præteritis diſcutiendam ſuſcepi; nec non illud offeram, quod de virtute, & ſanctitate Clericorum inſcripſi, quæ omnia inchoata mihi ſunt, & ad perficienda quamprimum omni ſtudio, induſtriaque contendo. Illud poſtremo abs te peram, vt non munus ipſum, ſed propenſum in te animum præcipue, & ſtudium offerentis accipias, meque tua benignitate, & gratia proſequaris. Vale.

Digitized by Google

Imprimatur.

P. Epiſcopus Iſernienſis Viceſg.

Imprimatur.

F.Paulus de Francis de Neap. Lector, & ſocius Reuerendiſſ.P.M.Sacri Palatij.

Digitized by Google

DE ORDINATIONE CLERICORVM

QVÆSTIONVM & Articulorum

INDEX

DE nominis etymologia, & unde dicantur Clerici, quæſtiones tres.

Quæſtio prima.

An Clerici à ſorte dicantur, in duos articulos diuiſa.

1 *An Clerici ſint ſorte electi, vel ſorte eligi poſſint.*
2 *An Clerici ſint de ſorte* Domini.

Quæſtio ſecunda.

An Clerici à parte dicantur.

Quæſtio tertia.

An Clerici dicantur ab hereditate, in unum articulum redacta.

De difinitione re, quid ſit clericus, quæſtiones quinque.

Quæſtio quarta.

Vtrum quælibet perſona ſit ordinis, & Clericalis dignitatis capax decem, & octo articulis comprehenſa.

1 *Vtrum femina capax ſit ordinis, & dignitatem Clericalem ſuſcipere valeat.*
2 *Vtrum hermaphroditus ſit ordinis capax.*
3 *Vtrum gentiles, pagani, iudæi, & non Baptizati ſi ad ſacramentum ordinis accedant, illud ſuſcipiant.*
4 *Vtrum abnegantes fidem, paganorumq́; ſectatores accedêtes, ſuſcipiant Sacramentum ordinis.*
5 *Vtrum hæretici, & excommunicati ſi accedant ad ſacramentum ordinis*

dinis illud recipiant.

6 *Vtrum catechumeni ſint capaces ordinis.*

7 *Vtrum neophyti ſuſcipiant characterem ordinis.*

8 *Vtrum non confirmati ordinis ſacramentum ſuſcipiant.*

9 *Vtrum irregulares ſint ordinis capaces.*

10 *Vtrum peccato obnoxius ordines ſuſcipere valeat.*

11 *Vtrum furioſi ſint ordinis capaces.*

12 *Vtrum pueri, & legitimam ætatem non habentes ordines ſuſcipere valeant.*

13 *Vtrum corpore vitiati ſint capaces ordinis.*

14 *Vtrum pauperes ordinari valeant.*

15 *Vtrum perſonæ viles, & ignobiles, ſeu viles, & ignobiles artes exercentes valeant ad Clericatum aſſumi.*

16 *Vtrum filij ex delicto parentum, vel illegitimi valeant ordinari.*

17 *Vtrum ſerui valeant ordinari.*

18 *Vtrum illiterati ſuſcipiant ordinem.*

Quæſtio quinta.

An ordo ſit neceſſarius, ut quis ſit Clericus, & ſine quo non, in decem, & octo articulos diſtincta.

1 *Vtrum ſacramentum ordinis recte, vocetur ordo.*

2 *Vtrum in Eccleſia recte ponatur ordo.*

3 *Vtrum ordo ſit ſacramentum.*

4 *Vtrum verborum formula in ſacramento ordinis ſit congruenter aſſignata pro forma huius ſacramenti?*

5 *Vtrum materia ſit bene aſſignata in ſacramento ordinis.*

6 *Vtrum in ſacramento ordinis imprimatur character.*

7 *Vtrum character imprimatur in anima.*

8 *Vtrum character ſubijciatur animæ, vt ſuo ſubiecto, aut aliqua animæ potentia ſit ſubiectum eius, non anima, vel eius eſſentia.*

9 *Vtrum character ſit indelebilis.*

10 *Vtrum character in tribus tantum ſacris ordinibus imprimatur, an etiam in alijs.*

11 *Vtrum in ſacramento ordinis conferatur gratia gratumfaciens.*

12 *Vtrum in omnibus ordinibus unus, vel plures, ac diuerſi characteres imprimantur.*

13 *Vtrum ordo debeat in plures diſtingui.*

14 *Vtrum ſint ſeptem ordines, an plures, vel pauciores.*

15 *Vtrum minores ordines recte dicantur non ſacri.*

16 *Vtrum quis poſſit ordinari ad aliquem ordinem ſuperiorem, ſine inferiori, & character vnus alterum de neceſſitate ſupponat.*

17 *Vtrum prima tonſura ſit ordo.*

18 *Vtrum Epiſcopatus ſit ordo.*

Quæ-

Quæſtio ſexta.

De poteſtate, & ſolemnitatibus ſacramenti ordinis in duos articulos diuiſa.

1 *Vtrum alij quàm Epiſcopi ordines conferre valeant.*
2 *Vtrum hæretici, ſchiſmatici, excommunicati, & alij quouis modo ab Eccleſia præciſi ordinare tentantes, ordines conferant.*

Quæſtio ſeptima.

De actibus, qui in ordinatione intereſſe debent, decem, & quinque articulis comprehenſa.

1 *Vtrum benedictio requiratur de ſubſtantia ordinationis.*
2 *Vtrum unctio ſit actus ſubſtantialis.*
3 *Vtrum manus impoſitio ſit de eſſentia ordinationis.*
4 *Vtrum calicis traditio cum patena ſit actus ſubſtantialis in ordinis ſacramento, nimirum in ſacerdotio.*
5 *Vtrum actus tradendi librum euãgeliorum ſit ſubſtantialis in diaconi ordinatione.*
6 *Vtrum actus porrigendi calicem, & patenam ſit de eſſentia in ordinatione ſubdiaconi.*
7 *Vtrum porrectione vrceoli cum vino, & aqua imprimatur character, ita ut ſit actus ſubſtantialis.*
8 *Vtrum traditio libri exorciſmorum ſit ſubſtantialis, ita vt in ea imprimatur character.*
9 *Vtrum traditio codicis diuinarum ſcripturarum ſit actus ſubſtantialis, per quem character imprimatur.*
10 *Vtrum actus tradendi claues, ſit ſubſtãtialis, itaut in eo character imprimatur.*
11 *Vtrum materia ſubſtantialis porrigi debeat per manus Epiſcopi.*
12 *Vtrum ſit de ſubſtãtia ſacramenti, vt corporaliter tangatur materia à ſuſcipiente.*
13 *Vtrum ſi aliquid ex requiſitis omittatur, tota ordinatio vitietur.*
14 *Vtrum ſi porrigatur codex utriuſque teſtamenti, veteris, & noui, vel ſi ſacerdos vngatur chriſmate, diaconus iterum ordinari, & ſacerdos vngi debeat.*
15 *Vtrum unctus in una manu debeat ſuppleri unctio in alia, vel iterari.*

Quæſtio octaua, & ultima.

An aliqua ſollemnitas reperiatur neceſſaria, ſine qua nulla Clericatus ordinatio fieret, ſexdecim articulis compræhenſa.

1 *Vtrum requiratur intentio miniſtri ordinantis.*

2 *Vtrum requiratur intentio recta in miniſtro.*
3 *Vtrum hæc intentio miniſtri requiſita de ſubſtantia ſacramenti debeat eſſe mentalis, interiorem ſacramenti actum reſpiciens, an vero ſimplex actum exteriorem attendens.*
4 *Vtrum ſit neceſſaria actualis intentio, vel virtualis, vel habitualis.*
5 *Vtrum requiratur intentio ſuſcipientis.*
6 *Vtrum in ordinum collatione, miſſa celebratio ſit neceſſaria.*
7 *Vtrum plures Epiſcopi poſſint ſimul ordinare.*
8 *Vtrum ieiunium requiratur, vt quis poſſit dare, vel recipere ordinem.*
9 *Vtrum plures ordines vno, & eodem die poſſint conferri,*
10 *Vtrum ordinatio poſsit eſſe ſine ſcrutinio, & examine illorum, qui ordinandi ſunt.*
11 *Vtrum ſi quis furtiuè ad ordinem accedat, ordinem, & charactèrem ſuſcipiat.*
12 *Vtrum quis poſsit in aliena diœceſi ſine litteris ſui Epiſcopi ordinari, ita ut ordinem ſuſcipiat.*
13 *Vtrum requiratur titulus, ut quis ordinē ſuſcipere valeat.*
14 *Vtrum ordinator debeat exigere votum caſtitatis, & ordinandus continentiam ſpondere.*
15 *Vtrum ordinatio celebrari poſsit quocunque tempore, etiam extra quatuor tempora, & diem ſabbathi.*
16 *Vtrum ſint conferendi ordines vbique, an verò in eccleſia cathedrali.*

Quæſtionum, & articulorum finis.

DE NOMINIS ETYMOLOGIA, ET VNDE DICANTVR CLERICI

SVMMA.

1 Definitio duplex.
2 Definitio rei definita eſſentialia demonſtrat.
3 Clerici unde dicantur.

DE, Ordinatione, & de ſtatu Clericorum tractatiõnem aggreſſurus, definitionem Clerici primò loco explicandam eſſe exiſtimaui: ut antequam argumentum hoc exordiar, quid ſit Clericus perfectè cognoſcatur. Verum, quia duplex eſt definitio, altera nominis, altera rei, hoc primo loco
1 nominis definitionem explicabo, vt præhabita
2 nominis etymologia, & ſignificatione, facilius intelligatur definitio, qua rei definiendæ eſſentialia demonſtrantur. Implorato igitur
3 diuinæ Trinitatis auxilio, dico Clericos à Græco vocabulo κλῆρος appellatos eſſe, quod ſors latinè dicitur, quaſi Domini ſors, vel de ſorte Domini Clerici ſint, vel partem Domini habeant, vel de Domini hereditate ſint. Ita auctoritate S. Iſidori expreſſum eſt can. 1. diſt. 21. & ibi gloſſ. & auctoritate S. Hieronymi idē cautum eſt can. Clericus 12. q 1. & ibi Archid. num. 1 & 18. & ibi Ioan. de Graſſ. num. 1. & 15. Franc. Arias. c. porro, de ſent. excomm. num. 31. Mant. de Conc. celeb. tom. 13. p. j. num. 23. Ex hac doctorum ſententia tres eliciuntur diſcutiendæ quæſtiones,

Prima, An a ſorte Clerici dicantur.
Secunda, An dicantur à parte.
Tertia, An ab hæreditate.

QVAESTION. I. ARTIC. I.

An Clerici à ſorte dicantur, in duos articulos diuiſa.

HAec quæſtio indiget declaratione, quia appellari à ſorte, poteſt dupliciter intelligi. Primo, quod Clerici ſint in ſortem Domini electi. Secundo, quod ſint de ſorte Domini. Igitur hæc prima quæſtio duos continet articulos diſcutiendos.

Primus, An Clerici ſint ſorte electi, vel ſorte eligi poſſint.
Secundus, An ſint de ſorte Domini.

Articulus primus.

An Clerici ſint ſorte electi, vel ſorte eligi poſſint.

S V M M A.

1 *Mathias Apoſtolus fuit ſorte electus in locum Iudæ.*
2 *Contentio inter duos de electione facienda ſorte dirimitur.*
3 *S. Auguſtinus vſus eſt ſorte.*
4 *Contentio de Papatu ſorte dirimi poteſt, & num. 15.*
5 *Diuinatio in ſcriptura in malam ſumitur partem.*
6 *S. Auguſtinus damnat conſuetudinem ſorte eligendi.*
7 *Singulare factum non facit legem communem.*
8 *In beneficialibus non datur remedium ſortis.*
9 *Sortes proijcere eſt tentare Deum.*
10 *Sortes dupliciter ſumuntur.*
11 *Sors non procedit, niſi in caſu à iure permiſſo.*
12 *Tempus poteſt conſiderari ante aduentum Spiritus ſancti, & poſt.*
13 *Sortibus uti in eccleſiaſticis negotijs, nunquam licet, in ſæcularibus verò quandoque licèt ſecundum aliquos.*
14 *Sortibus uti licet, etiam in eccleſiaſticis negotijs neceſsitate urgente.*

QVOD Clerici ſint ſorte Domini electi, vel ſorte eligi poſſint, probatur primo auctoritate ſcripturæ Act. 1. ubi in locum
1 Iudæ fuit ſorte electus Mathias, adnot. in d. can. 1. diſt. 21. & 26. q. 2. Archid. in dict. can. 1. num. 14. & 16. Io. de Graſſ.

Secundo, auctoritate S. Auguſt. in pſalm. 30. ibi, In manibus tuis ſortes meæ.

Tertio, exemplis Achan Ioſ. 7. Ionathæ 1. Reg. 14. & Ionæ, vt in eius prophetia c. 1.

Quarto, exemplo Zachariæ, qui ſorte exijt, vt incenſum poneret Luc. 1.

2 Quinto, ſi contenditur inter duos, quis prius eligere debeat, & cuius debeat eſſe electio, ſorte dirimitur, l. 2. & ibi Bart. num. 5. C. quando, & quibus quarta pars debeatur. lib. 10. Bald. & Alex. in l. ſi duob. C. comm. de leg. canoniſtæ in c. ſi & ibi Abb. extra de ſort.

Sexto, Prouerb. 18. ibi, Contradictiones comprimit ſors, igitur.

3 Septimo, S. Auguſtinus quando erat obſeſſa ciuitas quædam, & dubitabatur, qui de clero fugere, vel remanere deberent, conſuluit per ſortem dirimendum. Refert Alex. de Ales. q. 165. membro

4 Octa-

4 Octauo, Quia quando contenditur de Papatu, ſorte dirimi poteſt contentio. late Card. conſ. 150. & c. licet. de elect. Petr. de Monte de poteſtat. Papæ, col. 31. Facit quod Imola ſingulariter notat in l. huiuſmodi. § fin. ff. de leg. 1. Ang. in l. ſi duobus. C. comm. de legat. & ibid. Cin. & Anan. & eſt communis opin. vt teſtatur Fel. c. capitulum, de reſcript. num. 21. Si igitur quando de principatu Apoſtolorum agitur, poſſunt deſeruire ſortes, multomagis in Clericorum electione.

Qui vero contrariam defendunt ſententiã, his nituntur rationibus

5 Primo, Quia ſors videtur continere diuinationem, ſed diuinatio in ſcriptura accipitur in malam partem, ut eſt apud S. Hieronymum ſuper Mich. 2. igitur mala; ergo Clerici male dicuntur ſorte electi, vel eligendi.

6 Secundo, S. Auguſt. Epiſt. 119. c. 21. tom. 2 in fine, damnat huiuſmodi conſuetudinem ſorte eligendi, igitur.

7 Tertio, Quod dicitur de ſorte Mathiæ ſingulare eſt, & non poteſt facere legem communem, igitur in contrarium eſt veritas can. 2. & 4. 26. q. 2.

8 Quarto, In beneficialibus non datur remedium ſortis, Cardin. in c licet cauſam, de probat. Oſt. Ioan. Andr. Domin. in c. eum qui, de eo qui mitt. in poſſ. lib. 6. Fel. in dict. c. capitulum, num. 21. Et ratio eſt, ne detur vitioſus ingreſſus, & per ſorté contingat aliquem obtinere beneficium non habentem titulum contra reg. inf. de regul. iur. in 6. igitur multo minus debet ſors procedere in Clericorum electione, ne contingat indignum ornari Clericatu contra canonicas ſanctiones.

9 Quinto, Quia proijcere ſortes eſt tẽtare Deũ, ſicuti quando virga reponebatur in tabernaculo, vt floreret Deut. 6. Et ratió eſt, quia quãdo ſine ratione, & neceſsitate quis ſeu periculo exponit dicitur tentare Deum. Abb. in terminis huius materiæ, c. fin. de ſortileg. num. 3.

Sexto, Quidquid ſit, eſt textus expreſſus in d. cap. fin. de ſort. ubi in terminis electionis Põtificis, & Clericorum prohibetur ſors, & ibi Doct. communiter.

SOLVTIO.

Solui poteſt articulus pluribus modis.

Prima ſolutio, Quia ſortes dupliciter ſumi poſſunt.

Primo pro illo actu proijciendi, vel caſu, qui ex actu illo proijciendi deriuatur, & hoc modo ſortes, licet nõ ſint aliquid mali, &

in dubio poſſint diuinam voluntatē indicare, ut habetur c.1.de ſort. nihilominus dicuntur prohibitæ, ne ſub hac ſpecie diuinationis ad antiquos idololatriæ cultus populi redirent. pluribus Grat. 26.quæſt. 2.can.1.vnde Bald.in l.meminimus.C.quand.& quib.quarta pars de beatur.lib.10. dicit, quod ſors non procedit, niſi in caſu à iure permiſſo, & in alijs caſibus peccatum continet, & licet gloſſ. in d.c.fin. de ſort. contrarium teneat, tamen veriſsima eſt opin. Bald. text. eſt in terminis in d. can.2.26.quæſt.12.ubi priuilegia ſingulorum nō conſtituunt legem communem; ergo in caſu tantum expreſſo locum habebit, alias non procederet deciſio generalis c.fin. de ſort. & ad ea, quæ ſuperius dicta ſunt de Mathia, Ionatha,Iona,& de Papa, reſpondetur, quod ſunt ſingularia ex quibus non fit conſequentia ad uniuerſalia dict.cap. 2.& 4.

Secundo modo,Sortes ſumuntur in ſcriptura pro gratuitis, & legitimis electionibus,quaſi electiones, & Clericorum conſecrationes ſint ſortes, quia diuino iudicio ſint indicatæ,& manifeſtatæ, & hoc modo S. Dionyſ. Areopagit. de eccleſiaſt.hierarchia,cap.9.intelligit illud,quod dicitur in Act. Apoſtolorum, quod ſors cecidit ſuper Mathiam, ubi dicit ſcripturam appellare ſortem ſacrum illud eligendi munus Apoſtolorum, qui diuinitus inructi elegerunt Mathiam non, quod ſortitionem fecerint,ſed Deo concitante, collecto fratrum cœtu, & precibus ipſi Deo fuſis chorus ille ſacratiſſimus Mathiā elegiſſe dicitur, & communis loquendi uſus eſt,ut dicatur ſors ſuper electum cecidiſſe, & ſic intelligitur illud pſalm.30. In manibus tuis ſortes meæ;& illud ad Epheſ.j.In quo etiam nos ſorte vocati ſumus; & hoc modo bene Clerici dici poſſunt ſorte electi, vel quod ſorte eligi poſſint.

12 Secunda ſolutio eſt venerabilis Bedæ, ut refert Alex.de Ales,3. part.q.165. de ſort. membr. 4. Poteſt enim ex ſententia Bedæ conſiderari tempus ante aduentum Spiritus ſancti.& tunc cōcedebantur ſortes,quia nondum venerat veritas, & populus ambulabat in umbra, & ſic intelligitur, quod tot exemplis veteris teſtamenti dictum eſt. Sed poſt aduentum auctoris vitæ, & veritatis, & poſtquam in die Pentecoſtes apparuit Spiritus ſanctus, nemini amplius licuit ſortes exercere,quia quod Deus donauit,non eſt periculo ſortis exponendum.

13 Tertia ſolutio, & eſt communis, Aut negotium,de quo agitur eſt ſæculare, aut eccleſiaſticum, ſi eccleſiaſticum,tunc in ſortem conijcere non licet, quia eccleſiaſtica ad Deum ſpectant, & ad æternam

quietem

quietem tendunt, atque ideo ſorte non ſunt dirimenda. Sic procedit cap. fin. de ſort. & ibi Doct. & Card. in d. c. licet cauſſa, quod ſorte non dirimitur differentia benificialis. Si ſæculare, vel eſt certum, vel eſt dubium, ſi certum, tunc non licet, quia tentaretur Deus, & ſaperet idololatriam, prout patet in argumentis ſuperius adductis; ſi incertum, aut eſt incertum facto, aut iure; ſi facto, tunc dubitatur, & eſt maxima dubitatio, ut alibi dicemus, cum hic non ſit locus; ſi incertum iure, tunc poteſt dirimi ſorte; & ſic procedit quod quarto loco ſuperius adducebatur, ad dirimendas lites licere in ſortem conijcere, ut notat Alex. in d. l. ſi duobus C. comm. de leg. & quod cauetur Prouerb. 18. quod ſortibus comprimantur contradictiones. Ita doctores communiter in d. c. fin. Sed quia hæc communis non eſt vndique tuta, cum contra videatur facere, quod pro alia parte dictum eſt de Papatu, ideo alia indigemus ſolutione.

14 Quarta, & vltima Solutio eſt, Quod aut neceſſitas urget, aut non, ſi nõ vrget, quia poteſt adhiberi aliud remediũ, tunc nunquã licebit ſortitiones facere, & eſt tentare Deũ, & ſic procedit c. fin. ſi neceſſitas urget, quia non poteſt dirimi humano remedio, & adeſt periculum, & præiudicium Reipublicæ, vel Eccleſiæ, vel animæ, & tunc etiam in eccleſiaſticis licet, & ſic procedit opinio communis, quod ad dirimendum ſchiſma, & contentionem de Papatu ſorte uti licet. Abb. in d. c. fin. in fine.

Articulus ſecundus.

An Clerici ſint de ſorte Domini.

Articulus hic pendet ab eo, vbi agendum, an Clerici ſint de parte, vel de hereditate domini, ideo inferius tractabitur.

Quaſtio ſecunda.

An Clerici à parte dicantur.

S V M M A.

1 Clerici an à parte dicantur, quadrupliciter poteſt intelligi.

QVæſtio hæc quadrupliciter poteſt intelligi, Primo, quod Clericus ſit pars Domini. Secundo, quod Dominus ſit pars Clericorum. Tertio, quod Clerici ſint de parte domini. Quarto & ultimo quod Clerici partem Domini habeãt d. c. clerus 12. q. 1. ad not etiam per gloſſ. in d. can. cleros d. 21. quia vero inferius quæſtio hæc explicabitur, ad tertiam accedamus.

Quæ-

Quæſtio tertia.

An Clerici dicantur ab hereditate in unum articulum redacta.

TOta materia huius quæſtionis in unum articulum redigitur, nimirum, An Clerici ſint de hereditate Dei, quod idem eſt quod quærere, an ſint heredes Domini, ſed eſſe de hæreditate Dei idem eſſe cenſetur, quod de ſorte, vel de parte Domini, ideo vno, & eodem articulo tria explicabuntur, nimirum: An Clerici ſint de ſorte, an de parte, an de hereditate Domini.

Articulus tertius.

An Clerici ſint de hereditate Dei.

S V M M A.

1 *Eſſe de ſorte dupliciter poteſt intelligi.*
2 *Eſſe de parte, idem eſt, quod ſequi partem eius, de cuius eſt parte.*
3 *Hereditas dicitur ſucceſsio in uniuerſum ius defuncti.*
4 *Succeſsio praſupponit remotionem, & priuationem eius, cui ſucceditur.*
5 *Succedere in ius uniuerſum, quid ſit.*
6 *Vocatio duplex.*
7 *Electio duplex.*
8 *Eſſe de parte, vel ſeqni partem alicuius poteſt eſſe magis, & minus principaliter.*
9 *Hereditas dupliciter ſumi poteſt.*
10 *Clerici hereditas beatitudo æterna.*
11 *Clerici hereditas qualis.*
12 *Funiculus hereditatis veſtra, quomodo intelligatur, & quid erat vnis.*

QVOD de ſorte Domini non ſint Clerici, ſic poteſt demonſtrari; Eſſe de ſorte poteſt intelligi, vel reſpectu vocationis, vel
1 reſpectu electionis, ſed neutro modo ſunt Clerici de ſorte Domini; ergo, quod non reſpectu vocationis, quia omnes ſunt vocati, igitur non tantum Clerici; quod non reſpectu electionis, patet, quia pauci ſunt electi, ideſt niſi boni, ſed mali Clerici ſunt etiam Clerici, quamuis mali ſint, igitur Clerici non dicuntur de ſorte, quia electi, cum mali non dicantur electi.

2 Quod verò non ſint de parte Domini ſic probatur Eſſe de parte, idem eſt, quod ſequi partem eius, de cuius eſt parte, ſed omnes Chriſtiani ſunt ſectatores Chriſti, etiam non Clerici, igitur omnes Chriſtiani ſunt de parte Domini, ergo Clerici non ſunt Clerici, quia ſunt de parte Domini, alias omnes fideles dicerentur Clerici, quod eſt falſum.

3 Quod

3 Quod non ſint de hereditate demonſtratur, quia hereditas dicitur ſucceſſio in uniuerſum ius defuncti. l. hereditas. ff. de reg. iur. ſed nedum Clerici, verum neque ſancti, & electi Dei dicuntur ſuccedere hoc modo, igitur non ſunt heredes, neq. de hereditate
4 minor probatur, quia ſucceſſio præſupponit remotionem, & priuationem eius, cui ſucceditur, ſed Deus nunquam remouetur, neque priuatur hereditate, quam habent ſancti, & de qua ſunt Clerici, quia æternus; & ab æterno habuit, cuius gloriæ non eſt finis, ergo &c. ſecundo probatur, quia ſuccedere in uniuerſũ ius eſt habere
5 paritatem, æqualitatem, & identitatem dominij, in qualitate, quantitate, & veritate. l. heredem. ff. de reg. Iur. ſed hoc modo Deus non conceſſit alicui creaturæ, alias creatura eſſet æqualis creatori, quod eſt inconueniens, vt doctiſſime demonſtrat Alex. de Ales. p. 3. q. 24. memb. 2. igitur Clerici non ſunt de hereditate Domini.

S O L V T I O.

6 Prima ſolutio. Duplex eſt vocatio generalis, una, qua omnes ſunt vocati, & per quam Dominus vult omnes ſaluos fieri, & ſecundum hanc vocationem nõ dicuntur Clerici de ſorte, ut in argumento dicitur; altera particularis, qua vocatur quis ad aliquod miniſterium, & ſecundum hanc vocationem Clerici ſunt de ſorte Domini, quia ſunt mancipati diuino officio, & vocati ſunt ad contemplationem, orationẽ, & alias eccleſiaſticas functiones. can. duo ſunt. 12. q 1.
7 Secunda ſolutio, Duplex eſt electio, altera praedeſtinatorum, quo modo intelligitur illud Matth. 20. Pauci vero electi, altera reſpectu alicuius miniſterij in Eccleſia militante, & hoc modo eſt electio Clericorum, qui licet ſint mali, non obſtat propterea, quin ſint Clerici.
8 Tertia ſolutio, Eſſe de parte, vel ſequi partem alicuius poteſt eſſe magis, & minus principaliter, & licet omnes fideles ſectentur partem Chriſti per Eccleſiam, magis tamen principaliter ſectantur Clerici. Io. de Graff. in d. Can. Cleros n. 16.
9 Quarta ſolutio, Dupliciter ſumi poteſt hereditas. primo pro ſucceſſione illa uniuerſali defuncti, & hoc modo Clerici nõ dicuntur de hereditate: ſecundo ſumitur hereditas pro eo, quod cõtinetur in hereditate, prout ſumit Cic. in Top. ubi deſcribit hereditatem eſſe pecuniã quae ad quẽpiã peruenit, & hoc modo hereditas dicetur id, quod eſt de hereditate, & de dominio alicuius, & ſic Clerici poſſunt eſſe de hereditate, quia proportione, & gradu poſſunt participare aliquid de hereditate, quae nihil aliud eſt, niſi beatitudo aeterna, &

hoc

10 hoc eſt, quod expreſſit S. Paul ad Rom. 8. Si autem filii, & heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti. Deus igitur eſt hereditas noſtra, nos vero Chriſti coheredes ſumus, quia illum imitari,
11 & ſequi debemus; ſi tamē cōpatimur, ut & conglorificemur. & ad Tit. 3. Vt iuſtificati gratia ipſius, heredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ: qualis autem ſit hæc hereditas oſtendit S. Petr. c. 1. In hereditatem incorruptibilem, & incontaminatā, & immarceſcibilem, conſeruatam in cælis in vobis; & licet omnes ſint vocati ad hāc hereditatem, proximiores tamen ſunt Clerici ratione officii, & diuidetur haec hereditas, & commenſurabitur inter heredes, vt in pſ. 104.
12 dicitur. Funiculum hereditatis veſtræ, quia funis erat certa mēſura, qua diuidebatur hereditas, quaſi poſt funus, ita gloſſa in can. Clericus 12. q. 1. pſ. 15. Funes ceciderūt mihi in praeclaris; ex quo colligitur, quod hereditas haec noň dicit paritatē, & aequalitatē dominii, & identitatem beatitudinis cum Deo, quia hoc modo beati eſſent aequales Deo, ſed ſunt heredes in hac hereditate, quia participant de hereditate ex gratia, & meritis Chriſti domini noſtri, quod nihil aliud erit niſi viſio beatifica, & fruitio Dei ſempiterna; & haec ſufficiant pro reſolutione huius tertiae quaeſtionis.

Clericus quid ſit.

S V M M A.

1 *Clericus varie definitur, & Auctoris definitio.*
2 *Ordinis ſacramento, aliqua ſunt de eſſentia, aliqua de precepto.*
3 *Ordinis ſacramento, quæ ſint de neceſſitate ſacramenti, & quæ de neceſſitate præcepti enumerantur.*

SVperius definitum eſt, quid ſit Clericus, quoad nomen, & ſatis de Clerici etymologia, ac ſignificatione diſſeruimus, reliquum eſt, vt Clerici ſubſtantialia demonſtremus, eiuſq. naturam, munus, inſtitutionem, atq. ordinationē explicemus; quod non facile fieri po-
1 teſt, niſi definitionem quo ad rem ſubiiciamus. Dicunt igitur aliqui, Clericum eſſe perſonam in Eccleſia Chriſti deſeruientem, ita habetur in can. Cleros d. 21. Alii ſic deſcribunt; Clerici ſunt, qui in Eccleſia Chriſti deſeruiunt, ordinem habentes, in quauis dignitate conſtituti. c. Clericum d. 27. & c. cum contingat de aetat. & qualitat. ord. Alii dicunt, quod Clerici ſunt perſonae diuinis officiis, contemplationibus, orationibuſq. dicatae. 12. q. 1. Alii ſentiunt, quod ſint perſonae gaudentes clericali priuilegio. Abb. in c. 2. de for. compet. Alii credunt, quod Clerici ſunt qui ſe, & ſua perpetuo obligant alicui religioſo

gioſo loco cum mutatione habitus. Franc.cumulatiſſime refert in c. porro de ſent.excom.Ego vero ſic poſſe definiri crederem. Clericus
a eſt perſona aliquo eccleſiaſtico ordine legitime inſignita. Ex ſupradictis definitionibus,& aliis Doctorum traditionibus, illud colligitur,quod multa ſunt, quae de ſubſtantia ſacramenti ordinis requiruntur, ſine quibus Clericus neq.ordinem,neq.characterem ſuſciperet; multa vero ſunt,quae requiruntur de neceſſitate praecepti, ſine quibus licet quis poſsit ordinem ſuſcipere,& characterem,officium tamen ordinis exercere non poſſet ſine peccato, & pœna,cui ſubiicere tur. Ita S.Thom.in4.d.25.q.1.art.1.Oſt.in ſumm.de tēp.ord.Io. And. in c.1.de cohab. cler.& mulier. Silu.verb.Ordo 4.in princ.Tab. ibi-ibidem, & Stephan.de Gaet.c.:. num. 49. Subſtantialia ſacramenti ordinis, ſine quibus non imprimitur character,ſunt infraſcripta;perſona ſuſcipientis,miniſter,& eiuſdem intentio,ſexus,baptiſmus, tactus,ſollemnitas formalis verborum,& poteſtas conferendi. De neceſsitate vero præcepti,ſine quibus licet imprimatur character, interdicitur tamen exercitium ordinis,ſunt hæc,aetas, locus, tempus, conditio,ſtatus,ritus,& titulus,circa quae omnia variae poſſunt eſſe quaeſtiones,quarum praecipuae ſunt ſequentes.

Prima, An quaeuis perſona ſit capax ordinis & dignitatis clericalis.

Secunda An quilibet ordo ſufficiat ad eſſe clericale, vt Clericus ſit.

Tertia,An quaelibet perſona ordines conferre poſsit.

Quarta An aliquis reperiatur actus, qui ſit de ſubſtantia ordinis, & ſine quo non?

Quinta An aliqua reperiatur ſollēnitas,ſine qua ordinatio nulla ſit In quibus quaeſtionibus quattuor cauſſarum genera explicabuntur,Obiectum ſcilicet in prima, efficiens in ſecunda, in tertia forma ſubſtantialis,& accidentalis,in quarta,& in quinta finis.

Quæſtio Quarta.

An quaelibet perſona ſit capax ordinis, & clericalis dignitatis necne.

SVMMA.

1 *Perſona non poteſt dici,niſi rationis compos.*
2 *Perſonarum duo ſunt genera.*
3 *Chriſtianorum varia genera.*

VTrum quaelibet perſona ſit ordinis, & clericalis dignitatis capax necne? Tota quaeſtionis huius explicatio pendet à diſcuſ-

ſion-

1 ſione quorundam articulorum, quos ſubiiciemus. Eſt autem ſciendum, quod Clericus dicitur perſona, quae aliud non eſt, niſi rationalis ſubſtantia, expers enim rationis nullo modo dici potes perſona.
2 Perſonarum vero duo ſunt genera, aliud femininum, aliud maſculinum; & horum alii ſunt non habentes baptiſmum, ut infideles, pagani, turcae, iudaei, & idololatrae; alii baptizati, ut omnes Chriſtiani;
3 Chriſtianorum vero alii ſunt in Eccleſia, alii extra Eccleſiam, vt haeretici, ſchiſmatici ab Eccleſia praeciſi, & excommunicati. Illorum vero, qui ſunt in Eccleſia alii eccleſiaſtica regula carent, vt irregulares, alii virtute, & gratia, ut exiſtétes in peccato mortali, alii ratione, vt inſani, & furioſi, alii aetate, ut paruuli, alii ſalute, & corporis diſpoſitione, ut caeci, claudi, muti, manci, alii fortunae, ut pauperes, ignobiles, viles artes exercentes, & ſerui, alii ſcientia, & ingenio, ut illiterati, et ignorantes, et id genus multi; ſupra quibus ſubſequentes articuli diſcutiendi ſunt; quibus abſolutis, haec prima quaeſtio ſatis explicata remanebit.

Articulus primus.

An femina ſit capax ordinis, et Clericalis dignitatis.

S V M M A.

1 *Capax fundamenti dicitur eſſe capax ædificij.*
2 *Qui poteſt maius, poteſt & minus.*
3 *Mulier non eſt capax ordinis, & quare. num. 15. 16. & 28.*
4 *Subditum praeeſſe abſurdum eſt.*
5 *Characteris impreſsio fit in anima.*
6 *Mulier eſt imago Dei, ſicut & vir.*
7 *Maria Virgo fuit capax auctoris omnium Sacramentorum, ſed non ordinis, & quare. num. 29.*
8 *Prophetia officium eſt maius ſacerdotali, & quare.*
9 *Prophetia munus conceſſum eſt aliquando mulieribus.*
10 *Pralatio, martyrium, & religionis ſtatus habent quandam perfectionem, ſicut & ordo, diuerſo tamen modo num. 33.*
11 *Mulieres dicuntur aliquando Canonica, Diaconiſſa, & Presbytera, non tamen re, & mediante ordine, ſed tantum nomine. num. 32.*
12 *Mulier reſpectu corporis dicitur ſuperior viro, reſpectu anima eſt paris virtutis, & perfectionis.*
13 *Iuriſdictio temporalis ſumit regulam à iuriſdictione eccleſiaſtica.*
14 *Mulier poteſt exercere iuriſdictionem, & forum contentioſum.*
15 *Defectus perpetuus impedit uſum, non impreſsionem characteris, & n. 35*
17 *Mulier quare ſacramentali ordine ſit indigna.*

18 Mu-

18 Mulier naturaliter eſt mancipata viro.
19 Mulier non poteſt prædicare,neq. confeſsionem audire,neq. tonſurari.
20 Mulieri iure ciuili prohibetur publica adminiſtratio.
21 Clericis prohibita eſt conuerſatio mulieris.
22 Mulieri prohibita eſt ordinatio iure diuino.
23 Papa non poteſt diſpenſare, ut mulier ordinem ſuſcipiat, ex communi ſententia.
24 Ordo non ſuſcipitur ratione perſonæ iure diuino inhabilis.
25 Percipiens maius quando dicitur paſſe recipere minus.
26 Euchariſtia in quo differat ſecundum Canoniſtas ab ordine.
27 Serui,ſi ordinantur,recipiunt characterem,& quare.
30 Prophetia in quo differat ab ordine.
33 Aetas puerilis nõ impedit ſuſceptionẽ ordinis,ut ſexus femineus,& quare
34 Iuriſdicti o temporalis differt ab eccleſiaſtica, & qua ratione.

Vtrum femina ſit capax ordinis, & dignitatem Clericalem ſuſcipere poſſit, necne;

Quod ſit capax poteſt his probari rationibus.

PRimo,Quod eſt capax fundamenti dicitur capax ædificii, quod conuenit fundamento, ſed mulier eſt capax ſacramenti Baptiſmi,quod eſt fundamentum omnium ſacramentorum. c. veniens de presbyt.non baptiz. ergo erit capax ordinis, quod ſacramẽtum fundatur ſupra fundamentum Baptiſmi.

2 Secundo, Qui poteſt maius, poteſt & minus, auct. multo magis C.de Sacroſanct. eccl.ſed mulier poteſt ſuſcipere ſacramentum Euchariſtiæ,ad quod referuntur reliqua ſacramenta; ergo multo magis poteſt ſuſcipere ſacramentum ordinis.

3 Tertio, Ideo ex multornm ſententia mulier non eſt capax ordi-
4 nis,quia eſt ſubiecta viro, abſurdum eſt enim, quod qui ſubiicitur, præſit. c.manifeſtum,& c.cum capax 33.q. 1. ſed hæc ſubiectio impedit tantum exercitium,non characteris impreſſionem, vt in terminis ſeruorum inferius dicetur,ergo hæc ſubiectio non facit mulierem incapacem.

5 Quarto, Impreſſio characteris,ut inferius dicemus, fit in anima,
6 ſed nulla differentia eſt inter animam viri,& mulieris, cum ſit utraque pari ratione impreſſa, ergo quoad impreſſionem nulla eſſe debet differentia.

7 Quinto,Glorioſiſsima Virgo Maria fuit capax auctoris vitæ, & omnium ſacramentorum, ergo non eſt inconueniens, quod mulieres ſint capaces ordinis.

8 Sexto,Officium prophetiæ eſt maius officio ſacerdotali,propheti enim

9 enim eſt medium inter Deum,& ſacerdotem,ut ait S.Thom.in 4. d. 25.q 2.ſed munus prophetiæ quandoque conceſſum eſt mulieribus, ut habetur 4.Reg.ergo non eſſet inconueniens, ſi concederetur muribus munus clericale.

10 Septimo,Sicut ordo ad quandam perfectionem pertinet, ita prælatio,martyrium,& religionis ſtatus, ergo eidem debet competere clericalis ordo.

11 Octauo,Videtur eſſe text. in c. dilectum, de maiorit. & obed. ubi Pontifex mandat canonicas ſubiectas fore Abbatiſſæ;ergo.

Nono,Eſt & text.in c.presbyter d.32.ubi fit mentio de presbyteras; ergo.

Decimo,Aut in muliere non imprimitur ex defectu corporis, aut

12 ex defectu animæ,ſed neutro modo poteſt eſſe; ergo. Probatur minor,quia mulier reſpectu corporis dicitur ſuperior viro, cuius corpus ex luto confectum eſt,muliebre vero ex viro ſumptum eſt,Gen. 2.anima vero in utroq. paris eſt virtutis, & perfectionis, ut optime ſentiunt S Baſilius,& S. Auguſt. referente Alex.de Ales.

Vndecimo,Si ſexus femineus eſt impedimentum, quominus Ordo ſuſcipiatur, multo magis puerilis ætas, cui rationis lumen non dum ſuffulſit,impedire debet, ſed ætatis defectus non obſtat; ergo neq. ſexus femineus.

13 Duodecimo, Valet argumentum de iuriſdictione temporali ad eccleſiaſticam,quia temporalis ſumit regulam ab eccleſiaſtica, ſed

14 mulier poteſt exercere iuriſdictionem, & forum contentioſum c. dilectum de exceſſ. præl.& c. dilecti de arbit.ergo non debet eſſe abſurdum ſi mulier exerceat iuriſdictionem fori pænitentialis, & poteſtatem clauium,quod ſine ordine fieri non poteſt.

15 Decimo tertio,Ideo mulier videtur incapax, quia in illa defectus virilis ſexus eſt perpetuus, ſed defectus perpetuus non impedit niſi uſum,non characteris impreſſionem,ut in cæco nato, & in amente perpetuo verificatur;ergo hæc incapacitas nõ impedit impreſſioné.

Pars negatiua ſcilicet,quod non ſit capax, nec poſſit characterem ordinis ſuſcipere, ſubſequentibus poteſt probari rationibus.

16 Primo,In Eccleſia, præcipue ad conferendam alteri gratiam requiritur membrum perfectum, non diminutum, ſed mulier eſt talis,ergo non eſt capax.

17 Secundo,Mulier fuit effectiua peccati;ergo non eſt digna Ordine ſacramentali, per quem confertur ſalus alteri,& deletur peccatum.

18 Tertio,Mulier naturaliter eſt mancipata viro,ſed præeſſe, & ſubeſſe

eſſe ſunt contraria,& unum non compatitur alterum; ergo ſi eſt ſubiecta viro, non poteſt præeſſe per Clericalem dignitatem.

19 Quarto, Mulier, nec prædicare, nec confeſſionem audire, nec tonſurari, neq. in Eccleſia adminiſtrare poteſt, ut habetur in d. c. noua. de pænit. & remiſſ. ſed ordo eſt quid maius; ergo ſi non licet minus, neq. etiam maius.

20 Quinto, Iure ciuili prohibetur mulieri adminiſtratio publica. l. feminæ. ff. de reg. iur. multo magis debet prohiberi eccleſiaſtica, quæ ſpectat ad cæleſtia.

21 Sexto, Clericis prohibita eſt conuerſatio mulieris. c. cleric. & c. volumus, d. 81. ergo multo magis debet eſſe prohibitum id, propter quod eſt prohibita conuerſatio, ſed cauſſa, propter quam eſt prohibita conuerſatio, eſt ordo, & exercitium ſacramentorum; ergo multo magis debet prohiberi ſuſceptio ordinis, & eius vſus, alias enim fieret confuſio clericorum, & mulierum in exercitio ſacramentorum, quod eſſet monſtruoſum in Eccleſia Dei.

Septimo, Eſt text. in d. c. noua. de pænit. & remiſſ. vbi aperte demonſtratur voluntas Chriſti Domini à prima inſtitutione, quod noluit conferre ordinem mulieri, quia ſi voluiſſet, contuliſſet matri ſuæ, quæ erat dignior omnibus Apoſtolis.

S O L V T I O.

22 Communis eſt concluſio, iure diuino non ſolum prohibitam eſſe mulieris ordinationem, ſed ſi contingeret ordinari, nihil

23 fieret, cum nullus ordinis character imprimatur; & adeo id verum eſt, vt ſi Papa diſpenſaret (quod nihilominus non poſſet) ordinem clericalem non ſuſciperet, quia ſexus eſt de ſubſtantia ſacramenti à prima inſtitutione Chriſti Domini, & ſupra id, quod eſt de iure diuino, Papa non poteſt diſpenſare. Hæc concluſio communis probatur in d. c. noua. & ex deductis pro hac parte, & ibi gloſſa. S. Thom. in 4. d. 25. q. 2. ar. 1. Palud. ibidem. d. 25. q 3. Archid. in c. Diaconiſſam 27. q. 1. Io. And. in c. 1. de cohabit. mulier. Abb. in d. c. noua. de pænit. & remiſſ. Gofred. de ætate, & qualit. §. quid muliere. late Stephan. de Gaet. in c. ad limina 30. q. 1. & nouiſſime Sot. in 4. d. 25. q 1. ar, 3.

Ad ea igitur, quæ in contrarium adducta ſunt reſpondetur.

Ad Primum, Non valet ſequela, ſacramentum baptiſmi eſt fundamentum ſine quo non, ergo capax baptiſmi, eſt etiam ordinis capax, baptiſmi, eſt etiam ordinis capax, ſicuti non valet fundamentum eſt aptum recipere ædificium, ergo in quouis loco, in quo eſt locatum

fundamentum, quis ędificare poterit, non quia fundamentum ſit minus aptum recipere ædificium,ſed ratione loci,& ſitus,in quo eſt fundamentum,fabrica male conſtruitur, & parum redditur ſtabilis;
24 baptiſmus ergo,licet ſit fundamentum, & ianua ſacramentorum, quandoque tamen reſpectu perſonæ, ordo non ſuſcipitur, non ratione baptiſmi, ſed ratione perſonæ de iure diuino inhabilis, & incapacis.
25 Ad Secundum,Tunc qui recipit maius, dicitur poſſe recipere minus, quando ex receptione maioris, neceſſario ſequitur perceptio minoris,vel quando minus continetur ſub maiori Oſt.& Præp. in c. per venerabilẽ,qui fil.ſint leg. & Euer.in c.à minori num.4.ſed ex receptione Euchariſtiæ, non venit neceſſario ſacramentum ordinis;
26 cum Euchariſtia ſit neceſſitatis, ſecundum canoniſtas, licet aliter ſentiant aliqui Theologi. Io. And.de ſacram. non iterand.§. quot ſunt ſpecies,refert Stephan.de Gaet.in c.ad limina §.1 n. 143. ordo vero eſt voluntatis,non enim neceſſe eſt, ut quiſque ordinem ſuſcipiat, prout eſt neceſſarium ſuſcipere Euchariſtiam.
27 Ad tertium, Serui ſi ordinantur,ideo recipiunt characterem,quia ſeruitus iure gentium eſt introducta §. Ius gentium.inſt.de iure nat. gent.& ciu.quod mutari poteſt ſeq.§.eodẽ,& poſſunt fieri liberi,non ita eſt in ſexu,qui cum naturaliter ſit immutabilis, non imprimi poteſt character.
28 Ad quartum, & undecimum, Nullus defectus animæ impedit quominus mulier ſit capax ordinis, ſed defectus ſexus virilis. cum enim naſcatur viro ſubiecta,inconueniens eſt,ut illa, quæ ſubiecta, eſt,imperet ei,cui ſubijcitur, & cui denegata eſt poteſtas humana, daretur diuina,vt notatur in c.cum caput 33.q.5.
29 Ad quintum,Diuina diſpenſatio, qua glorioſiſſima Virgo,& concepit,& peperit auctorem vitæ,& ſacramentorum non contenditur ad ſuſceptionem ordinis, placuit enim Deo in uno, in altero non placuit.
30 Ad ſextum, Prophetia non eſt ſacramentum, ergo non procedit argumentum.
31 Ad ſeptimum, Licet ordo ad quãdam perfectionem pertineàt,ſicut alia,quæ mulieri competunt,nihilominus,quia perfectio ordinis circa diuinæ poteſtatis adminiſtrationem verſari videtur, alia vero nequaquam,ideo hæc conuenire non poſſunt,ut mulier, quæ eſt homini ſubiecta diuina imperet poteſtate.
32 Ad Octauum,nonum,& decimum,Non obſtat text. in c. dilecti

quia

quia ibi mulieres non re, nec mediante ordine vocantur Canonicæ, ſed nomine tantum.

33. Ad duodecimum, Diuerſa eſt ratio ætatis, & ſexus, defectus enim ætatis non eſt perpetuus, ſicuti eſt defectus ſexus virilis, ille enim tempote tollitur, hic vero nunquam.

34 Ad decimum tertium, Non valet argumentum de temporali iuriſdictione ad eccleſiaſticam, cum temporalis de iure humano ſit; unde mutari poteſt, eccleſiaſtica vero de iure diuino, vnde immutabilis eſt §. ad iura inſt. de iur. nat. gent. & ciuil. hinc eſt, quod licet feminæ nullam poſſint habere poteſtatẽ, l. feminæ. C. de dignit. lib. 12. nihilominus quandoq. illis ex priuilegio conceditur. d. c. dilecti, ſed ſecus eſt in poteſtate clauium, quæ cum ſit de iure diuino non poteſt concedi mulieri, quouis iure diſpenſante non obſtante.

35 Ad decimum quartum, Amentia perpetua ideo non impedit ſuſceptionem characteris, quia accidentalis eſt, non enim natura homo naſcitur inſanus; ſed ex accidẽti, ſed defectus ſexus virilis eſt naturalis, naturaliter enim mulieres naſcũtur cũ huiuſmodi defectu, unde licet uterq. defectus ſit perpetuus, tamen quia alter ex accidenti eſt, & quod eſt ex accidenti tolli poteſt, & redire ad ſuam naturam, alter vero cum naturalis ſit, fieri nullo modo poteſt ut mutetur; hinc eſt, quod unus impedit, alter nullo ſit impedimento.

Articulus ſecundus.

Vtrum hermaphroditus ſit ordinis capax, necne.

S V M M A.

1 *Perſona habens ſubſtantialia ad ſacramentum poteſt illud ſuſcipere.*
2 *Imperfectio unius alterius perfectioni adhæret, & imperfectum pro perfecto habetur: quomodo intelligatur. num. 24.*
3 *Mixtum ſemper ſumit naturam dignioris, ac potentioris.*
4 *Hermaphroditus non habet cauſſas, ob quas femina eſt incapax ordinis.*
5 *Hermaphroditi nomine homo primo intelligitur, ſi autem præualet ſexus virilis n. 25.*
6 *Hermaphroditus ut plurimum in dextra habet mammam virilem, in læua femineam.*
7 *Statutum prohibens mulierem contrahere ſine conſenſu conſanguineorum, non comprahendit hermaphroditum; ſi tamen magis participet virilem ſexum. n. 26.*
8 *Mulieris appellatione non venit hermaphroditus, ſi magis præualet ſexus virilis. n. 26.*

9 *Mixtum ſub ſimplicibus non comprahenditur in odicſis: quomodo intelligatur n. 27.*
10 *Monſtruoſum eſt, quod errante natura, ſine proportione, cum augmento, vel diminutione naſcitur.*
11 *Ordine naturæ carens indignus eſt ordine ſacro.*
12 *Character imprimitur in anima coniuncta corpori ſine defectu.*
13 *Monſtrum, & membris imperfectus non debet in Eccleſia Dei imperare.*
14 *Hermaphroditus non poteſt dici caput.*
15 *Hermaphrodito eſt prohibita ordinatio, & unde colligatur.*
16 *Via tutior in dubijs eſt eligenda.*
17 *Actus ubi eſt in incerto non dicitur ſatisfactum legi conditionatæ.*
18 *Incertitudo vitiat actum.*
19 *Hermaphroditus ſi præualet in ſexu femineo, habetur ut femina, & non poteſt ordinari.*
21 *Hermaphroditus præualens in ſexu virili, ſi ordinatur ſuſcipit characterem, non poteſt tamen ordinem exercere. ex communi.*
20 *Hermaphroditus dubius, & vtroq. ſexu pollens, non poteſt ordinari.*
22 *Ordo ad eius receptionem requirit ſexum virilem, femineo ſexui non coniunctum.*
23 *Maius, vel minus in aliqua qualitate dupliciter conſideratur.*
28 *Imperfectio hermaphroditi, dupliciter conſiderari poteſt.*

1 HErmaphroditus quod ſit capax ordinis, ſic poteſt probari, Primo, Perſona, in qua ſubſtantialia, ac de neceſsitate ſacramenti requiſita, non deficiunt, poteſt ordinari; ſed in hermaphrodito non deficiunt ſubſtantialia, habet enim baptiſmum, & ſexum virilem; ergo nihil eſt, quod ordinum ſuſceptionem valeat impedire.

2 Secũdo, Vnius imperfectio alterius perfectioni adhæret, quinimmo imperfectum pro perfecto habetur, ex doctrina Bald. in l. quoties col. 2. verſ. ſed contrarinm C. de ſuis, & leg. & refert Gig. de crimin. læſ. maieſt. q. 16. n. 13. quinimmo mixtum ſemper ſumit naturam dignioris, ac potentioris §. adeo. inſtit. de loc. Fel. in c. 1. de præſcr. Iaſ. in l. imperiũ ff. de iurisd. omn. iud. ſed eſto quod Hermaphroditus ſit vtriuſque ſexus, verum quia natura feminea cedit virili, ſicuti imperfectum perfecto, & natura virilis ſit dignior, & potentior, ſequitur quod virilis conſideretur, & per conſequens poteſt ordinari.
3

4 Tertio, In Hermaphrodito ceſſant cauſſæ, ob quas femina dicitur incapax ordinis, tum quia non dicitur ſubiectus viro, tũm quia non fuit origo peccati. Oſt. in ſum. de teſt. verſ. quid hermaphroditus, ubi ſentit, quod hermaphroditus poteſt eligere ſexum, quo uti velit, qua facta electione in ea perſiſtere tenetur. arg. c presbyteros. 16. q. 1. l. ſi

plures

Digitized by Google

plures ff. de pact. Gig. loco cit. q. 16. n. 16. ergo in hermaphrodito non reperitur inconueniens ſubiectionis, et per conſequens poteſt ordinem ſuſcipere.

5 Quarto, In nomine hermaphroditi ponitur primo viri ſignificatio, ſecũdo mulieris; Hermes enim Mercurius nũcupatur, Aphrodite
6 Venus, quaſi filius Mercurii, & Veneris. ſecũdo ut plurimũ in dextra habet mammã virilem, & in læua femineam, ut ſunt populi Androgyni in Africa, vt refert Gig. in d. q. 16. ſi ergo virilis ſexus præualet, non eſt dubitandum, quin eius conditionem obtinuerit. l. quæritur. ff. de ſtat. hom. & ſic poteſt ordinem ſuſcipere.

7 Quinto, Stante ſtatuto, quod mulier non poſſit contrahere ſine conſenſu conſanguineorum, non compræhenditur hermaphroditus, quia mulieris appellatione is non venit, ut optime ſcripſit Bald. in l. omnes populi. verſ. quid ſi dicat ſtatutum de iuſt. & iure, Petr. Anch. in c. canonum ſtatuta. verſ. venio ad quartum de conſt. Guilielm. põt. in l. ſtipulationum ff. de verb. ſignific. Bald. conſ. 237. lib. 3. Alex. conſ. 116. n. 4. lib. 2. Gig. d. q. 16, n. 13. ergo ſi vir exiſtimatur, & ſub nomine mulieris non comprænhenditur, videtur quoque ordinari poſſe.

9 Sexto, In odioſis mixtum non comprænhenditur ſub ſimplicibus, ut ait Bart & Doct. alij in l. 2. ff. de verb. oblig. Barbat. conſ. 23. n. 10. lib. 4. & refert Lancell. de ſtat. q. 7. n. 77. ſed prohibitio de non ordinandis mulieribus eſt odioſa contra mulieres; ergo non procedit in hermaphrodito, qui dicitur mixtum ex muliere, & viro.

Et hæc quoad aſſirmatiuam ſententiam.

Contraria vero ſententia, ſcilicet quod hermaphroditus non poſſit ordinari, ſequentibus rationibus probatur.

Primo, Si hermaphroditus poſſit ordinem ſuſcipere, ſequeretur,
10 quod in Eccleſia Dei membrum imperfectum, & monſtruoſum ſederet; imperfectum enim, & monſtruoſum dicitur id, quod natura errante ſine proportione cum augmento, vel diminutione naſcitur, ut optime inquit Alex de Ales. p. 2. q. 80. membr. 3. in fine. ſed hoc eſt inconueniens, ut ait Archid. in c. diaconiſſam, 27. q. 1. ergo &c.

11 Secundo, Qui eſt ſine ordine naturæ, indignus eſt ordine ſacro; ſi natura enim ordinatus non eſt, multo minus diuinitus ordinari debet. argum. text. in Aut. multo magis C. de ſacr. eccleſ. ſed hermaphroditus dicitur utriuſq. ſexus ſine ordine naturæ; ergo &c.

12 Tertio, Licet character imprimatur in anima, tamen hoc non ſit ſimpliciter, ſed imprimitur in anima coniuncta corpori, ex quo ſit,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſi in corpore reperitur defectus naturæ, non ſequitur effectus ordinationis; ſed in hermaphrodito reperitur defectus naturæ, cum naſcatur cum utroque ſexu, ergo non imprimitur, cum ordo requirat perfectionem naturalem ſubiecti, cui confertur, ut notat Sot.2.p. in 4.d. 25.q.2.art.1.

13 Quarto, In hermaphrodito militat eadem ratio, quæ militat in muliere, ne monſtruoſum imperet, & perfectum inſeruiat imperfecto.arg.c.feminæ 30.q.5. ergo eadem diſpoſitio. l.illud. ff. ad leg. Aquil.l.Titio ff. de cond.& demonſtr.l. fin.C.ad leg.Iul.de adult.

14 Quinto, In hermaphrodito ceſſat ratio collationis in homine c. manifeſtum 33.q.5. hic enim dicitur caput, & principium; ille vero non poteſt dici caput, ſeu principium, cum habeat ſexum femineum & ex mixtura utriuſq. colligitur contrarietas, nimirum quod ſit præſul, & ſubditus, membrum, & caput, vir, & mulier, quæ abſurda, vel monſtra in Eccleſia non admittuntur.

15 Sexto, A prima inſtitutione colligitur Chriſtum Dominum inſtitutorem noluiſſe conferre ordinem hermaphrodito, arg. cap. in noua.de pænit.& remiſſ.

16 Septimo, In dubio, tutior via eſt eligenda. c. iuuenis de ſponſ. ſed tutius eſt dicere hermaphroditum non eſſe capacem ordinis, ne in eccleſia videantur ſimilia monſtra cum periculo conclericorum. ergo &c.

17 Octauo, Vbi actus eſt in incerto non dicitur ſatisfactum legi requirenti aliquam qualitatem.l. repetendarum. ff. de teſt. & incertitudo
18 ſolet actum vitiare l. duo ſunt Titij ff.de teſt.tut. ſed in caſu requiritur maſculinus ſexus, & in hermaphrodito eſt incertus, ergo ordinatio in ipſo nullo modo procedit.

SOLVTIO.

AD perfectam huius articuli ſolutionem tres ſunt caſus conſiderandi, ſicuti tria ſunt genera hermaphroditorum.

19 Primus caſus eſt, quando hermaphroditus præualet in ſexu femineo, & habetur ut femina, ut notatur in dicta l.quæritur ff.de ſtat.hominum, & non dicitur capax ordinis, ut aiunt Archid.Præpoſ.Turrecrem.in d.§.hermaphroditus.4.q.2. Gig.oe crim.læſ.maieſt.4.q.3.& quod non imprimatur character, affirmat Silu.verb. hermaphroditus, & hic caſus nullam habet difficultatem.

20 Secundus caſus eſt, quando hermaphroditus eſt dubius in quo ſexu præualeat, vel datur parilitas ſexus cum effectu, & tunc idem di-

cendum

cendum eſt, ut in primo caſu, quod non poteſt ſuſcipere ordinem, ut Doctores ſuperius citati dicunt, quia tutior via eſt eligenda.

Tertius caſus eſt, quando hermaphroditus præualet in ſexu virili, & in hoc tertio caſu ſunt diuerſæ opiniones, prima eſt illorum, qui ſentiunt non eſſe capacem, ut Laurent. & Hug. & refert, & ſequitur Archid. in d. c. diaconiſſã, Steph. de Gaet. in d. c. ad limina §. 3. verſ. 53. ſed hæc opinio eſt cõmuniter reprobata. Alii magis cõmuniter dicunt eſſe capacem ordinis, ut ſunt ſupracitati Doctores, quia habetur pro maſculo. Bald. in c. 1. de alien. feud. pat. & in l. fin. C. de ſuis, & leg. Vnde ſi baptizatur imponitur nomen maſculinum. Ang. in l. de quib. ff. de leg. & poteſt eſſe teſtis, ut ait Oſt. in sũm. de teſt. §. Si quis, Butr. in c. fin. de conſuet. Nell. de teſt. n. 4. Cret. de teſt. n. 42. & cõmuniter Doct. in d. §. hermaphroditus, quos late cõgerit Gig. de crim. læſ. maieſt. q. 16. per tot. his præmiſſis, ego diſtinguendum eſſe putarẽ,
21 quod prædicta concluſio communis procedat quoad impreſsionem characteris, ſed non quoad adminiſtrationẽ proter ſcandalũ. Archid. in d. §. hermaphroditus. Sot. loco cit. & Silu. in verb. hermaphroditus.

Hæc quoad ſolutionem huius articuli, nunc ad argumenta reſpondeamus, & primo ad ea illa quæ pro affirmatiua faciunt.

22 Ad Primum, Sexus virilis requiritur ſimpliciter, & non coniunctus cum ſexu femineo, coniunctio enim hæc impedit.

23 Ad Secundum, Aliquid maius, vel minus in aliqua qualitate dupliciter poteſt conſiderari, per ſe, vel reſpectu ſubiecti, in quo eſt, ſi per ſe, tunc non eſt verum, quod minor cedat maiori, cum per ſe ſint ſimplices, & non ſit caſus, quo dicatur unum aſſumere naturam alterius, ſi reſpectu ſubiecti, tunc unum dicitur maius altero, quia ſubiectum magis unum, quam alterum participat, ut in hermaphrodito.

Ad tertium dicitur, Quod retorquetur, nõ enim poſſet eligere, niſi haberet potentiam redigibilem ad actum gubernationis, quod ſatis eſt, ut impediatur ordinum ſuſceptio.

25 Ad quartum. Vſus, & præualẽtia conſideratur, non nominis ratio.

26 Ad quintum, Procedit tantum, quando magis virilem participat, ſecus quando femineum.

27 Ad ſextum, Tunc mixtum in odioſis non compræhenditur ſub ſimplicibus, quando eſt diuerſa ratio, ſecus quando eſt eadem, ut ait Lancell. de ſtat. q. 7. n. 133.

Ad alia argumenta, qui illam opinionem ſequi voluerit, ſcilicet hermaphroditum in virili magis præualentem ordinari poſſe, ſic poteſt reſponderi.

28 Ad primum, ſecundum, tertium, quartum, quintum, & ſextum. Reſpondeo, Quod imperfectio hermaphroditi dupliciter poteſt conſiderari. Primo, quoad corpus, ſecundo, quoad ſexum, & eius uſum; ſi igitur talis eſt imperfectio hermaphroditi, ut utroq. ſexu utatur, licet in virili magis incaleſcat, nihilominus, crederem non poſſe ſuſcipere ordines, & in hoc procedit vis argumẽti, ſi vero imperfectio eſt tantum corporalis, & adeo virilem participat, ut fœmineo uti non valeat, tunc hæc imperfectio non impedit; ex ea enim non ſequitur monſtruoſitas contrarietatis, licet quoad uſum impeditum eſſe crederem.

Ad ſeptimum, & octauum, In dubio tutiorem viam eſſe elegendam, non dubitatur, ſed quando hermaphroditus non poteſt uti niſi virili, ſumus in claris.

Articulus tertius.

Vtrum gentiles, pagani, iudæi, & non baptizati, ſi ordinentur ſuſcipiant ordinem, necne.

S V M M A.

1 ***Rationabilitas eſt de ſubſtantia ſacramenti ordinis.***
2 ***Damnatorum ſtatus non impedit characterem.***
3 ***Baptizatus putatiue, ſi ordinetur, putatiue tenet illum Eccleſia ordinatum, & n. 8.***
4 ***Hæretici ſi ordinantur, ſuſcipiunt ordines, & quare. n. 9.***
5 ***Baptiſmus eſt ianua, & principium omnium ſacramentorum; unde non baptizati non ſuſcipiunt ordinem,***
6 ***Infans, & furioſus habent rationem, ſed non uſum.***
7 ***Character dupliciter poteſt impediri.***
8 ***Fingere, & putare, differunt, & quid ſint.***
9 ***Inferior, vel peior conditio non impedit ſuſceptionem ordinis, dummodo adſint ſubſtantialia.***
10 ***Ordo Melchiſedech erat figuratiuus ordinis ſacramentalis.***

Iudæi, & non baptizati, quod poſſint ordinari, ſic defendi poteſt.

1 PRimo, Sicut baptiſmus eſt de ſubſtantia ſacramenti ordinis, ita & ſubſtantia rationalis; animal enim rationis expers, incapax eſt ordinis, & nulla eſt diuerſitas inter unum, & aliud ſubſtantiale, utrumq. enim eſt pariter potens, & vtriuſq. defectus eũdem operatur effectum, ſed in paruulis, & perpetuo amentibus, qui uſu rationis carent, cadit ſuſceptio ordinis, licet impediatur exequutio, ut fuſe probat Sot. in 4. d. 25. q. 2. ar. 1. argo idem in non habentibus baptiſmum.

Secun-

Secundo, Peioris ſunt conditionis damnati, quam non baptizati, hos enim quotidie Deus fidei ſplendore illuminat, quod non conceditur damnatis, cum in illo ſtatu nulla ſit redemptio, neq. vlla ſpes; ſed ſtatus damnatorum non impedit, neq; excludit characterem impreſſum, ut ait Franc. in c. vero. §. 1. de Sacr. unct. ergo multo minus dicendum eſt impedire, & excludere ſtatum non baptizatorum.

3 Tertio. Si quis non baptizatus promoueretur ad ordinem ſacerdotalem, vel epiſcopalem, tenet illum Eccleſia, ac ſi vere ordinatus fuiſſet, licet re uera ordinem non ſuſcipiat; & ne Eccleſia decipiatur, pie creditur Deum concurrere actui Eccleſiæ, ut late Stephan. de Gaet. in c. ad limina. §. 2. nu. 66. Sed quia idem operatur ius in caſu ficto, quod veritas in caſu vero. l. unic. C. de rei vx. act. dicendum eſt non baptizatum ſuſcipere ordines, licet re vera non ſuſcipiat.

Quarto, Plus confertur illis, quibus communicamus, quàm illis,
4 quibus eſt denegata fidelium communio, ſed hæreticis, quibus eſt denegata communio, ſi ordinantur, ſuſcipiunt ordines, ergo multo magis ſuſcipiunt iudæi, & pagani, quibus non eſt denegata fidelium communicatio, ut notat Guliel. de Mont. de teſt. nu. 3.

Quinto, Multi fuerunt ordinati ordine Melchiſedech, ut Chriſtus Dominus, iuxta illud Pſalm 109. Tu es ſacerdos in æternũ ſecũdum ordinem Melchiſedech, ergo non baptizati poſſunt ordinari, quia tunc temporis non erat baptiſmus.

In contrarium tamen eſt veritas, à qua recedere non licet, quod ſine baptiſmo non poteſt quis, ne dum ordinari, verum ſi ordinetur
5 characterem ordinis non ſuſcipit, quia ordinum, & ſacramentorum ianua, & principium eſt baptiſmus, qui requiritur de ſubſtantia, & de neceſſitate Sacramenti, ut notatur in c. 1. & c. veniens de presbyt. non bapt. & teſtantur S. Thom. in 4. d. 23. Oſt. in ſumm. de presbyt. non bapt. Archid. in c. vno de vot. lib. 6. & ibid. Franc. Laur. in rub. de baptiſm. col. 13. Sil. uerb. baptiſm. in fin. Sot. in 4. d. 25. q. 1. art. 2. & late congerit Steph. de Gaet. in c. ad limina. 30. q. 1. §. 3. nu. 53. & 93.

Et ad illud, quod primo loco adducebatur, reſpondetur, Quod rationabilitas, ſicuti baptiſmus dicitur de ſubſtantia ſacramenti, &
6 defectus utriuſq. impedit ſuſceptionem ordinum, ſed in paruulo, & furioſo nõ deficit rationabilitas, licet deficiat uſus, hinc eſt quod illi ſuſcipiunt, & non baptizati.

7 Ad ſecundum, Impedire, vel excludere characterem dupliciter contingit, ante impreſſionem, & poſt impreſſionem, poſt impreſ-

ſionem

ſionem non poteſt excludi, quia character eſt indelebilis, ante vero impreſſionem multa poſſunt impedire, ut defectus baptiſmi, &c.

8 Ad tertium, Aliud eſt fingere, aliud eſt putare; quando ius fingit ſupponitur veritas pro certo in contrarium, ut late congerit Euer. à loc. fictionis, num. 4. 5. & 6. putare vero non eſt ſupponere pro certo contrarium veritati; unde ſi Eccleſia tenet aliquem non baptizatũ pro baptizato, non propterea operatur, quod ille ſit vere baptizatus, quia ſi detegitur non eſſe baptizatum remouetur ab Eccleſia, & ſi Deus concurrit conferendo gratiam, non confertur non baptizato, ita ut ſit baptizatus, ſed concurrit actui Eccleſiæ, ne decipiantur eius fideles ſecundum vnam opinionem, quam impugnat Sot. omnino hic videndus, & ſic illud putatiuum non operatur, ut fictio.

9 Ad quartum, Inferior, vel peior conditio non impedit ſuſceptionem ordinum; eſto enim quod hæretici ſint prioris conditionis, nihilominus, quia paganis deficiunt ſubſtantialia, nimirum baptiſmus hæreticis vero nequaquam; hinc fit quod illi poſſunt ſuſcipere, iſti vero minime.

10 Ad quintum, Ordo Melchiſedech eſt figuratiuus ordinis ſacramentalis; vnde ſine baptiſmo poterat quis illo tempore ordinari ordine illo ſignificatiuo, ſed non ordine ſacramentali effectiuo & figurato.

Articulus quartus.

Vtrum abnegantes fidem, & paganorum ſectatores, ſi ordinentur ſuſcipiunt ordinem, necne.

S V M M A.

1 *Abnegantes fidem priuantur eadem, & infideles efficiuntur.*
2 *Infidelitas illorum, qui fidem reſpuunt, maior eſt, quam illorum qui nunquam crediderunt.*
3 *Beneficium non habere idem eſt, quod beneficio, & iuri ſuo renuntiatum eſſe. Iuri ſuo vnuſquiſque renuntiare poteſt.*
4 *Iure renunciato, non datur ad illud amplius regreſſus.*
5 *Apoſtatæ ſi ordinantur ſuſcipiunt characterem.*
6 *Infidelitatis tria ſunt genera.*
7 *Habilitas ſuſcipiendi ordines traditur diuinitus per impreſſionem characteris baptiſmalis.*
8 *Baptiſmo renuntiari non poteſt, & quare.*

Abnegantes fidem, & paganorum ſectatores, quod ordinis characterem ſuſcipere non poſsint, ſic probari poteſt.

1 PRIMO; Infideles, ut pagani ſi ordinantur characterem non ſuſcipiunt, ſicuti ſuperiori articulo demonſtratum eſt; ſed fidem abne-

abnegantes priuantur fide,& infideles efficiuntur, veluti pagani, ut notat Silueſter verb. infidelitas, in princ.ergo ſicuti illi ordinē ſuſcipere non poſſunt,ſic etiam & abnegantes fidem.

2 Secundo,Maior eſt infidelitas illorum, qui fidem recuſant, ac reſpuunt,quam illorū, qui nunquam crediderunt,ut clare ſcribit Silu. ubi ſup.ſed ſi ordinantur,qui nunquam crediderunt, non ſuſcipiunt, ergo multo minus hi,qui ſunt maioris infidelitatis.

3 Tertio,Idem eſt beneficium non habere, quod beneficio, & iuri renuntiatum eſſe, tùm quia vnuſquiſque poteſt renuntiare iuri ſuo: cap.cum acceſsiſſet, de conſt. & c. ad Apoſtolicam, de regul. tum quia iure renuntiato, non datur ad illud amplius regreſſus. c. cum periculoſum.7.q.1.tum etiam quia per renunciationem tollitur id, cui renuntiatum eſt.arg.in Auct. quomodo Epiſcopi non ord.§.igitur ordinandus Epiſcopus.c.placuit. diſt.38. Ioan. de Compoſtel.in rubr. de vſur. num. 13. ſed hic abnegat fidem ergo non habet,ſed non habentes non ſuſcipiunt characterem,ergo &c.

5 Sed his,quæ dicta ſunt,veritas eſt in contrarium, hi enim quamuis fidem abnegauerint, & apoſtatæ, vel hæretici fuerint, & de præcepto Eccleſiæ ordinari non debeant, ſi tamen ordinantur, ordinis characterem ſuſcipiunt, ratio, quia baptiſmali charactere ſunt inſigniti.ita adnotat.in c.contra Chriſtianos de hæret.lib.6. & refert Iacob Simanc.de chat.inſtit.tit.31.in fin.

6 Ad primum igitur reſpōderi poteſt cum diſtinctione à Silu. loco ſup.cit.tradita,ubi inquit tria eſſe infidelitatis genera. Primum ,illorum,qui nunquam ceciderunt , & nunquam fidem receperunt, ut ſunt pagani.Alterum eorum,qui ſuſceperunt fidem in figura, ut ſunt iudęi.Tertium eſt illorum,qui ſuſceperunt illorum, qui ſuſceperunt in ſe abſq. alia figura,ut ſunt hæretici.Si ſunt infideles primi, & ſecundi generis, ſi ordinantur, non ſuſcipiunt ordinem, ſi vero ſunt infideles tertii generis ſuſcipiunt, quia ſunt baptizati,& profeſſi ſunt fidem chriſtianam.

7 Ad ſecundum,Habilitas ſuſcipiendi ordines traditur diuinitus per impreſſionem characteris baptiſmalis, qui cum ſit indelebilis, non poteſt habilitas illa per infidelitatem amitti; hinc eſt, quod ſi ordinantur hæretici ſuſcipiunt characterem, quia per baptiſmum, fuerunt ſemel facti habiles,licet uſus ordinis eis prohibeatur.

8 Ad tertium, Renuntiatio hæc non debet attendi ex duplici capite primo,quia baptiſmo non poteſt renuntiari, cum character baptiſmalis deleri non poſſit,arg.eorum,quæ adnot.in l.Ius ſanguinis.ff.de

reg.

reg.iur. & l.nemo poteſt, ff. de leg. 1.ſecundo.quia non fit ſine maximo peccato,ex quo redditur illegitima.adnot.in l. alia §. eleganter ff.ſol.mat.& l. conuenire ff de pact.

Articulus quintus.

An hæretici,& excommunicati, ſi ordinantur,ordinis characterem ſuſcipiant,necne.

SVMMA.

1 *Ordinis ſacramentum à Chriſto Domino inſtitutum eſt, & Eccleſiæ traditum.*

2 *Cauſſa primaria,& efficiens ſacramenti ordinis eſt Deus, inſtrumentalis vero eſt miniſter.*

3 *Hæreticis prohibetur ordinatio ab Eccleſia uſq. ad tertiam generationem,etſi ſuſcipitur eſt irrita,n.7.& quomodo intelligatur,n.21.*

4 *Characteris impreſſio in hæreticis dupliciter contingit.*

5 *Accedens ad hæreticum, ut ab illo ordinetur,in contemptum,& fidei ſubuerſionem, recedens ab hæreſi, & ad Eccleſiam rediens, non recipitur cum ordine,quomodo intelligatur n.19.*

6 *Hæretici Nouatiani ordinati redeuntes ad Eccleſiam, ſunt iterum ordinandi, & quare.n.20.*

8 *Ordinatus ab hæreticis, rediens ad Eccleſiam cum diſpenſatione poteſt recipi cum ordine ſuſcepto.*

9 *Epiſcopus hæreticus rediens ad Eccleſiam recipitur cum dignitate.*

10 *Hæretici redeuntes ad Eccleſiam,remanent in ordine ſuſcepto, non tamen poſſunt ulterius promoueri.*

11 *Monachus recipiens ordinem in apoſtaſia,non recipit executionem, niſi de licentia Papæ.*

12 *Hæretici,& excommunicati,non poſſunt ordinari,ſi tamen ordinantur tenet ordo,licet executione careant.*

13 *Ordinis ſuſceptio, dupliciter conſiderari poteſt.*

14 *Factum,pro non facto haberi non poteſt;*

15 *Hæretici poſſunt recipere characterem ſine gratia*

16 *Ordinatio,dupliciter conſiderari poteſt,& quæ hæreticis ab Eccleſia prohibeatur.*

17 *Characteris impreſſio non poteſt ab Eccleſia impediri, licet actus miniſterij poſſit prohiberi.*

18 *Venire,& redire ad fidem differunt,& quid ſint.*

Hæretici,& excommunicati, quod non poſſint ordinis charactere inſigniri facillime demonſtrari poteſt.

1 PRimo,Sacramentum ordinis fuit inſtitutum à Chriſto domino, & Eccleſiæ eius ſponſę tradidit,itaut eccleſiaſticus ordo dicatur ut ſu-

ut ſuperius in definitione diximus. clericum eſſe perſonam aliquo eccleſiaſtico ordine legitime inſignitam. ſed hæretici ſont extra Eccleſiam c.conuenientibus.1.q.7.ergo non poſſunt recipere ordinem, qui eſt intra Eccleſiam.

2 Secundo. Impreſſio characteris eſt operatio diuina, non humana, ſolus enim Deus eſt cauſſa primaria,& efficiens ſacramenti ordinis, miniſter vero eſt cauſſa inſtrumentalis c.verum.d.32.Ioan. Andr.in c.1.de ſchiſm.& fuſe Stephan.de Gaet.in c.ad limina.§.3.n.46.ſed ſi hæreticis imprimeretur character, ſequeretur quod Deus voluiſſet hæreticis conferre, ſed hoc eſt abſurdum, quia extra eccleſiam exiſtentibus non confert gratiam, ergo &c.

3 Tertio, Eccleſia regitur à Spiritu ſancto,& ab eius capite Chriſto & contra eccleſiam facientibus reſiſtit voluntas Dei, ſed prohibetur ab Eccleſia hæreticorum ordinatio, ergo huic hæreticorum ordinationi reſiſtit voluntas Dei, ergo nulla operatio diuina concurrit, ergo nulla characteris impreſsio, quæ eſt mera Dei operatio.

4 Quarto, Aut impreſsio characteris in hæreticis eſt cum effectu gratiæ, aut non; quod non ſit cum effectu gratiæ clariſsime patet, quia hæreticis non confertur gratia in illo ſtatu, ut refert Stephan. de Gaet.d.§.3.n.87. ſi igitur ſine effectu gratiæ, ergo fruſtra conceditur, ſed Deus nihil fruſtra concedit, ergo dicendum eſt, quod non imprimitur, aut ſi imprimitur, imprimitur cum efficacia ſacramenti, ſed hoc eſt falſum, ergo.

5 Quinto, Eſt text.in c.conuenientibus.1.q 7.in fin.ubi dicitur, quod ſi quis ſponte accedit ad hæreticum in contemptum,& fidei ſubuerſionem, ut ab illo ordinetur, ſi recedens ab hæreſi redeat ad Eccleſiam, non recipitur cum ordine, ergo ei non eſt impreſſus character, ſi enim eſſet impreſſus, non poſſet recipi, niſi cum ordine, cum ſit indelebilis.

6 Sexto, Eſt text. in c.ſi qui.1.q.7.ubi dicitur, quod ſi quis ex hæreticis Nouatianis ordinatus redeat ad Eccleſiam, eſt iterum ordinandus, ergo in ſtatu hæreſis non imprimitur character, ſi enim imprimeretur, non poſſet iterari c. fin.de ſacram.non iter.

7 Septimo, Eſt text.in c.2. §.hæretici de hæret.lib.6.ubi prohibetur ordinatio hæreticorum uſq. ad tertiam generationem, & ſi ſecus actum fuerit, irritū,& inane decernitur; ſed idem eſt aliquid actum non eſſe, quod irritum,& inane.c.inter corporalia de tranſlat. ergo ſi ordinantur hæretici, perinde eſt ac ſi non eſſent ordinati.

Quod

Quod vero hæretici ſint capaces ordinis, & characterem recipiant, ſi ordinentur, facile demonſtrari poteſt.

8 PRimo, Eſt text. in c. conuenientibus. 1. q. 7. ubi dicitur, quod reuertentes ab hæreticis, licet in illo ſtatu fuerint ordinati, ex diſpenſatione cum ordine quandoq. recipiebantur; ex quo fit, quod ſi huiuſmodi caſus ſunt diſpenſabiles, ſequitur, quod hæretici recipiant characterem, cum diſpenſatio non procedat, niſi quoad ordinis adminiſtrationem, non quoad characteris impreſsionem, ut teſtatur gloſs. & Turrecrem. ibid.

9 Secundo, Eſt text. in c. maximam. 1. q. 7. ubi, quis in ſtatu hæreſis fuit ad Epiſcopatum promotus, tamen reuertens, non repellitur ab illa dignitate, ergo recte ordinatus.

10 Tertio, Eſt text. in c. ſaluberrimum. 1. q. 7. ubi redeuutes ab hæreſi, ulterius promoueri prohibentur, ſed in ordinibus, in quibus inueniuntur, ſtabilitate perpetua permanſuros decernitur. ergo reete ordinati.

11 Quarto. eſt text. expreſſus in c. fin. de apoſt. & in c. excommunicamus. 1. de hæret. ubi dicitur, quod monachus recipiens ordinem in apoſtaſia, non poteſt diſpenſari, niſi à papa; ergo recipit characterẽ, licet quoad executionem neceſſaria ſit diſpenſatio; idem ſentit gloſs. in d. c. fin. Archid. & Turrecrem ibid.

SOLVTIO.

12 SED, ut hunc articulũ communi ſolutione cõcludamus indubitãter dicimus, quod hæretici licet de iure ordinari nõ poſſint, ſi de facto tamen ordinentur, ſuſcipiunt ordinis characterem, licet non executionem, ſine Pontificis diſpenſatione; excommunicatus vero, quod characterem ſuſcipiat, ſi ordinetur, expreſſe tenet Archid. & Turrecrem. in d. c. ſaluberrimum. Io. Andr. in c. ſignificaſti, de eo qui refert Stephan. de Gaet. in d. c. ad. §. 3. n. 72. & nouiſſime Nau. c. 27. n. 205. de irregul.

Sed ad ea, quæ in contrarium allata ſunt, reſpondeamus.

13 AD Primum igitur ſic reſpondetur, Suſceptio ordinis dupliciter conſiderari poteſt, de iure ſcilicet, & de facto. De iure, ordinatio hæreticorum nulla eſt, unde fit, hæreticos ordine ſuſcepto uti non poſſe, ut dicitur in d. c. conuenientibus. de facto vero, ordinis ſuſceptio remanet, licet ſit inefficax propter impedimentum iuris;
14 quod enim factum eſt, pro non facto haberi non poteſt. l. in bello. §.

factæ

factæ ff.de poſt.capt.& poſt.l. reu.unde de iure verũ eſt dicere,quod qui contra Eccleſiam reperitur,non poteſt recipere, quod intus eſt. De facto vero falſum eſt,qui enim foris eſt poteſt accipere, quod eſt intus,ut latro,qui de facto ingreditur domum alienam, licet non iure.

Ad ſecundum,licet miniſter nudum adhibeat miniſterium, & ſolus Deus mirabile ordinis opus efficiat,non ſequitur propterea,quod ſi hæreticis imprimitur character, ſimul gratia conferatur,quia Eccleſiæ quidquid confertur à Deo in illo miniſterio, in forma Eccleſiæ facto tribuitur,alias enim facile quis poſſet actum Eccleſiæ fru-
15 ſtrare, licet igitur hæreticis character imprimatur,nulla tamen eis gratia confertur, vt optime refert Stephan.de Gaet.d §.3 n. 87.

16 Ad tertium,Ordinatio dupliciter conſiderari poteſt.Primo,reſpectu nudi,& ſimplicis miniſterij. Secundo reſpectu diuinæ operationis,quæ concurrit in miniſterio. Primo modo conſiderata ordinatio prohibetur ab Eccleſia; prohibetur enim ne huiuſmodi miniſterium ordinandi ab aliquo adhibeatur hæreticis, & hæc prohibitio bene rata eſt à Chriſto eius capite, ex quo fit, ut contrauenientes peccent, & pænis afficiuntur; ſi vero ordinatio conſideratur reſpectu diuinæ operationis, quæ ſubſequitur, & dat eſſe ordinationi,im-
17 primendo characterem, tunc ad hoc mirabile opus non extenditur eccleſiaſtica prohibitio, eccleſia enim diuinum opus impedire, non poteſt,ſi de facto adhibetur miniſterium; poteſt enim prohiberi actus miniſterij, non autem opus impreſſionis, quod concurrit cum actu miniſterij: prohibetur exempli gratia matrimonium inter conſanguineos in gradu prohibito, non autem procreatio filiorum,quæ procederet ex coniunctione,quæ de facto fieret.

Ad quartum,Licet hæretici inefficacem,& quaſi mortuum ſuſcipiant characterem,non propterea dicendum eſt perperam id fieri, id eſt Deum operari fruſtra, quia poſſunt redire ad eccleſiam, & ad fidem ſuſceptam; & cum per baptiſmum fuerint ſemel habiles facti ad hoc ordinis ſacramẽtum ſuſcipiendũ,ſequitur, ut quocumque vadant ſecum habilitatem baptiſmalem portent,neq.illam, ut indelebilem,aliquo modo amittere valeant; hinc fit,ut ſi in illo ſtatu hæretici ordinantur,ſuſcipiant characterem, quod non ſequitur in paganis,qui licet ad fidem venire poſsint, nihilominus cũ habiles per baptiſmũ non ſint,nullo modo ſacramentũ ordinis recipere poſſunt;
18 aliud enim eſt poſſe venire ad fidem, aliud redire; cum redire ſupponat locum,ubi quis alias ſtetit,venire vero indicat locum, ubi veniens

niens nunquam fuit; hæretici ergo poſſunt redire ad fidem, ideò recipiunt characterem, ſecus pagani, cum fidem nunquam ſuſceperint; bene tamen poſſunt venire, quare clariſsime patet argumētum concludere tantum in paganis, non autem in hæreticis.

19 Ad quintum, Non obſtat text in d.c.conuenientibus, quia ibi non recipitur ille cum ordine, quia non ſuſceperit, vel non fuerit capax, ſed quia ſuſcepto ordine uti non poterat.

20 Ad ſextum, Non obſtat text.in c. ſi qui. quia ibi ideo iteratur ordinatio, quia inter hæreticos illos non erat vera forma à Chriſto domino inſtituta, & idcirco non dicitur impreſſus character, & debet iterum fieri. vel, ut ibi dicitur ordinationem pro benedictione interpretari debemus, quæ benedictio ſi iteretur, nullum ſequitur inconueniens, cum non ſit ſacramentum.

21 Ad ſeptimum. Non obſtat text.in c. 2. §. hæretici de hæret. lib. 6. nam ibi irritatur ordinatio quoad officium, & adminiſtrationem tantum.

Articulus ſextus.

Vtrum cathecumeni ſi ordinentur, recipiant characterem, necne.

S V M M A.

1 *Catechumenis conceditur antecedens gratia.*
1 *Antecedente poſito, ponitur ſubſequens; & quando valeat. n. 7.*
2 *Acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis, & ab illo non ſeparatur, & quotuplex. n. 8.*
3 *Catechiſmus eſt præparatorium, & acceſſorium ad baptiſmum.*
4 *Catechumenorum multi fuerunt ſancti.*
5 *Baptiſmus pœnitentia ſupplet baptiſmum aqua.*
6 *Catechumenus, etiam ſi ſanctus non eſt capax ordinis, ex communi.*
9 *Faciendum proxime, non debet ſemper haberi pro facto, & quare.*
10 *Baptiſmus ſanguinis, & flaminis non ſufficit, ut quis ſit ordinis capax, & quare.*

Videtur primo loco catechumenos ordinem recipere poſſe ex infra dicendis.

1 PRimo, Catechumeni licet non ſint baptizati, eis tamen conceditur antecedens gratia, & ſanctitatis, et fidei, & pænitentiæ, ut dicit S. Aug. de eccl. dogm. ex quibus ſequitur ſubſequens gratia baptiſmalis, ut habet Alex. de Ales 4. p. q. 7. memb. 3. art. 4. ſed poſito antecedente ponitur ſubſequens. l. 1. §. 1. ff. ſi uſus fruct. pet. l. 3. §. qui habet ff. de

ff.de ſeruit.ruſt.præd.& in terminis conceſſionis eſt text. not.in l. 2. ubi Cin.Bart. & Doct. ff. de iur.omn.iud.ergo ſi baptizati ſunt capaces, etiam & catechumeni,qui habentur, ac ſi baptizati fuiſſent.

2 Secundo, Præparatorium, & acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis. arg. d. l. 2. ubi Bart. & regulatur ab eo, ut ait Aret.in l.in duobus. §.etiam C. per quas perſon. nobis acquir. neq.à ſuo principali ſeparatur, ut adnot.per. Bart. in l. 1. in 1.not.C. eod. ſed catechiſmus eſt præparatorium, & acceſſorium ad baptiſmum, adnot. in c ante baptiſmum de conſecr. d. 4. Alex. de Ales. p.4. q. 7.membr.3. per tot. ergo ſicuti baptizati, ſic & catechumeni, qui non ſeparantur ab illis,illorumq. ſequuntur naturam, & ab illis regulantur ſunt ordinis ſacramenti capaces.

3 Tertio,Catechumeni proxime ſunt baptizandi,ergo habentur pro baptizatis. arg. l. qui in vtero. ff.de ſtat.homin.ubi proxime naſciturus habetur pro nato; ergo catechumeni tanquam baptizati ſunt capaces ordinum.

4 Quarto, Multi ex catechumenis fuerunt ſancti,ut S.Martinus,multiq. alij martyres,qui fuerunt ex ſanguine, & pœnitentia baptizati, ergo ordinis capaces,alias ſequeretur,quod melioris eſſent conditionis impij, & hæretici, quam ſancti, & ſanguine baptizati, quod eſt abſurdum.

5 Quinto, Si catechumeni moriantur fideles,& pœnitentes,ſine dubio ſaluantur, quia baptiſmus flaminis ſupplet baptiſmum fluminis, ut optime ſcribit Alex.de Ales.part.4.q.8.membr.9. art.4.§.4.& ſeq.& ſic tales redduntur capaces æternæ gloriæ, multo magis dicendum eſt,quod ſi ordinentur characterem recipiant, ne ordinis fiat fruſtratio.

6 Veritas tamen eſt in contrarium, ex quo enim catechumeni carent baptiſmo,& eis ſacramentorum ianua aperta non eſt, non ſunt aliquo pacto habiles ad ſuſcipiendum ſacramentum ordinis, ita ut ſi ordinentur, non ſuſcipiant ordinis characterem, & adeo hoc eſt verum, vt procedat etiam ſi catechumeni eſſent ſancti, & martyres, ita in terminis decidit Nauarr.c.27.num.205.de 3. ſpecie irreg.verſ. etiam ſi catechumenus ſit ſanctus, quia character ordinis ſupponit characterem baptiſmi. Ioann.Andr. in cap. 1. de presbyt. non bapt. quæ ſententia eſt communis, vt teſtatur Nau.loc. cit.

Nunc ergo ad ea,quæ in contrarium allata fuerunt,reſpondeamus.

7 Ad primum, Tunc argumentum ab antecedente ad ſubſequens valet,quando ſubſequens de neceſſitate ſequitur antecedens,ut poſito

C uno,

uno, ponatur aliud. Euer. à loco à conceſs. anteced. in fin. ſed eſto quod gratia, quæ conceditur catechumenis ſit antecedens, & præparatoria ad baptiſmum, baptiſmus tamen de neceſſitate non ſequitur catechiſmum, quia poteſt quis hanc obtinere gratiam, & nō conſequi baptiſmum, cum requiratur miniſterium, & intentio miniſtri, & præſcripta forma Eccleſiæ. Stephan. de Gaet. dict. cap. ad limina. §.2.num.47.

8 Ad Secundum, Duplex eſt acceſſorium, & principale; aliud eſt, quod ſi ponitur, ponitur & principale, & è conuerſo; ita vt nullo modo unum ſeparetur ab alio, & tunc bene acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis, ut adnot. in cap. acceſſorium. de reg. iur. in 6. aliud eſt quod ſi ponitur, non ponitur aliud, & uno ſublato, alterum non aufertur ex text. in l. 1. C. de iudic. ubi ſublato principali contractu, non aufertur acceſſorium; catechiſmus ergo licet ſit præparatorium, vel acceſſorium ad baptiſmum, nihilominus poſito uno, non ponitur alterum; poteſt enim eſſe catechiſmus ſine baptiſmo, & baptiſmus ſine catechiſmo, & ſic non procedit argumentum.

9 Ad Tertium, Aliquid proxime faciendum pro facto haberi, non ſemper verum eſt, ſed tātum procedit, ubi iure exprimitur; eſt enim iuris fictio, cum fingitur aliquid quod nō eſt, ac ſi verum eſſet, quod nemini licet, niſi iure mediante, & hoc legitima de cauſſa; ſed nullo iure, nullaq. auctoritate, & ratione reperitur catechumenos proxime baptizandos haberi pro baptizatis; ergo nemini aſſeuerare licebit, quod ius non præſumpſit.

10 Ad Quartum, Non ſufficit baptiſmus ſanguinis, vel flaminis, ut poſſit quis ordinem ſuſcipere, in his enim non imprimitur character, ut in baptiſmo fluminis, & licet hæretici, & impij ſuſcipiant, non ſequitur quod ſint melioris conditionis, quia maiorem damnationem recipiunt; & ſi emendantur non ſunt diuerſæ conditionis.

Ad Quintum, In ſacramento baptiſmi ſupplet Deus, quia eſt ſacramentum neceſſitatis; unde nō ſequitur, quod deberet etiam ſupplere in ordine, quia ōrdo eſt ſacramētum voluntatis, & ſine ipſo poteſt quiſq. vitam æternam acquirere.

Articulus

Articulus ſeptimus.

Verum neophyti, ſi ordinentur, ſuſcipiant characterem necne, & ſi ſuſcipiunt, an ſit eis de præcepto Eccleſiæ prohibita ordinatio.

S V M M A.

1 *Neophyti antequam in Eccleſia ſuſcipiantur, indigent tempore, & probatione, & quære. num. 8*
2 *Neophyti dicuntur, qui in fide ſunt noui.*
3 *Neophyti, & Pagani confunduntur à Nauarr. verbis tamẽ, nõ sẽsu. nu. 9.*
4 *Neophyti dici poſſunt uſque ad decem, viginti, & triginta annos.*
5 *Sanctus Ambroſius fuit electus catechumenus, & neophytus ordinatus.*
6 *Neophytis in primitiua Eccleſia non erat prohibita ordinatio, & quære. num. 10.*
7 *Neophytis modo prohibetur ordinatio, ſi tamen ordinentur, recipiunt characterem.*

Negatiua ſententia, nimirum neophytos non eſſe ordinis capaces, his corroboratur argumentis.

1 PRimo, Eſt text. in cap. quoniam. d. 48. ubi dicitur, quod tempore opus eſt, vt ſit catechumenus, & poſt baptiſmum multa probatione indiget; unde catechumeni videntur neophytis aſsimilati, cũ uterque ſtatus, & tempore indigeat, & probatione, ſed catechumeni ſi ordinantur, non ſuſcipiunt ordinem, ergo nec neophyti.

2 Secundo, Neophyti dicuntur, qui in fide ſunt noui. vt ait Oſtiẽſ. de temp. ord. verſ. quartadecima regula, ſed nouitas non eſt permanẽs, & de nouo ad vetus facilis eſt regreſſus, ergo ſicuti catechumini proximi baptiſmo, ſunt incapaces, ita neophyti, qui immediate procedunt e ſtatu catechumenorum incapaces eſſe videntur.

3 Tertio, Nauarr. cap. 27. de 3. ſpecie irreg. verſ. neque ſarracenus, cõfundit neophytos cum paganis, ubi expreſſe dicit, quod nec ſarraceni, nec iudæi, nec neophyti, & recenter conuerſi, recipiunt characterem, ergo &c.

Sed eſto, quod neophytis imprimatur character, nulla tamen ratione conſtat prohibitio de non ordinandis neophytis.

Primo, Illi poſſunt ordinari, qui ſunt conſtituti in ætate nouem, vel decem annorum, ſaltem in minoribus, vt adnot. in cap. ſi. de temp. or. 4 lib. 6. ſed neophyti dicuntur uſque ad decem, viginti, & triginta annos, in quo tẽpore licita eſt ordinatio in quouis gradu, ut ait Nauarr.

C 2 loco

loco ſupra citato, ergo nulla eſt ratio, ob quam prohibenda eſt neophytorum ordinatio.

5 Secundo, S. Ambroſius fuit electus catechumenus, & neophytus ordinatus, ergo &c.

Tertio. Nouitij ſolent eſſe feruentiores, ut experientia docet, ergo nulla eſt cauſſa, qua poſſit neophytorum ordinatio prohiberi.

6 Quarto, In primitiua Eccleſia fere omnes erant noui, & tamē ordinabantur, ergo non eſt legitima hæc prohibitio.

7 Contra tamen prædicta eſt veritas. Licet enim de iure ordinatio neophytis ſit prohibita, & contrauenientes depoſitionis pœna plectantur, alijſq. pœnes afficiuntur, vt habetur in d. c. quoniam d. 48. ſi tamen ordinentur, imprimitur eis character, ratio quia ſunt baptizati, licet in fide ſint noui, ita Oſt. de temp. ord. in ſumm. §. quarta regula. Silu. verb. ordo. 2. nu6. Nau. loco cit. & per totam diſt. 80. ubi dicitur, quod ſi ordinentur, deponuntur, quæ depoſitio indicat impreſſionem characteris; & duplex affertur ratio; prima ne incidant in ſuperbiam, putātes religionem Chriſtianam ſe nimis indigere; altera eſt S. Pauli in d. c. quoniam; tanquam enim inexpertes, neſcirēt ſe temperare pro diuerſitate temporum, locorum, & perſonarum. Gloſſ. & Oſt. loco cit. Grat. duas alias affert rationes; prima ne qui heri erat in theatro, hodie ſedeat in Eccleſia, & qui heri erat in circulo, hodie inſeruiat altari.

Ad Primum igitur ſic reſpondetur. Eſto, quod catechumeni, & neophyti tempore, & probatione indigeant, tamen hoc tantum impedit, quominus neophyti ordinētur, nullamq. inhabilitatem inducit, ut character non imprimatur, incapacitas vero catechumenorum procedit ex defectu baptiſmi, ſine quo ordinatio nō ſortitur ſuum effectum; impedimentum autem Neophytorum procedit à prohibitione Eccleſiæ; unde ſi de facto ordinentur recipiunt characterem;

Ad Secundum, Licet nouum non ſit permanēs, & facilis ſit regreſſus ad vetus, non poteſt tamen fieri, ut quis poſt baptiſmnm, redeat ad ſtatum infidelium, cum non poſſit baptiſmalis character ſemel ſuſceptus, deleri.

9 Ad Tertium, Nauarr. confundit neophytos cum paganis, verbis, non tamen ſenſu, ſi recte intelligantur.

Ad primum vero, quod adductum eſt ad probandum non reſpondere rationi prohibitionē de non ordinandis neophytis; reſpondetur,

quod

quod eſt diuerſa ratio in adultis, & in pueris ex Chriſtianis natis; unde ſit quod illis fiat prohibitio, his vero nequaquam.

Ad Secundnm,Nõ trahitur ad exemplum, quod ſpeciali fit gratia.

Ad Tertium,non eſt verum generaliter.

10 Ad Quartum, Neophytis in primitiua Eccleſia multum fauebat Deus,& propter neceſſitatem Eccleſiæ multa tolerabantur.

Articulus octauus.

Vtrum non confirmati ſi ordinentur, ſacramentum ordinis recipiant necne.

SVMMA.

1 *Conceſſum indiget confirmatione concedentis quomodo intelligatur.n.8.*
2 *Confirmationis ſacramento tres inſunt effectus.*
3 *Medium ſupponit primum, ſicut ultimum medium.*
Ordinis ſacramentum comprehendit facultatem confirmandi,quomodo intelligatur.num.10.
4 *Dare nemo poteſt,quod non habet.*
5 *Confirmationis ſacramentum non habens, non dicitur Chriſtianus, quomodo intelligatur.num,11.*
6 *Confirmationis ſacramentum non habentibus prohibetur ordinatio, ſi tamen de facto ordinentur,recipiunt characterem,ex communi.*
7 *Vnum ad aliud dupliciter requiri poteſt.*
9 *Naturalia, & perpetua non indigent confirmatione.*

Non confirmati, quod non ſuſcipiant characterem, ſi ordinentur, ex his, quæ dicenda ſunt, patebit.

1 PRimo,Sicuti, quando aliquid obtinemus, quod alicuius principis temporalis indigeat confirmatione, ſi non confirmatur irritum, & nullum eſt,ut adnot. in c. auaritiæ de confirm,lib.6.ſic videtur dicendum, quando confirmatione diuina indigemus, quia ſi de quo minus, ergo de quo magis. Aut.multo magis de ſacros. Eccleſ.ſed poſt baptiſmum inſtitutum eſt ſacramentum confirmationis; ergo qui non ſunt confirmati, cenſentur ac ſi baptizati non fuiſſent,ſed non baptizati ſunt incapaces,ut ſup.articulo 3. diximus; ergo non confirmati.

2 Secundo,In ſacramento confirmationis tria præcipue conferuntur, robur,perfectio,& ſanctificatio, ita Alex. de Ales de ſacram. baptiſmi.q.8.art.2.§.7.ſed hæc tria præcipue ſpectant ad ſacramentum ordinis, dicitur enim ſacramentum poteſtatis, cum robur requiratur

quiratur,ut confirmatus præeſſe poſſit,perfectio, ut excellat,ſanctificatio,ut digne in miniſterio ſe gerat, ergo ſine confirmatione nemo redditur ordinis capax.

3 Tertio, In his quæ ſunt ad inuicem ordinata,ſicut medium ſupponit primum,ita ultimum ſupponit medium, ſed huiuſmodi ſacramenta ſunt ad inuicem conſtituta,ergo ſicut character confirmationis ſupponit characterem baptiſmalem, ita character ordinis debet ſupponere characterem confirmationis, ergo non habentes characterem confirmationis, non ſunt capaces characteris ordinis.

4 Quarto, In ſacramento ordinis compræhenditur facultas confirmandi, ſed nemo poteſt dare quod non habet l. nemo ff. de reg. iur. ergo qui non eſt confirmatus confirmare non poteſt, & conſequenter nec ordinem ſuſcipere.

5 Quinto, Qui non eſt chriſtianus, eſt incapax ordinis, ſed qui non eſt confirmatus,non eſt chriſtianus, ut habetur in Conc. Aurel. in quo ita deciſum eſt,& refert Alex. de Ales, de confirm. q. 9. memb. 3. art. 1. ergo, &c.

Quod vero recipiant characterem ſic poteſt probari.

QVia, Baptizatis eſt aperta ianua omnium ſacramentorum, ſed ille, cui patet ianua ſine impedimento ingredi poteſt, ergo non confirmati poſſunt recipere ordinis ſacramentum.

SOLVTIO.

6 OPinio affirmatiua communis eſt, & veriſſima, quod licet non confirmati ordinari non poſſint, & ſcienter accidentes peccarent, nihilominus, ſi de facto ordinentur ſuſcipiunt ordinem. ita Petr. in ſumm. confeſſ. lib. 3. tit. 22. q. 7. Nicol. q. 11. & 14. & §. 4. & q. 136. in fine, & refert Stephan. de Gaet. in d. c. ad limina §. 3. num. 43. Tabien. u. Confirm. n. 3. & S. Thom. in 4. d. 24. q. 1. art. 2. ex cuius ſententia ſciendum eſt ad perfectam quæſtionis huius explica-

7 tionem; aliquid requiri ad aliud dupliciter, primo de neceſſitate, ſecundo de congruitate; baptiſmus eſt de neceſsitate, ſine illo enim non poteſt imprimi character ordinis, quia baptiſmus eſt ianua omnium ſacramentorum, quod ſi non aperitur hæc ianua, nemo ingredi poteſt ordinis habitaculum, & ratio eſt, quia baptiſmus dicitur regeneratiuus, ex baptiſmo enim quis renaſcitur, & renouatur, ut habetur Io. 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, &c. renaſcitur vero, quia per peccatum mortuus erat, renonatur,

uatur,quia per peccatum ad nihilum redactus erat, unde non baptizatus habetur,ac ſi natus non fuiſſet, quia renatus non eſt; ſed non nato ſacramentum ordinis conuenire non poteſt,arg.leg.2.ff. de uſu fruct.& l.eius ff.ſi cert.pet.ergo non baptizatus, ac ſi natus non fuiſſet, characterem ſuſcipere non poteſt;non ita procedit in confirmatione, quia licet quis non ſit confirmatus, nihilominus ex baptiſmo renatus, habilis eſt ad ordinem ſuſcipiendum, rationi tamen non conuenit, ut priuſquam confirmetur, ordinem ſuſcipiat, ne indigne, & cum peccato munus ordinis exequatur; hinc enim prohibitio extat, ne quis non confirmatus ad ordinem accedere præſumat. Hoc ergo ſoluto articulo,ad contraria reſpondeamus.

8 Ad primum,Tunc indigemus confirmatione, quando actus non procedit à principe, quando vero ab ipſo procedit, confirmatione opus non eſt, nec conceſſum ſine tali confirmatione irritatur, ut habetur d.25.c. in nomine,ſed ſacramentum procedit à Deo,ergo non neceſſaria confirmatio de neceſsitate ordinis, ſed tantum de

9 congruitate. Accedit etiam quod naturalia, & perpetua non indigent confirmatione; character eſt ita; ergo &c.

Ad ſecundum, Robur, perfectio,& ſanctificatio ſpectat ad ordinem de congruitate, non de neceſsitate ſacramenti.

Ad tertium, Non eſt eadem ratio de confirmatione ad ordinem, quæ eſt de baptiſmo ad confirmationem, quia ſine baptiſmo non poteſt quis confirmari, ſed ſine confirmatione poteſt ordinari,dummodo ſit baptizatus.

10 Ad quartum, Negatur quod confirmatio ſit miniſtri confirmantis, eſt enim Dei, qui ſolus confert gratiam ſacramenti, miniſter præbet tantum miniſterium.

11 Ad quintum,Chriſtianus dicitur dupliciter, primo reſpectu characteris Chriſti, & hoc modo baptizatus dicitur Chriſtianus;ſecundo reſpectu militiæ, & certaminis,& hoc modo qui non eſt confirmatus nō dicitur Chriſtianus, cum non ſit miles Chriſti,ut ait Alex. de Ales.loc.cit.ad ſuſcipiendum vero ordinem ſufficit,quod quis ſit Chriſtianus reſpectu characteris Chriſti, quem aſſequimur in baptiſmo,non reſpectu characteris militiæ, qui acquiritur in confirmatione,licet character hic de congruitate requiratur,non de neceſs itate ſacramenti,

Articulus nonus.

Vtrum irregulares ſint capaces ordinis, necne.

S V M M A.

1 *Effectus ceſſatio indicat ceſſationem cauſſæ, quando verum. n. 7.*
1 *Ceſſatio bonorum morum, & ciuilitatis in homine, ſupponit ceſſationem rationis.*
1 *Matrimonio ſoluto, ceſſat dominium dotis ex parte viri.*
2 *Irregularitas inhabilitat non ſolum quoad uſum, uerum quoad ordinem, ſecundum multos Doctores, & quomodo intelligatur. n.* 8. 9. 10.
3 *Irregularitas eſt impedimentum iuris canonici.*
4 *Diſpenſatio irregularitatis in ordinatis ſupponit ordinis ſuſceptionem.*
5 *Irregularitatis tria ſunt genera, & quæ ſuſceptionem ordinis impediat, & quæ non.*
6 *Irregularitas inducta à iure poſitiuo impedit ſolum uſum, non characteris impreſſionem.*
8 *Ordinis impedimentum duplex.*
9 *Ordinis ſuſceptio dupliciter impediri poteſt.*

Sunt nonnulli, qui aſſerunt irregulares non eſſe capaces ordinis his moti rationibus.

1 PRimo, Ceſſatio effectus indicat ceſſationem cauſſæ l. rem non nouam. C. de iud. unde ceſſatio bonorum morum, & ciuilitatis in homine ſupponit ceſſationem rationis, & comparatur belluis, ut habet Gloſſ. in Aut. de monachis in 1. coll. & ſolutio, et ceſſatio matrimonij facit ceſſare dominium dotis ex parte viri, l. in rebus. C. de iur. dot. facit etiam text. in §. quod ſui inſt. de hered. qual. & diff. l. litib. & ibi Gloſſa. c. de agric. & conſit. lib. 11. ſed irregularibus ceſſat muneris adminiſtratio, quæ eſt effectus ſuſcepti ordinis; ergo eiſdem ceſſabit ordo, cuius ſuſceptio eſt cauſſa adminiſtrationis.

2 Secundo, Irregularitas inhabilitat non ſolum quoad uſum, verum etiam quoad ordinem reſpectu laicorum. ita Silu. verb. irreg. 1. & fuſius declarat Nau. de 2. ſpec. irreg. ergo irregulares non ſunt ordinis capaces.

Tertio, Id expreſſe videtur dicere Sot. in 4. d. 25. q. 1. art. 3. ubi ordinatus, ſi ſit apoſtata, ſit irregularis quoad uſum, ſi eſt laicus ſit irregularis quo ad ſuſceptionem ordinis, & allegat cap. presbyt. d. 50. & Innoc. in cap. 1. de apoſt. ergo irregularis non eſt capax ordinis.

Quarto, Idem videtur etiam dixiſſe Stephan. de Gaet. in c. ad limina

mina 30.q.1.§.1.n.66.his præciſis verbis: unde excommunicatio, & apoſtaſia, & irregulariras iuhabilitant qnempiam ad ſuſceptionem ordinis; ergo &c.

Quinto, Sexus fœmineus inducit irregularitatem, qua perſona redditur incapax ordinis. ita Nauar.c.27.de 2.ſpecie irreg. verſ. decimoquinto.

Contraria vero opinio his probari poteſt rationibus.

3 Primo, Irregularitas eſt impedimentum iuris canonici, ita Specul. de diſp.§.iuſta,& Innoc.in cap.niſi.n.7.de renunt.& Silu.& Tab.verb. irreg. 1.Nau.c.27.in princ.de irreg.ſed Eccleſia nō poteſt impedire, niſi executionem, teſte S.Thom.in 4.d.25.q.1.art.1. ergo irregulares licet de præcepto Eccleſiæ non poſſint ordinari, ſi tamen ordinātur, ſuſcipiunt characterem.

3 Secundo, Irregulares diſpenſantur, exceptis quibuſdam, ut docet Nau.loc.cit. ſed diſpenſatio in ordinatis ſupponit ſuſceptionem ordinis, ergo ſi irregularitas impediret ſuſceptionem ordinis, nō eſſet diſpenſabilis; Papa enim non diſpenſat ſupra characterem, ut ait Innoc.in c.1. de ſchiſm.

S O L V T I O.

5 AD ſolutionem huius articuli conſideranda ſunt tria genera irregularitatis. Prima eſt, quæ verſatur circa ſubſtantiam ſacramēti, ut baptiſmi defectus licet hæc improprie dicatur irregularitas, ut ait Sot.in 4. d.25.q.1.art.2. quæ irregularitas ſuſceptionem ordinis impedit etiam quoad characterem, ita ut ſi huiuſmodi irregularis ordinaretur, nihil fieret. Secunda verſatur circa priuationem vſus rationis neceſſarij ad ſacramentum, quæ duplex eſt, altera inducta à iure naturæ, ut pote perpetuo amens, ſurdus, cæcus, mutus, manibus truncus, & tunc valde dubitandum eſt, an hi, ſi de facto ordinentur, characterem ſuſcipiant, cūm ſimiles habeantur monſtris, & videtur in eis quaſi deficere ſubſtantialia, cum in illis vana ſit ordinis poteſtas; quod cum ita ſit, & à Doctoribus ieiune ſatis tranſigatur, inferius quæſtionem hanc diſcutiendam duxi. Altera inducta à iure poſitiuo, quando ſcilicet defectus non eſt perpetuus, & quando diſpen-
6 ſatur, & tunc ſi ordinantur contra præceptum Eccleſiæ, recipiunt tantum characterem, non executionem. Tertia verſatur circa priuationem aliquam membri decentis, & cōgrui, non tamen neceſſarij, & idem dicendum eſt, quod ſuſcipiunt characterem, nō autē uſum. Ad ea quæ in contrarium deducta fuerunt, nunc reſpondetur.

7 Ad

7 Ad primum, Non eſt ſemper verum, quod ceſſatio effectus procedat à ceſſatione cauſſæ, licet enim verum ſit, quod ceſſante cauſſa ceſſat effectus, tamẽ non ſequitur, & è contra, quia ceſſatio effectus aliũde deriuari poteſt, quam à ceſſatione cauſſæ; unde poteſt ceſſare effectus, & remanere cauſſa, ut in terminis ordinis clariſſime patet. Ordo igitur cum non ſit ſolum cauſſa adminiſtrationis, ſed etiam bona diſpoſitio ordinati, poteſt ceſſare adminiſtratio, remanente ordine; poteſt enim etiam à ceſſatione bonæ diſpoſitionis deriuari, ex qua irregularitas procedit; unde quando duplex eſt cauſſa proxima, & remota, poteſt ceſſare effectus à cauſſa proxima, & non remota, ita l. ſi mulier. & ibi Gloſſ. & Alb. ff. rer. amot. l. ſcripturæ §. fin. ff. ad leg. Aquil.

8 Ad ſecundum, Impedimẽtum ordinis duplex eſt, alterum quoad characterem, alterum quoad uſum; impeditur ordo quoad vſum per irregularitatem, non quoad characterem.

9 Ad tertium, Ordinis ſuſceptio dupliciter impediri poteſt, primo ex defectu alicuius ſubſtantialis actus, & tunc dicitur ſuſceptio impeditiua, quoad characterem, ſecundo poteſt impediri ex præcepto eccleſiæ, & tunc procedit argumentum, quod intelligi debet quoad uſum, non quoad ſuſceptionem.

10 Ad Quartum, Intelligendum eſt, quod irregularitas impedit ſuſceptionem de iure canonico, non diuino, ſicuti ſi impediretur ex defectu ſubſtantiæ.

Ad quintum, Duplex eſt reſponſio, prima negando, quod defectus virilis ſexus ſit proprie irregularitas, ſicuti ſuperius diximus ex ſententia Sot. ſecunda, eſto quod ſit irregularitas, iam conceditur impedimentum, quando procedit ex defectu alicuius rei ſubſtantialis, alias ſecus, ut diximus.

Articulus decimus.

Vtrum peccato obnoxius ordinem ſuſcipere poſſit, necne.

S V M M A.

1 *Anima in peccato mortali eſt mortua, quomodo intelligatur. n. 10.*
2 *Peccator comparatur iumentis, & quomodo. n. 11.*
2 *Bruta non ſunt ordinis capacia.*
3 *Sacerdos in quo eſt macula peccati prohibetur offerre oblationem domino, quomodo intelligatur. n. 12.*
4 *Accuſatus alicuius criminis, non poteſt ordinem ſuſcipere, ſi tamen ordinatur recipit characterem. n. 12.*

4 *Pæni-*

4 *Pœnitentiam agentes non poſſunt ad ordinem promoueri, ſi tamen promouentur recipiunt. n. 12.*
5 *Filij aliquando remouentur à ſuſceptione ordinis propter delicta parentum, ſi tamen ordinantur ſuſcipiunt, n. 12.*
6 *Peccatores, ſeu criminoſi poſt baptiſmum facti, non ſunt in clericali gradu admittendi, quomodo intelligendum. n. 13.*
6 *Peccatori datur medela ex gratia, quomodo intelligatur. n. 24.*
7 *Sacramẽtum ſiue per bonos, ſiue per malos miniſtros adminiſtretur, per eſt idem ſacramentum, licet mali miniſtri peccent. n. 25.*
8 *Ordinis ſuſceptio poteſt dupliciter conſiderari.*
9 *Peccator, etiam peſſimus, ſi ordinatur ſuſcipit characterem.*
14 *Peccato veniali obnoxio, non eſt prohibita ordinatio, & quare.*
14 *Peccatum mortale, aut eſt leue, aut mediocre, aut graue, aut enorme.*
15 *Peccato mortali leui irretito ante admonitionem, & contumaciam, non eſt prohibita ordinatio, ſecus, poſt.*
16 *Peccato mortali medioeri obnoxio, notorio, vel occulto, probabiliter tamen noto prohibetur ordinatio, & quare, ſecus non 17.*
18 *Peccator enormis notorius, nullo modo poteſt ordinari, ex communi ſententia, & quare.*
19 *Peccator enormis occultus, probabiliter tamen notus in iudicio prohibetur ab ordine, ſecus ſi non fuerit conuictus in iudicio, & bene pœnituerit. n. 20.*
21 *Peccator irretitus enormi crimine penitus occulto, ſpecificato tamen à iure, non poteſt ordinari ſine diſpenſatione.*
22 *Peccator enormi crimine ligatus, à iure non excepto, peracta pœnitentia, poteſt ordinari.*
22 *Crimina occulta, præter homicidium, non inducunt irregularitatem, ſecus ſi adeſt enormitas, & notitia, n. 23.*

Peccatorem, ſacramenti ordinis capacem non eſſe, his probari poteſt argumentis.

1 PRimo, Character ordinis imprimitur in anima, ut inferius dicemus, ſed anima peccatrix eſt mortua, cum per peccatum mors in eam intrauerit, & dicatur priuata vita, quæ eſt gratia Dei ad Rom. 8. ergo non poteſt ordinem ſuſcipere, qui enim mortuus eſt eſt ſuſcipiendi facultatem non habet.

2 Secundo, Qui eſt peccato ſubiectus, comparatur iumentis, & equis, ut habetur pſalm. 31. ſed bruta ratione carentia, non ſunt ordinis capacia, ergo nec qui eſt peccato ſubiectus.

Tertio, Legitur Leuit. 2. Homo de ſemine Aaron, qui habuerit maculam, non offerat panes coram domino, nec accedat ad miniſterium

ſterium eius,ſed ex Gloſſa ibi, macula intelligitur omne vitium, & peccatum,ergo aliquo irretitus vitio, nequit ordinem ſuſcipere.

3 Quarto, Eſt text. in c.ſacerdotes. 1.q.1.ubi habetur, quod ſacerdos, in quo fuerit macula, non accedat oblationem domino offerre, ergo ſi prohibetur uſus ſuſcepti ordinis, multo magis debet eſſe prohibita ſuſceptio, quæ eſt cauſſa uſus.

Quinto, Eſt text. in c. ſacroſancta. 1.q.1. ubi dicitur, criminoſis plenus actionibus reprobetur.

4 Sexto, Habetur Iſaiæ.52. Mundamini qui fertis vaſa Domini, ſed illi dicuntur ferre vaſa Domini, qui ordines, & fidelium curandas ſuſcipiunt animas, ergo peccatis immundi ordines ſuſcipere non poſſunt.

Septimo, Accuſatus de aliquo crimine, ordinem ſuſcipere non poteſt, ut ait Steph. de Gaet. c. ad limina 30 q.1.§.3.n.71. ergo multo minus criminoſus, cum calumnioſe accuſari, & abſolui poſſit.

Octauo, Pœnitentiam agentes non debent promoueri, etiam ſi eſſent boni c. ex poenitentibus. d.50. ergo multo minus peccato addicti, & poenæ obnoxij.

5 Nono, Filij remouentur à ſuſceptione ordinis propter delicta parentum. c. pen. de poenis, ergo multo magis remoueri debent propter delicta propria.

Decimo, Eſt text. in c.1 d.25. ubi dicitur, quod qui ad aliquam dignitatem eccleſiaſticam vult peruenire, à die baptiſmi ſine crimine inueniri debet, ergo, &c.

6 Vndecimo, Eſt text. in c. ſi quis omnem 1.q.7. ubi pluribus exemplis apparet, neminem in clericalem gradum recipiendum, ſi poſt baptiſmum crimen commiſit, etiam peracta poenitentia.

Duodecimo, Eſt text. in c. illud. d.50. ubi dicitur, quod licet quis per poenitentiam mundetur, non poteſt ordinari, ne qui fuit vas vitiorum, ſit inſtrumentum ſacramentorum.

Quod vero peccato mortali obnoxij, ordinis ſint capaces his affirmatur argumentis.

Primo, Peccanti omni datur remedium, ex gratia, ſed in ſacramento ordinis confertur gratia, & remedium, ergo non videtur peccatori prohibita ordinatio.

Secundo, Non reperitur maius miniſterium, quod in ſacramentis adhibetur, quam quod ipſi Chriſto Domino corporaliter adhibitum eſt, ſed non fuit ab hoc miniſterio expulſa mulier peccatrix. Luc.7. ergo peccato obnoxijs prohiberi non debet.

Tertio,

Tertio, Chriſtus Dominus tam Iudæ, quam alijs diſcipulis miniſterium commiſit, c. Chriſtus. 1. q. 1. ergo ſicuti boni, ita & mali ſuſcipiunt.

7 Quarto, Eſt text. in c. ſecularium. 1. q. 1. his verbis: Vnde ſiue per bonos, ſiue per malos diſpenſetur, ſacramentum tamen eſt, quia ſpiritus ſanctus illud viuificat, nec bonorum meritis diſpenſatorum amplificatur, nec malorum demeritis attenuatur, ergo, &c.

S O L V T I O.

8 ORdinis ſuſceptio dupliciter conſiderari poteſt; primo ratione impreſſionis characteris, & diuinæ inſtitutionis; ſecundo, ratione adminiſtrationis, & eccleſiaſticæ prohibitionis; primo modo conſiderata unuſquiſq. quouis obſtrictus crimine, etiam enormiſſimo notorie, ſi ordinatur, ſuſcipit ordinis characterem, licet executionem non habeat. ita Archid. in c. dominus. 1. q. 1. Innoc. in c. 1. de ſchiſm. & refert Franc. in add. Abb. in c. fin. de temp. ord. Io. Andr. in c. placet. de conuerſ. coniug. & refert Stephan. de Gaet. in d. c. ad limina 30. q. 1. §. 3. n. 22. demum nemo eſt, qui de hac veriſſima concluſione dubitet. ratio vero ſecundum S. Thom. in 4. d. 24. q. 1. art. 3. quem ſequitur ibidem Sot. art. 4. quia de eſſentia ſacramenti non requiritur bonitas vitæ, ſed tantum requiritur de neceſſitate præcepti. Habita ſolutione ad contraria reſpondeamus.

10 Ad primū, Ex priuatione vitæ ſpiritualis, vel gratiæ datur regreſſus ad habitum, unde licet anima propter peccatum moriatur, & impotens ad bonum agendum remaneat, adeo tamen in ſe remanet, ut non dicatur omni ex parte deiecta, vel mortua, remanet enim aliquid poſſibilitatis, ut aiunt, ſecundum quam poteſt per gratiam eleuari, & nouam ſuſcipere vitam, in qua poſſit regenerari, & reſurgere, ita Alex. de Ales. de poenit. ſacram. p. 4. q. 14. memb. 3. art. 4. immo etiam dici poteſt, quod mors ſpiritualis non impedit impreſſionem characteris, ſed executionem tantum.

11 Ad ſecundum, Peccantes euadunt belluæ comparatiue per ſimilitudinem, & ſecundum quid, non natura, & abſolute, & ſic non procedit argumentum.

Ad Tertium, Procedit ſolum in ſuſceptis, quibus uti non valet peccator, dicitur enim non offerat panes, non dicitur non offert, vel non conficit.

12 Ad quartum, quintum, & ſextum, Fiunt irregulares, & non poſſunt ordinari, ſi tamen ordinantur, ſuſcipiunt characterem.

Ad

Ad Septimum,Octauum,& Nonum,Fiunt irregulares, nec ordinari poſſunt, licet ſi ordinentur, recipiant characterem.

13 Ad decimum, undecimnm, & duodecimum procedunt illa iura de honeſtate clericorum, non de neceſsitate precepti, vel ſacramenti,ita Turrecrem. in d.c.1.diſt.25.n.2.

Si vero ſuſceptio conſideratur ratione adminiſtrationis, & eccleſiaſticæ prohibitionis, variæ ſunt Doctorum ſententiæ, adeo ut vix poſsit colligi ulla determinatio, tamen illa videtur communis re-
14 ſolutio,quæ pendet ab intellectu c.ex tenore,& c.fin.de tempor.ord. Aut enim quis reperitur in peccato veniali, & huic nullo iure prohibetur ordinatio, & ratio eſt ſecundum omnes doctores in d. c.fin.
15 quia venialia non ſuſpendunt. Aut reperitur in peccato mortali,& tunc,aut eſt in peccato mortali leui, aut mediocri, aut graui, aut enormi,iuxta communem doctorum diſtinctionem in c. ex litteris de iud. Si reperitur in leui, tunc aut ante admonitionem, & contumaciam, vel poſt; ſi eſt ante admonitionem, & contumaciam non impeditur ſuſceptio legitima; dixi legitima, quia digna impeditur, non poteſt enim digne recipi ordo cum peccato mortali, quantucunque leui,legitima non impeditur, quia nullo iure prohibetur. S. Ant. de irreg.c.6.n.12.qui enumerat quædam peccata mortalia leuia, nimirum ebrietatem,ludum, eſum carnium in diebus prohibitis,& alia ſimilia, quæ peccata ex eius ſententia, aut ſint occulta,aut manifeſta,non impediunt ordinis ſuſceptionem, per cap. noſtra.de cohabitat.cleric. & mulier. quæ opinio non adeo tuta eſt de manifeſtis,ut ex verbis d.c.probatur,ibi,& non habent operis euidentiam;& ſic limitatur in euidentibus peccatis. Si vero poſt monitionem,& contumaciam,impeditur ſuſceptio.ut habetur d. 35. c.1.
16 & ibidem Ant.quod quomodo procedat ex infra dicendis apparebit. Aut quis reperitur in peccatis mediocribus, quæ vero ſint peccata mediocria,docet Abb. in d.c. fin.de tempor. ord. ubi dicit eſſe peccata mortalia adnot.in c. unum.§.nunc autem d.25.& tunc,aut hæc peccata mortalia ſunt notoria,tunc enim ratione notorietatis non poteſt quis ordinari,quia peccata etiã mediocria per accidẽs inducunt irregularitatem, licet non natura, iuxta intellectum d.c. fin. & ibi Abb Aut hæc peccata ſunt occulta,& tunc aut ſunt probabilia, aut penitus occulta, ſi probabilia, aut eſt oblata, & recepta probabilitas,aut non,ſi eſt oblata,& recepta,non poteſt ordinari, & poteſt iuridice prohiberi, ut adnot. per Oſt.in c. quæris de ætat. & qualit. & refert & ſequitur Abb.in d.c.fin. & ratio eſt, quia huiuſmodi probabile

bile tranſit in notorium. Aut non eſt oblata, nec recepta. & tunc aut eſt peracta poenitentia, aut non; ſi non eſt peracta, poteſt moneri, ſed non cogi, ut ordinetur;debet enim tolerari, & negotium relinquendum eius conſcientiæ. ita Abb. & notanter declarat Gloſſ. & Doct. omnes in d. c. fin. n. 6. Si vero eſt peracta, tunc non eſt dubitandum, quin poſſit ordinari, quia ubi conſcientia regulatur à iure diuino tantum, & non poſitiuo, actio poenitentiæ ſemper tribuit poteſtatem ſuſcipiendi, & ſuſceptos adminiſtrandi, ita adnot. per Abb. & doct. in c. ex tenore de temp. ordin. Aut ſunt abſolute occulta, & tunc non impeditur ſuſceptio, ut omnes ſentiunt in d.c.fin. & refert Turrecrem.in c.primum. d. 25.

18 Aut quis reperitur in aliquo delicto enormi, & tunc aut hoc peccatum enorme eſt notorium,vel occultum; ſi notorium,tunc ſecundum omnes ordinari non poteſt, ſiue peracta, ſiue non peracta poenitentia,quia eſt irregularis,& indiget diſpenſatione,ita Gloſſ. Innoc. Oſt. & Abb.in d. c. ex tenore,& c. fin.de temp.ord. Archid.in c. 1.d. 50.& Turrecrem.in d.c.primum d.25.& omnes ſummiſtæ, & nouiſſime Nau.c.27. de irreg.ex delict. not. in 1. quia irregularitas ex eodem Nau.ibid.inducitur ex enormitate,& notorietate, & unum

19 ſine altero non ſufficere ex multis, quas afferuntur ab ipſo. Aut eſt occultum,& tunc aut eſt occultum, ut diſtinguitur cõtra notorium, & ſic probabile, aut eſt penitus occultum, ut diſtinguitur contra probabile; ſi probabile, tunc aut probabilitas eſt deducta in iudicio,aut non; ſi deducta tunc præciſe cogendus eſt, ne ordinetur, & ne ſuſceptis utatur; & ratio differentiæ eſt inter caſum notorium, & hunc ſic manifeſtum, quia in illo vel eſt ſequuta ſententia, & eſt confeſſus, vel eſt conuictus, vel apparet per euidentiam facti, ex quo delinquens excuſari non poteſt, ut ſi quis fuerit in fragranti crimine compræhenſus, hinc eſt quod inde ſurgit irregularitas.

Quando vero probatio ſimpliciter eſt recepta in iudicio, poteſt elidi exceptionibus, itaut non tute dici poſſit notorium; ſed ne ſcandalum quod euitari ſemper debet, oriatur in eccleſia,huic præciſe inhibendum eſt,ne ad uſum ſacramẽtorum accedere præſumat, quod probatur auctoritate Innoc.& Oſt.in d.c.ex tenore, ubi dicunt; his expectandum fore exitum iudicij, & interim abſtinendum. c. nonne.8.q.4.c.conſulendum diſt.28. ſed melius,ſi compellantur me-

20 tu poenæ, ut intelligit Abb. in d.c.fin.& hoc procedit ſiue acta, ſiue non acta poenitentia, Aut probatio non eſt deducta in iudicio, licet probari poſſit per teſtes, vel extat fama, vel extat iudicialis confeſ-

ſio,

ſio; & tunc aut eſt peracta poenitentia, aut non, ſi acta, aut vere, & recte acta, aut male, & ſimulate; ſi primo modo non impeditur ſuſceptio ordinis; ſi male acta fuerit, tunc expellendus iuxta deciſ. c. fin. illis verbis: ſub interminatione diuini iudicii obteſtandus, quod procedit etiam ſi crimen non ſit adeo enorme. Turrecrem. c. 1. diſt. 50. n. 4. quinimmo crederem in hoc caſu, quod ſi ſimulatio, & falſa poenitentia ſit in contemptum, efficitur irregularis, præcipue, quando ſimulatio colligitur ex frequenti, & continuato reditu ad vomitum peccati, ex quo ſic colligitur exercitium delicti, ut vulgi opinione pro tali habeatur. arg. l. ſciēdum. §. illud ff. de ædilit. edict. Abb. in c. primo. n. 24. de iud. & refert Nau. d. c. 27. de irreg. ex delict. not. n. 249. verſ. ad quod dico, & tunc quia apparet incorrigibilitas, ex qua prouenit ſcandalum, talis non ſolum eſt reiiciendus, & prohibendus, verum etiam iudicialiter proſequendus. Aut non eſt peracta poenitentia, & tunc debet moneri, & non cogi, ut abſtineat, & debet expectari effectus monitionis, cui ſi humiliter paruerit, & aliquo temporis ſpatio abſtinuerit, & per poenitentiam ſatisfecerit, poteſt ordinari. Si vero non paruerit, & ordines ſuſceperit, ex quo ſcandalum veriſimiliter oriri poterit; tunc prohibendus eſt, ne ſuſceptis utatur, neq. ad maiora promoueatur. c. 2. de nou. oper. nunt. Innoc.
21 in d. c. ex tenore. n. 3. ſcandalum enim ſemper eſt euitandum. Aut crimen enorme eſt penitus occultum, itaut nullo modo probari poſſit, & tunc aut eſt de exceptis, & ſpecificatis a iure, ut eſt homicidium, & ſi ſic, alligatus tali crimini, eſt irregularis iuxta communem ſententiam, & indiget diſpenſatione, ut aiunt gloſſ. Innoc. Oſt.
22 & Abb. in d. c. ex tenore, & quos refert Nau. loco cit. Aut non eſt de exceptis à iure, & tunc acta poenitentia tute accedere poteſt ad ordinationem, quidquid dicat Abb. & alij in d. c. fin. quos reprobat Nau. auctoritate Innoc. in d. c. ex tenore. Bart. Brix. in add. gloſſ. in d. c. fin. tandem de declaratione Greg. IX. teſtatur; nulla crimina occulta inducere irregularitatem, præter homicidium, & allegat text.
23 in c. is qui de ſent. excom. lib. 6. ex quibus omnibus colligitur doctrina veriſſima, quod ad inducendum irregularitatem in criminibus non exceptis, requiritur enormitas, & notitia. Aut non eſt acta poenitentia, & tunc habet Deum ultorem, cum Eccleſia de occultis non iudicet, non enim quis ſine peccato poteſt ſic ſuſcipere.

Et hæc dicta ſint ſatis ad ſolutionem huius articuli, nunc ad ea, quæ pro affirmatiua ſententia faciunt, reſpondeamus.

24 Ad primum, Peccanti, & poenitenti medela exhibetur, & gratia ſuffra-

ſuffragatur nòn obnoxijs ; & licet in grauiſſimo delicto, etiam peracta poenitentia, non ſufficiat,nihilominus diſpenſatio habentis clauium poteſtatem ſupplet poenitentiam,tegitq. ſcandalum, quod ex enormitate exoriri poteſt.

Ad ſecundum, Non valet de obſequio corporali ad obſequium ſpirituale, in corporali enim non requiritur dignitas bonæ conſcientiæ, quoad Deum,& bonæ famæ, quoad homines,ſicut requiritur in obſequio ſpirituali.

Ad tertium, Peccatum Iudæ nequaquam minuit, aut læſit commiſſum ſibi miniſterium, ſed ſuæ tantum animæ detrimento fuit, cum non digne illud ſuſceperit. Vnde non negamus peccato obnoxium ordinem poſſe ſuſcipere,ſed negamus illud poſſe digne fieri.

25 Ad quartum, Non minuitur, vel attenuatur ſacramentum, verum anima deturpatur, & ſuſcipiens corrumpitur, iudicium ſibi manducans,& bibens.

Articulus undecimus.

Vtrum furioſi ſint ordinis capaces, necne.

S V M M A.

1 *Monſtra nou poſſunt ordinari,& quare.*
2 *Rationabilitas eſt de ſubſtantia ſacramenti*
3 *Aliquid non habere, idem eſt, quod inutiliter habere,quemodo intelligatur.n.12.*
4 *Sacramentum ordinis eſt dignius ſacramento matrimonij.*
4 *Amentes matrimonium contrahere non poſſunt,& quare. n.13.*
4 *Furioſus habetur loco quieſcentis, & abſentis.*
5 *Actus cuius eſt,eiuſdem eſt potentia, in quo non procedat. n. 14.*
6 *Actus,ſiue contactus eſt de ſollemnitate ordinis neceſſaria,ſine qua non.*
7 *Vſus rationis, & conſenſus neceſſario requiritur in conſecratione Epiſcopi.*
8 *Actus ſuſcipientis in ſacramento ordinis ad ſuſceptionem characteris non requiritur, licet de neceſsitate precepti requiratur. n. 18.*
9 *Diſpoſitio ſuſcipientis non requiritur in ſacramento ordinis, quomodo intelligatur.*
10 *Rationis uſus ad ſuſceptionem characteris de ſubſtantia ſacramenti non requiritur, licet ſic de neceſsitate precepti.n. 17.*
11 *Furioſus habet rationem, uſu tamen caret.*
12 *Spiritualia veritatem attendunt,non fictionem.*
15 *Sollemnitas in ordine adhiberi poteſt ſine conſenſu.*
16 *Furioſus non poteſt eſſe Epiſcopus, & quare.*

17 *Vſus rationis defectus per accidens aduenieus in adultis, non impedit characterem, licet executionem impediat, & tales ſunt deponendi, n.18.*

17 *Epiſcopus ordinans furioſum committit ſacrilegium.*

Quod furioſi non ſint ordinis capaces, his probari poteſt argumentis.

1 PRimo, Monſtra non ſunt ordinis capacia, ut notat Sot.in 4.diſt. 25.q.2.art.2.& ratio eſt, vel quia carent legitimis membris, vel quia ſunt adeo diſsimilia humanæ figuræ, ut non iniuſte dubitari poſsit, ſint ne homines, an bruta, ſed oſtentum illud dicitur maius, quod à rationis defectu procedit, quam illud, quod ex defectu membrorum; defectus enim rationis indicat non eſſe hominem, membrorum vero eſt ſignum incertum, ergo ſi monſtra ſunt incapacia, & multo magis furioſi, & amentes.

2 Secundo, Rationabilitas eſt de ſubſtantiâ, & de neceſsitate ſacramenti, hinc eſt, quod in definitione clerici poſuimus (perſona,) quæ ſine ratione eſſe non poteſt; ex quo etiam fit, ut animantia, rationis expertia, non ſint ordinis capacia, ſed in furioſis deficit hæc eſ-

3 ſentialis qualitas; ergo, &c. Nec dicatur, quod in furioſis non deficit ratio, ſed tantum uſus rationis, quia idem eſt aliquid non habere, quam inutiliter habere, ut dicitur in l. quoties ff. qui ſatiſd. cog. l. de ætate. §. Nihil. ff. de int. act.

4 Tertio, Sacramentum ordinis eſt dignius ſacramento matrimonij, ſed ratione carentes, & amentes non poſſunt contrahere matrimonium, cum nihil recte poſsint agere. §. furioſus inſt. de inut. ſtip. & in omnibus habentur loco quieſcentis, & abſentis, l. 2. §. furioſus ff. de iur. codicill. ergo multo minus poſſunt ordinem ſuſcipere.

5 Quarto, Cuius eſt actus, eiuſdem eſt potentia, ita Ariſt. in lib. de ſomno, & vigil. c. 1. ſed actus ordinis requirit uſum rationis, ergo & poteſtas, ergo ratione carens non eſt ordinis capax, ut eſt furioſus.

6 Quinto, De ſolemnitate neceſſaria huius ſacramenti, ſine qua non requiritur certus actus, vel contactus, ſed hoc fieri non poteſt ſine conſenſu; ergo furioſi, qui conſenſum præſtare neſciunt, neq. adhibere poterunt ſollemnitatem requiſitam, & conſequenter ordinem ſuſcipere non poſſunt.

Sexto, Inter alias rationes, quibus mulier eſt incapax ordinis, fuit inſtitutio Chriſti nolentis huiuſmodi poteſtatem mulieri committere; ſed idem dici poteſt de furioſo; ergo, &c.

7 Septimo, In conſecratione Epiſcopi de neceſsitate conſecrationis, requiritur uſus rationis, & conſenſus, ut aſſerit S. Thom. d. 25. q. 2. art.

Digitized by Google

art. 7. S. Bonau. & Scot. ibid. Silu. & Tab. & refert Turrecrem. in d. c. ſubdiaconus, ſed epiſcopatus eſt ordo; ergo, &c.

Ex allatis rationibus non defuerunt, qui affirmarent, uſum rationis neceſſario requiri, alias characterem non imprimi, inter quos fuit Durand. & Rich. & alij, quos reprobat S. Thom. in 4. d. 25. q. 2. art 2. Sot. d. art. 2. Silu. verb. Ordo. §. 4. & alucinati ſunt, quia mouentur ex quorundam opinione, dicentium in ordinibus ſuſcipiendis ſuſcipientis conſenſum requiri, aliàs characterem non imprimi, quæ opiuio eſt contra communem, ut inferius quæſt. vltima art. 5. dicemus.

Affirmatiua vero ſententia his probari poteſt demonſtrationibus.

8 PRimo. Ex ſententia S. Thom. in ſacramento ordinis non requiritur actus ſuſcipientis, cum poteſtas diuinitus infundatur, & defectus uſus non impedit; ergo furioſi, ſi ordinantur, characterem ſuſcipiunt.

9 Secundo, Deducitur ex eo quod Scot. dicit; quod in ſuſcipiendis ordinibus, non requiritur diſpoſitio ſuſcipientis, dummodo non adſit fictio, vel ponatur actus contrarij obex; quæ ſententia late ponitur in c. maiores de bapt. ſed hoc locum habet in amente, quia etſi nihil agat, nullum tamen ponit obicem contrariæ voluntatis; ergo ſi ordinatur ſuſcipit ordinem. Ex his etiam multi, quos ſequuntur Hug. Archid. in d. c. ſubdiaconus, & Oſt. de temp. ord. verſ. ſed præter regulas, opinati ſunt furioſos ordinari poſſe, nec ullo modo poſſe impediri, quin ordines, etiam Epiſcopatum ipſi aſſequantur.

SOLVTIO.

10 VSVS rationis dupliciter poteſt eſſe neceſſarius, vel eſt enim de neceſſitate ſacramenti, vel de neceſſitate præcepti; ſi quæramus, an de neceſſitate ſacramenti requiratur, abſolute reſpondendum eſt, nullum rationis uſum requiri. Vnde quantumuis quis ſit mente captus, ſi ordinetur, ſuſcipit characterem, ex duabus allatis rationibus, & aliis, quæ adduci poſſent, ita tenet S. Thom. Hug. Oſt. Archid. S. Bonau. Silu. Tab. & Sot. locis cit. Vnde ad contraria reſpondetur.

11 Ad primum, Sicut oſtentum ex defectu rationis ſit maius oſtento ex defectu membrorum; negatur tamen quod in furioſis ſit defectus rationis, deficit enim tantum uſus, non ratio; unde non ſe-

quitur deficit uſus,ergo deficit id, cuius eſt uſus, & unius oſtentum, non ponit alterum, & corruit argumentum.

12 Ad ſecundum, Reſpondetur, ut ad primum, neq. obſtat quod idem ſit aliquid non habere, quam inutiliter habere, quia hæc eſt fictio ciuilis, quæ non operatur in diuinis, & ratio eſt quia in ſpiritualibus ſemper attendenda eſt veritas, & non fictio.c. tenor.c.conſanguinei.de re iud.Innoc.in c. conſuluit de iur.pat.& refert Iacob. de Zocchis in c. omnis de pœnit.&.remiſſ. n. 344. Ant. Burg. in rep.c.cum omnis.de conſt. n.142.

13 Ad tertium,Ideo furioſi non admittuntur in contractu matrimonii, quia requiritur de neceſſitate matrimonii conſenſus contrahentium, quod ſecus eſt in ordinis ſuſceptione, ubi ſolus Deus operatur imprimendo in ſuſcipiente characterem; abſq. aliquo eiuſdem ſuſcipientis actu.Turrecrem.in d. c.ſubdiaconus.

14 Ad quartum, Non procedit argumentum, ubi potentia præcedit actum, ut in caſu ubi poteſtas infunditur diuinitus, antequam executioni demandetur.

15 Ad quintum,Negatur quod ſollemnitas adhiberi non poſſit ſine conſenſu, quia pueris euenire poteſt, qui nullum ſciunt, nec poſſunt præſtare conſenſum.

Ad ſextum, Ideo à principio inſtitutionis non fuit mulieri data ordinis poteſtas, quia non erat rationi congruum, vel ne quæ erat naturaliter ſub poteſtate, haberet ſupra virum poteſtatem, ita ex communi ſententia ſuperius diximus, ſed furioſi non oriuntur natura ſubditi, ſicut mulieres; ergo ſi ordinantur recipiunt characterem, quod nequeunt mulieres.

16 Ad ſeptimum, Non mirum,ſi furioſi non accipiunt conſecrationem epiſcopatus, in conſecratione enim requiritur actus, & conſenſus conſecrantis, non conſecrandi, quia contrahitur matrimonium inter Eccleſiam, & Epiſcopum, ut docet S. Thom. S. Bonau. & alii, quos refert Turrecrem.in d.c.ſubdiaconus, & propterea furioſi non conſecrantur, & licet de facto conſecrarentur, nihil tamen fieret; quin etiam dici poſſet ſecundum aliquos conſecrationem ad epiſcopatum non eſſe ordinem,neq. characterem imprimi.

17 Si vero quæratur, An uſus rationis requiratur de neceſſitate præcepti,tunc eſt adhibenda diſtinctio, aut enim defectus uſus rationis procedit ex antecedenti aliqua indiſpoſitione, & tunc licet defectus hic characteris impreſsionem non impediat, nihilominus de neceſsitate præcepti impedit executionem; & ſic ordinatus, licet ha-

beat

beat characterem, deponendus eſt, ordinator committit ſacrilegium, conferens ordines in ludibrium tanti ſacramenti, ita Sot. in 4. diſt. 25. q. 2. art. 2. Aut defectus uſus rationis procedit ex defectu ætatis, & tunc variæ ſunt opiniones, quæ inferius diſcutientur.

Neq. obſtant adducta contraria.

18 Ad primum enim reſpondetur, quod licet ſit verum, actum ſeu conſenſum, quoad characterem ex parte ſuſcipientis non requiri, & per conſequens neq. rationis uſum, tamen de neceſsitate præcepti congruum eſt, ut accedens ad ordinationem conſentiat, & contangendo cooperetur. Vnde licet furioſus de facto ordinari poſsit, & ſit ordinis capax; de neceſsitate tamen præcepti, ſecus eſt; deponitur enim, nec executionem habet; quod idem ad ſecundum reſpondetur.

Articulus duodecimus.

Vtrum pueri, & legitimam ætatem non habentes poſsint ordinari necne.

S V M M A.

1 *Actus, conſenſus, & diſpoſitio ſuſcipientis, non ſunt neceſſarij ad ſuſceptionem characteris.*
2 *Obex contrariæ voluntatis impedit ſuſceptionem characteris.*
3 *Ordinatus ante tempus legitimum, vere eſt ordinatus, & ad alios ordines promoueri poteſt.*
4 *Sapientis eſt futura prædicere.*
5 *Ordo habet votum continentiæ annexum.*
5 *Puer ante annos diſcretionis vouere non poteſt.*
6 *Ordinatio ante legitimam ætatem prohibetur ex præcepto Eccleſiæ. n. 9.*
7 *Ordo quoad characteris ſuſceptionem, non requirit uſum rationis, licet ſic de præcepto, etiam quoad ordines minores hodie. n. 10.*
8 *Pueri ordinati an teneantur ad obſeruantiam voti continentiæ, & quando obligentur.*
8 *Votum requirit conſenſum ſine quo non.*

Affirmatiua huius articuli ſententia, multis poteſt defendi rationibus.

1 PRimo, Secundum ea, quæ ſuperius dicta ſunt, in ſuſcipiendis ordinibus non requiritur actus, vel conſenſus ſuſcipientis; poteſtas enim diuinitus infunditur per impreſsionem characteris, & ex ſupranaturali infuſione deriuatur actus poſterior, qui licet ceſſaret, ſemper tamen ſupranaturalis infuſio remanet; & ſic non requiritur

ritur uſus rationis, & ætas legitima; unde ſi pueri ordinentur, characterem ſuſcipiunt.

2 Secundo, Ex ſententia Scot. nulla requiritur ſuſcipiẽtis diſpoſitio, dummodo non ponatur obex contrariæ voluntatis, ſed in puero neutrum eſſe poteſt; ergo eſt ordinis capax.

3 Tertio, Facit text. in c. 1. de cler. per ſalt. promot. ubi ſi quis ordinatur ante tempus legitimum, & etiam diſcretionis, non iteratur ordinatio, ſed permittitur ad alios ordines promoueri, quod fieri non poſſet, ſi pueri ordines capaces non eſſent.

4 Quarto, Sapientis eſt futura præuidere, ſed contingit, quod qui ætatem legitimam non habet ſit diſcretus; ergo prouidentia eſt, quod ordinetur puer, & interim executio ſuſpenditur, donec ad legitimam peruenerit ætatem.

Sed in contrarium, & veritati conformia hæc faciunt,

PRimo, Rationes deductæ in ſuperiori articulo; ex quibus rationis uſum in ſuſcipiendis ordinibus requiri demõſtratum eſt, poſſunt applicari, quas rationes non eſt, ut hic repetamus.

5 Secundo, Qui ordinem ſuſcipit, continentiam promittit; ordo enim habet votum annexum, ut habetur diſt. 45. de iud. ſed puer ante annos diſcretionis vouere non poteſt, ergo nec ordinem ſuſcipere, cum unum ſine altero eſſe non poſsit.

6 Tertio, Faciunt multa iura prohibentia talem ordinationem ante legitimam ætatem. c. in ſingulis diſt. 77. & c. nullus. de temp. ord. in 6. clem. generalem de æt. & qual. ord. & refert Silu. verb. ætas.

SOLVTIO.

RAtionis uſus, ut ſuperiori articulo diximus, dupliciter neceſſarius eſſe poteſt, vel enim requiritur de neceſsitate ſacramenti, vel de neceſsitate præcepti; ſi quæramus, an de neceſsitate ſacramenti requiratur, tunc duæ ſunt opiniones, prima eſt illorum, qui dicunt, de ſubſtantia ſacramenti requiri uſum rationis, quam ſententiam ſequitur Durand. & refert Ricch. ſed hæc opinio eſt com-

7 muniter reprobata, ut refert Turrecrem. in d. c. ſubdiaconus. Et quod uſus rationis non requiratur, & ætatis defectus characterem non impediat, ſentiunt Silu. Tab. & omnes ſummiſtæ, & ut veram ſequuntur Gemin. & Archid. in c. ſollicitudo diſt. 4. Card. in Clem. fin. de ætat. & qualit. Abb. & Franc. in c. litteris de temp. ord. Et ad argumenta Durand. ſatis docte reſpondet Sot. loc. cit. Ad illud vero,

quod

quod de voto annexo dicebatur, multipliciter reſpondetur; & primo, quidam negant ordini eſſe annexum votum, ſicut plures hanc ſententiam ſequutos refert Ricch. ſed hæc reſponſio nō placet, quia
8 iura ſunt expreſſa. Alii dicunt, quod pueri ordinati non tenentur ad obſeruantiam voti continentiæ, votum enim requirit conſenſum, ſine quo cum pueri fuerint ordinati poſſunt matrimonium contrahere; ita Palud.diſt.25 q.3. Imol.in clem.generalem de ætat. & qual. Sot.d. art. 2. Alii dicunt, quod cum pueri ordinati peruenerint ad doli capacitatem, tenentur abſolute ſatisfacere voto, quaſi tunc teneantur exequi, quando ordines exerceri poſſunt, & non prius. Gloſſ. 1.q.1. quam ſequitur Franc.in d. clem. general. & Pet.de Pal. ibi num.16. Alii vero dicunt, quod pueri ordinati, cum peruenerint ad legitimā ætatē, tenentur reclamare, & proteſtari nolle votum obſeruare, & ordinem exercere, quo caſu licet habeat uerūm ordinem, non tenetur tamen continere, ita ſentiunt Io. And. & Io. de Lign. in d.c.1.de cler.per ſalt.prom. Alii demum dicunt, quod ſi pueri cum peruenerint ad legitimam ætatem voluerint clericali dignitate, ac priuilegio gaudere, continere tenentur; ſi uero noluerint, non tenentur; ita Nicol Sicul. Inn. Oſt. quos refert Stephan. de Gaet. c. ad lim.30.q. 1.§.3.num.56. quæ reſponſio videtur melior.

9 Quare non obſtant tot iura prohibentia ordinationem ante legitimam ætatem, licet enim verum ſit de neceſsitate præcepti, de neceſsitate tamen ſacramenti non procedit; non enim illa iura dicunt pueros ordinatos non recipere characterem; quinimmo omnes admittunt ſuper ætate non poſſe diſpenſari, niſi à Papa; ergo non negatur, quin imprimatur character.

10 Si vero quæramus, an de neceſsitate præcepti ſit rationis uſus, tūc etiam duæ ſunt opiniones; prima, quod defectus rationis, vel ætatis non impedit impreſsionem characteris, neq. exteriorem ordinationem, ſed tantum hoc impeditur de honeſtate, & congruitate, ita S. Thom.Scot.S. Bonau. Sot. Turrecrem. & alii, quos refert Silu. verb.ordo 4.§.1. Altera eſt, quod licet uſus rationis, & ętas non requiratur de neceſsitate ſacramenti, requiritur tamen de neceſsitate præcepti, quæ opinio ſublata eſt per clem. 1.de ætat.& qualit. ubi etiam in minoribus ordinibus præfinitum eſt tempus ætatis, & ſuper his non poteſt, niſi Papa diſpenſare; ita Archid. Paul. Imol. in c.fin.de temp.ord.in 6. & refert Stephan.de Gaet.in d. c. ad lim. §.3.n.56.

Neq. obſtant ea, quæ in contrarium allata ſunt; nimirum ratio-

nis uſum non requiri; probant enim illud procedere de neceſsitate præcepti, non autem de neceſsitate ſacramenti, quia, ut ſuperius diximus, ſi quis ante legitimam ætatem ordinetur, reciperet characterem, non autem executionem, unde ordinator pænam non euaderet, licet ordinatio iteranda non eſſet.

Articulus decimus tertius.

Vtrum corpore vitiati ut ſunt qui naſcuntur ſine manibus, muti, cæci, vel quouis modo carentes aliquo membro, vel parte; & alii, de quibus toto tit. de corpore vitiatis, ordinari poſſint, necne.

S V M M A.

1 *Potentia, quæ ad actum dirigi non poteſt fruſtra eſt.*
2 *Quæ ſunt de iure naturæ nec tolli, nec diſpenſari poſſunt.*
3 *Matrimonium ſine membris neceſſarijs non contrahitur. & contractum diſſoluitur. & quomodo intelligatur. n.38.*
4 *Manus mutilatio impedit promotionem ad ſacros ordines, & enormis dicitur defectus.*
5 *Corporis vitia includuntur inter defectus, impedientes ordinis promotionem.*
6 *Damna in corpore perpeſſi, non debent ad ſacros ordines aſpirare.*
6 *Defectus corporis per accidens contingens eſt minor naturaliter eueniente.*
7 *Mutilans ſeipſum non poteſt ordinari, etiamſi id ad reprimenda incentiua faceret. n.8. Nec ſi culpa ſua accidit mutilatio ex indignatione, & nimio dolore dans operam rei illicitæ, ſi eſt membrum totum abſolute vitiatum non poteſt promoueri, & promotus eſt reijciendus. n.31.*
9 *Vnus oculus ſufficit ad officium ſacerdotale exequendum.*
10 *Membris ſuperfluus impedientibus ordinis exercitium non poteſt ad ſacros ordines promoueri.*
11 *Corpore vitiati in veteri lege non poterant Deo panem offerre.*
12 *Defectus ſexus, & religionis impedit ordinis ſuſceptionem,*
13 *Vitia animi, & peccata non impediunt ordinis ſuſceptionem, & n.41.*
14 *Origenes caſtrans ſeipſum, & S. Marcus amputans proprium pollicem fuerunt vere ordinati. n.15. & quare. n.42.*
16 *Defectus diſcretionis non impedit ordinationem, & quomodo intelligatur. n.43.*
17 *Afflicto non debet addi afflictio n.27. & n.44.*
18 *Negotio ruſtico dans operam, ſi ſe percuſſerit, ei non prohibetur ordinatio.*
19 *Epiſcopatus non denegatur illi, cui per inſidias abſciſſa ſunt virilia, vel*

vel à medicis ob ſanitatem, etiam ſi cum defectu remanſerit. n. 20.

21 *Amputatio digiti caſu accidens, non impedit ordinationem, ſi tamen accidit in duello, etiam cum ſua culpa, cum illo poteſt diſpenſari. n. 22*

23 *Oculo maculatus poteſt promoueri ad Epiſcopatum.*

24 *Corpore vitiati, etiam perpetui, ſi ordinantur ſuſcipiunt characterem. n. 36 & 40. & 41.*

25 *Corpore vitiatus ante ordinationem infirmitatis cauſſa, ſi non deformis, neq. impotens fuerit poteſt ordinari, ſecus ſi eſt impotens etiam iuſta de cauſſa. n. 26. licet ſit quoad aliquas functiones potens. n. 28. ſi vero poſt ordinationem, & in totum impotens, ſi ſit ſimplex ſacerdos, eſt in totum repellendus, ſi beneficiatus, non debet repelli à beneficio. ſi adhibeatur adiutor. n. 27. ſi vero non in totum poteſt exercere illas functiones, ad quas eſt potens. n. 28.*

29 *Corpore vitiati ſi nimium deformes non debent ordinari, & promoti non debent ordines exercere.*

30 *Deformitas, & impotentia differunt, & quomodo.*

30 *Ordinato, ſi deformis, poteſt à Papa diſpenſari, difficilius vero ordinando.*

30 *Deformitas parua non impedit ordinationem, ſi iuſta de cauſſa proceſſit.*

31 *Deformis notorius non eſt ordinandus, & ordinatus eſt reijciendus, etiam ſi ſit potens. n. 33. ſecus ſi eſt occultus, & deformitas ſit parua, ex communi.*

34 *Potentia quotuplex, quid ſit, quomodo hoc loco dicatur, & intelligatur; & quid efficiat. n. 35. & 36.*

37 *Iura prohibentia ordinationem corpore vitiatis, quomodo intelligenda.*

45 *Corpore vitiatis permittitur ordinatio à iuribus, & quare.*

Negatiua huius articuli pars, ſic videtur defendi poſſe.

1 PRimo, Fruſtra eſt potentia illa, quæ non poteſt dirigi ad actum, ut ait Ariſt. lib. 1. de cælo text. 22. ſed ſi diceretur corpore vitiatos eſſe capaces ordinis, ſequeretur poteſtatem hanc inanem eſſe, poteſtas enim ad exercitii actum redigi non poſſet; cum ſine manibus, loquela, & aliis neceſſariis membris, ordine uti nemo poſſit; dicendum ergo eſt, ne abſurdum ſequatur, his poteſtatem non infundi.

2 Secundo, Huiuſmodi corporis defectus impediunt ordinis ſuſceptionem de iure naturę, vel diuino, ut ait Sot. in 4. diſt. 25. art. 2. in princ. & art. 3. verſ. ſec. concl. ſed quæ ſunt de iure naturæ, vel diuino tolli non poſſunt, nec diſpenſari, ut in 2. articulo diximus, ergo membris hiſce carentes perpetuo ſunt incapaces.

3 Tertio

3 Tertio, Sicuti ſine membris neceſſariis matrimonium contrahi non poteſt, & contractum diſſoluitur, ita ſine membris neceſſariis ad exercendam ordinis poteſtatem, nemo poteſt ordinari, & ſicut ob defectum membrorum matrimonium ceſſare poteſt, ſic ſacramentum ordinis, cum nulla ſit rationis diuerſitas.

4 Quarto, Eſt text. in c. Expoſuiſti de corp. vitiat. ubi manus mutilatio vocatur enormis defectus, & impedit promotionem ad ſacros ordines.

5 Quinto, Idem probatur expreſſe in c. 1. diſt. 55. ubi enumerantur omnes defectus impedientes promotionem ad ſacros ordines, inter quos includuntur corporis vitia.

6 Sexto, Eſt text. in c. pœnitentes. diſt. 55. ubi qui damna in corpore perpeſſi ſunt, non debent ad ſacros ordines aſpirare, ex quo fit, ut non ſolum qui naſcuntur, verum etiam, qui caſu infirmantur, quod eſt minus, cum non natura, ſed ex accidenti euenerit.

7 Septimo, Eſt text. in c. ſi quis. eadem diſt. ubi ſi quis ſeipſum abſciderit, vel vitiauerit, vel aliquod proprium membrum amputauerit, ordinari non poteſt.

8 Octauo, Eſt text. in c. hi qui. eadem diſt. ubi neſciens carnis vitio reſiſtere, ſi abſciderit, non poteſt ordinari; ergo multo minus; qui incumberet operæ illicitæ, ſi faciens cauſſa placendi Deo prohibeatur.

9 Nono, Eſt text in c. euangelica. eadem diſt. ubi is, cui oculus erutus eſt, etiam caſu, & nolenti, non poteſt ordinari, & nihilominus ſacerdotale officium exercere poſſet, cum unus ſufficiat oculus, quanto magis inhibendus eſt is, qui membris, ſine quibus munus exerceri non poteſt, caret.

10 Decimo, Eſt text. in l. item Offilius. ff. de ædilit. edicto, ubi non ſolum qui caret membris, ſed qui ultra naturam abundaret, dummodo ſuperfluum impediret, quominus ordinariis abundans uti valeret, cum hi, veluti monſtra promoueri non debeant.

11 Vndecimo, Leuit. 21. legitur, quod in corpore vitiati non poterant panem offerre Deo, & habetur c. 1. diſt. 39. ergo ſi in veteri lege prohibitum erat, ubi tantum erat figura, ergo multo magis prohibitum eſſe debet in noua, ubi eſt figuratum.

Affirmatiua vero pars ſequentibus corrobatur.

1 PRimo, Duo tamen defectus, ut diximus, impediunt ordinis ſuſceptionem; alter eſt defectus ſexus virilis; alter religionis; ſed quod-

quodcunque corporis vitium non eſt de his duobus; ergo non poteſt impedire ordinis ſuſceptionem, itaut corpore vitiati dicantur incapaces.

13 Secundo, Si animi vitia, ut ſunt omnia peccata, etiam grauiſſima, non impediunt ordinis ſuſceptionem, ut ſuperius concluſum eſt, multo minus poſſunt impedire corporis vitia, cum non in corpore, ſed in anima imprimatur character.

14 Tertio, Legitur de Origene, qui ſemetipſum caſtrauit; quod poſtea presbyter factus eſt.

15 Quarto, Idem legitur de S. Marco, qui ſe tanti miniſterij adminiſtratione indignum iudicans, proprium amputauit pollicem; & tamen ordinatus eſt.

16 Quinto, Defectus diſcretionis non impedit, quin quandoq. ante annos diſcretionis, quis ordinetur; ergo multo minus defectus corporis, cum ad ordinationem multo magis diſcretionis integritas requiratur, quam corporis.

17 Sexto, Afflictio non debet addi afflicto. l. Diuus. ff de off. præſ. ſed corporis vitium eſt afflictio, ergo non eſt bis affligendus, denegaudo illi ordinationem.

18 Septimo, Eſt text. in c. qui partem diſt. 55 ubi, ſi quis dans operam alicui ruſtico negotio, ſe percuſſerit, non propterea prohibetur ei ordinatio.

19 Octauo, Eſt text. in c. eunuchus. eadem diſt. ubi ſi alicui per inſidias abſciſſa ſunt virilia, poteſt fieri Epiſcopus; facit etiam text. in c. ex parte. de corp. vitiat.

20 Nono, Eſt text. in c. ſi quis in infirmitate. eadem diſt. ubi ſi quis à medicis talem pateretur inciſionem, ut claudus remaneret, huic non prohiberetur ordinatio.

21 Decimo, Eſt text. in c. lator. eadem diſt. ubi ſi quis caſu ſibi digitum amputaret, non excluderetur à clero.

22 Vndecimo, Eſt text. in c. 1. de corp. vitiat. ubi ſi quis in duello etiam ſua culpa amitteret digitum, cum hoc diſpenſari poſſet, ergo multo magis ubi non ineſt culpa.

23 Duodecimo, Eſt text. in c. 2. ibid. ubi habens maculam in oculo, poteſt ad Epiſcopatum promoueri.

S O L V T I O.

Quærere, an corpore vitiati, ſint ordinis capaces, necne, poteſt dupliciter intelligi. Primo reſpectu impreſſionis characteris;

24 ćteris; & hoc modo idem eſt quod quærere, an corporis integritas de ſubſtantia ſacramenti requiratur, & ſic abſolute conſiderando, dicendum eſt, nullum corporis vitium, quodcunque illud ſit, etiam perpetuum ordinis exercitium impediens, efficere poſſe, quin character non imprimatur, ſi de facto huiuſmodi vitiatæ perſonæ ordinarentur, licet grauiter peccarent, & ordinator pœna plecteretur. & ratio eſt, quia integritas, & perfectio corporis non eſt de ſubſtantia ſacramenti, ſicuti rationibus pro affirmatiua parte adductis perſuadetur; ſic S. Thom. in 4. diſt. 25. q. 2. art. 2. in fine, quem ſequitur Sotus ibid diſt. eadem. q. 1. art. 3. verſ. 2. concl. Spec. de bigam. Archid. diſt. 34. c. lator. & diſt. 44. c. quiſquis. Card. in clem. 2. de ætat & qualit. Turrecrem. diſt. 45. c. priſcis. num. 2. Rot. deciſ. 452. & omnes ſummiſtæ verb. corpore vitiatus; de qua concluſione dubitandum non eſt.

Secundo modo poteſt intelligi reſpectu præcepti Eccleſiæ, & tūc, aut quis eſt corpore vitiatus ſponte, aut caſu; ſi ſponte, aut ex iuſta cauſſa, aut ex iniuſta, ſi iuſta cauſſa, ut puta, ſi infirmitatis curandæ cauſſa, à medicis membrum aliquod ſecatum fuerit, vel vitium aliud remanſerit; & tunc, aut ex tali vitio proceſſit deformitas, aut 25 impotentia, aut neutrum; ſi neutrum, tunc poteſt promoueri. c. ex parte, & ibi Gloſſa. de corp. vitiat. facit etiam text. in c. ſi quis à medicis, & c. ſi quis pro ægritudine, & c. ſi quis in infirmitate diſt. 55. ſic etiam Abb. Henric. Boich, Turrecrem in d. c. ſi quis a medicis n. 1. Ioann. Franc. Pau. de viſit q. 7. n. 2. Oſt. Ang. Silu. Tab. verb. corpore vitiat. & omnes, quos viderim, hanc admittunt concluſionem. Si vero ex vitio ſpontaneo, & iuſta de cauſſa deriuatur impotentia, ut puta ſi manus, vel aliquis digitus eſt amputatus, vel mutilatus, & tunc, aut quæritur ante ordinationem, aut poſt; ſi ante, remanens impotens ordinari non poteſt; facit text. in c. fin. de corp. vitiatis in illis verbis: quatenus ſi ad frangendum Euchariſtiam ſit in pollice 26 ipſo potens, ergo à contrario, ſi non, eſt potens non ordinetur. Gloſſa, & Doct. communiter. d. c. fin. quinimmo Sot loc. cit. ſentit, quod hæc impotentia impedimentum afferat de iure naturæ, itaut diſpenſabilis non ſit, cum præcipue ordinatio tendat ad Miſſarum celebrationem, ad quam functionem, ſi quis ſit inefficax, promoueri non poteſt; ſi vero vitium contingat poſt ordinationem; tunc aut impotentia eſt reſpectu uniuerſi, ut ſi mutus remanſerit, aut reſpectu alicuius tantum partis; ſi reſpectu uniuerſi, & tunc, aut eſt ſimplex ſacerdos, aut beneficiatus, & in aliqua dignitate conſtitutus; ſi

ſimplex

27 ſimplex ſacerdos, tunc in uniuerſum repellitur, ſi beneficiatus, tunc non priuatur beneficio, vel dignitate, ſed datur illi adiutor, & ex fructibus utriq. ſubuenitur.c. 3. & ibi Gloſſa, & Abb. de cler. ægrot. facit etiam text.in c.præcepta.diſt.55.Gloſſ. & Abb. in c. expoſuiſti.de corp.vitiat.S. Ant.in ſumm.de irreg.c.3.num. 2. Aut eſt aliquis impotens reſpectu alicuius functionis, ut puta, ſi ſit cæcus, vel pollicem habeat amputatum, vel manum, vel pedem,vel aliud ſimile deficiat, ut nullo modo celebrare, vel Euchariſtiam frange-
28 re valeat, licet alias functiones exercere poſſit, & tunc ante ordinationem non poteſt quis promoueri; & ratio eſt, quia licet quaſdam valeat exercere functiones, nihilominus, cum ordo præcipue inſtitutus ſit propter ſacerdotium prohibetur in uniuerſum, cum, quod præcipuum eſt, adimplere non valeat. S. Ant.de irreg.c,5.n.2. ſi poſt ordinationem, tunc ordinato prohibetur celebratio miſſarum, & permittitur aliarum functionum exercitium, ut confeſſionem audire, prædicare, & alia, in quibus non eſt à vitio impeditus. facit text.in c.ſignificauit & ibi Gloſſ.& Doct.de corp.vitiat. & c. euangelica. diſt.55. & ibi Gloſſ. Archid.Abb. Turrecrem. in d. c. ſignificauit.eadem diſt. & ſummiſtæ verb.corp. vitiat. In promoto vero ratio eſt, quia afflictio afflicto addenda non eſt.

Aut ex vitio oritur deformitas, & tunc, aut deformitas eſt magna, aut parua, aut dubium eſt an ſit magna, vel parua; ſi magna,
29 ut naſus inciſio, deformis cicatrix, monocolus, claudus, gibboſus, leproſus, & id genus reliqua, quæ ſcandalum generare,& nauſeam mouere poſſunt, & tunc abſolute de iure dicendum eſt, ſimiles non poſſe promoueri, & promotos repellendos, facit text. in c. euangelica.diſt.55.& c.nullus epiſcop.de conſ.diſt.1.Gloſſ. & Abb. in c. fin. de corp.vitiatis.Oſt.in ſumm.eod.tit.& omnes ſũmiſtæ verb. corp. vit. Henric. Boich.Turrecrem.in d. c. 1.diſt. 55. & eſt communis doctrina; & ratio eſt, quia in promouendo non ſolum requiritur habilitas in exercendo, verum perſonæ claritas,ut dignius exercere valeat, & ſicuti impotentia reddit aliquem inhabilem, ſic deformitas reddit aliquem indignum exercitio tali ſacramenti; ita S.Thom. in 4.diſt.25.q.3.art.2.refert, & ſequitur Sot.ibid.art.3.verſ. 2.concl. & Turrecrem.in d.c.1.diſt.55. Hęc vero eſt differentia inter deformitatem, & impotentiam; impotentia enim non eſt diſpenſabilis, quia de iure naturæ, ut docte ſatis Sot.loc.cit. demonſtrat, & tradit Nau. de 2.ſpecie irreg.in non bibente vinum, deformitas vero quandoq. ex cauſſa diſpenſatur à Papa, ſed difficilior eſt diſpenſatio in

ordi-

ordinando, quam in ordinato; ita Inn. in c. ſignificaſti, & ib Gloſſ. Abb. & alii de corp. vitiatis. Aut eſt parua deformitas, aut aliud minimum, & tunc non impedit, quin promoueri poſſit, & ad hoc facit text. in c. ſi quis in infirm. diſt. 55. facit etiam textus ſec. Gloſſ. & Doct. in c. fin. de corp vit. & ibi Abb. Archid. & Turrecrem. in d. c. 1. allegat c. eunuchus. eadem diſt. S. Ant. de irreg. c. 5. Io, Franc. Pauin. de viſit. q. 6. n. 21. Stephan. de Gaet. d. c. ad limina §. 2. n. 77. & omnes ſummiſtæ, quod intelligendum eſt in caſu, in quo proceſſit iuſta cauſſa, vel non adfuit culpa. Aut eſt dubium, an ſit magna deformitas, vel non; & in hoc caſu recurrendum eſt ad arbitrium Epiſcopi; ita Inn. in c. 1. de corp. vit. Oſt. in ſumm. eodem tit. Ang. &
31 Silu. ſuis locis. per text. in c. 2. eadem diſt. Aut quis eſt corpore vitiatus culpa ſua, & iniuſta cauſſa, ut puta, ſi ex indignatione, vel nimio dolore, operam dans rei illicitæ, ut ſi in duello per ſe oblato, vel alio modo ſubſequuto, præter inculpatam tutelæ defenſionem, vel inuentus cum uxore aliena cæſus fuerit, cum membri alicuius abſciſſione, vel etiam ſi quis carnale vitium fugiens virilia amputauerit, & tunc eſt vitiatum totum membrum, aut aliqua pars, aut tentatum fuit, præter ſanguinis effuſionem. Si totum, tunc communiter, & abſolute concludunt Doctores non poſſe promoueri, & promotum repellendum; facit ad hoc text. in c. ſignificauit de corp. vitiat. c. ſi quis, & ſeq. diſt. 55. Oſt. in ſumm. eodem. tit. Inn. in d. c. ſignificauit, & Abb. in c. ex parte. de corp. vit. S. Ant. de irreg. c. 5. Franc. Pau. de viſit. q. 6. n. 21. Nau. de 2 ſpecie irreg. in princ. & ratio eſt ſec. Gloſſ. Oſt. & alios, quia eſt ſui homicida d. c. ſi quis, cum Gloſſa, vel nimis crudelis, vel cum alienam inuaſerit; nemo enim eſt dominus membrorum ſuorum. l. liber homo ff. ad leg. Aquil. vel quia
32 videtur Deum redarguere, quod plus in eo creauerit. Aut contingit vitium in parte alicuius membri, non in toto; & tunc, aut eſt in membro apparenti, ut in vultu, manibus, &c. & tunc propter notorietatem non promouetur arg. c. fin. de temp. ord. Oſt. quem refert Abb. in d. c. ex parte. n. 5. Nau. de 2. ſpecie irreg. verſ. 2 allegat Ant. & Card. c. 2. de corp. vit. Aut eſt in parte non apparenti, & tunc aut deformitas, ſeu impotentia proceſſit, aut nulla impotentia, ſeu deformitas deriuatur, tunc non poteſt ordinari, & promotus iuſta ſuperius allegata, repellitur; ſi nulla, tunc ſunt duæ opiniones; prima illorum, qui dicunt, quod ſi quis manus in ſeipſum iniiceret voluntarie eſt irregularis, etiam ſi nihil, vel aliquid quantumcumque modicum amiſerit, ut ſi dentem extraxerit, quia militant

ſupra-

33 ſupradictæ rationes, ut refert Abb. loco cit. Altera eſt eorum, qui hanc adhibent diſtinctionem, aut enim eſt notorium, quod in iuſta cauſſa in parte occulta vitiatus eſt, & tunc promoueri non poteſt. ita Hug. Inn. in d. c. ſignificauit, quos refert Abb. in d. c. 2. ibid. Ant. & Card. quos refert Nau. de 2. ſpecie irreg. Aut eſt occultum, & tunc non impeditur, quin promoueri poſſit, & hæc eſt vera & communis opinio. Quæ omnia intelligenda ſunt de rigore iuris, cum aliter procedat de iure diſpenſationis. d. c. 1. & c. ſignificauit de corp. vit Henr. Boich in c. fin. eod. tit. Si vero præter ſanguinis effuſionem non fit irregularis, ut omnes dicunt, & facile diſpenſatur, ſi ſit notorium. Hac data ſolutione ad argumenta primo, quæ pro parte negatiua adducta fuerunt, reſpondeamus,

34 Ad primum, Duplex eſt potentia in ordinato, altera eſt diuina, quæ intrinſece diuinitus infunditur, per impreſſionem characteris, & hæc redigitur ad ſuum actum impreſſionis; altera eſt extrinſeca, quæ naturalis dicitur, & eſt illa habilitas, & aptitudo clericale munus exercendi, quando enim quis aliquo corporali vitio eſt impeditus, quin exequi officium poſſit, tunc potentia illa naturalis ex accidenti fit irredigibilis ad ſuum actum exercendi officium; potentia vero diuina redigitur vere ad actum impreſſionis, non obſtante, ut ita dicam, irredigibilitate naturalis potentiæ, cuius actus eſt officij exercitium, quæ non immediate ſequitur diuinam potentiam, ſed naturalem, ex cuius defectu deficit actus, & ex defectu unius non ſequitur alius; & ſic non procedit argumentum.

35 Vel ſecundo dici, quod concluſio procedit in potentiis naturalibus, quæ ſi non redigantur ad actum, ſunt inanes, ſed diuina potentia ſemper eſt redigibilis ad actum; licet enim quis mutus naſcatur, & à natiuitate ſit cæcus, nemo dixerit, quin Deus, & loquelam muto, & cæco viſum donare poſsit, ſicut ſæpiſsime factum eſſe eius admirabili potentia conſtat. Vnde nunquam fruſtra dicetur poteſtas ordinis, etiam ſi daretur alicui perpetuo amenti, vel cæco, vel muto, cum diuinitus hæc impedimenta deleri poſsint.

36 Vel tertio reſponderi poteſt, quod huiuſmodi vitia, quantumuis perpetua contingentia ſunt, non naturalia, quia ſi quis naſcitur cæcus, mutus, ſine manibus, non natura, ſed caſu ſic naſcitur unumquodq. enim natura ſua perfectum naſcitur, imperfectio vero eſt ex accidente, ex quo fit, ut tanquam accidentia non mutent ſpeciem, nec ſubſtantiam, & ſic non impeditur ex accidenti ordinis impreſ-

ſio,

ſio, cum quod eſt de ſubſtantia ſacramenti non deficiat, nimirum naturalis perfectio, ſexus, & baptiſmus.

37 Ad ſecundum, Aliquod impedimentum eſſe de iure naturæ, dupliciter poteſt intelligi; primo, quoad impreſsionem characteris, ut defectus virilis ſexus, baptiſmi, &c. ſecundo quoad uſum, & exercitium, ut priuatio loquelæ, manuum, viſus, & hoc ſecundum licet ſit de iure naturæ indiſpenſabile, tamen characteris impreſsionem non impedit, ut ſcite Sot. loco cit. declarat.

Ad tertium, Retorquetur; licet enim ſine membris neceſſariis non contrahatur matrimonium; ſi tamen ignoranter contrahatur matrimonium tenet, donec diſſoluatur; ſic dicendum in propoſito, licet corpore vitiatus ordinari non debeat, ſi tamen de facto ordinetur, imprimitur character. Præterea differentia eſt inter matrimonium, & ordinem, matrimonium enim propter impedimentum dirimi poteſt, impreſsio vero characteris nunquam, cum ſit indelebilis.

39 Ad quartum, quintum, ſextum, ſeptimum, octauum, nonum, decimum, & undecimum, Illa iura tantum prohibent ordinationem faciendam corpore vitiatis, ſed non diſponunt, quod ſi de facto contra prohibitionem ordinentur, non ſuſcipiant ordinem; prohibitio enim fundata eſt, aut in deformitate, quæ eſt contraria claritati, dignitatique perſonæ, vel in impotentia, quæ reddit inhabilem, vel in culpa, quæ facit indignum; deleta deformitate, impotentia, & culpa, aufertur etiam ſecundum illa iura prohibitio.

Ad ea vero, quæ pro affirmatiua parte allata ſunt, ſic reſpondetur.

40 AD Primum, Duplex poteſt eſſe impedimentum, ut ſuperius diximus, alterum reſpectu characteris, & de hoc non agitur; corporis enim vitia non impediunt characterem; alterum eſt reſpectu uſus, & hoc ex corporis vitio deriuari poteſt.

41 Ad ſecundum, Non admittimus corporis vitium impedire poſſe characterem, ſicuti nec peccata, ſed tantum uſum, ut pariter peccata.

42 Ad tertium, & quartum, Procedunt de iure diſpenſationis, non de rigore iuris, de quo prohibitum eſt.

43 Ad quintum, Ante tempus diſcretionis quis ordinatur de facto, non de iure, quod conceditur quoque in corpore vitiato.

44 Ad ſextum, Quando non culpa ſua quis affligitur, tunc non debet bis affligi; & eo caſu poteſt ordinari, niſi deformitas, vel impoten-

tia

tia ex vitio appareat, ut ſuperius dictum eſt; tunc enim alia de cauſſa prohibetur, ſed ſi culpa ſua ex poena poteſt afflicto addi afflictio, l.Romanius Appulus ff. de tut.& curat. l. ſi ſeruus §. idem Iulianus iuncta gloſs.ff.de euict.

45 Ad ſeptimum, octauum, nonum, decimum, undecimum, & duodecimnm, Permittitur ordinatio corpore vitiatis, à iuribus, de quibus ſupra in argumentis, vel quia nulla deformitas, vel parua, vel nulla impotentia, vel nulla culpa; & ſic, ſi caſu vitium contingeret; vel ex diſpenſatione, non autem de rigore, ut ſuperius latiſſime fuit explicatum.

Articulus decimusquartus.

Vtrum pauperes poſſint ordinari, necne.

S V M M A.

1 *Pauperes non poſſunt eſſe teſtes, & quare.n.10.*
2 *Qui non poteſt quod eſt minus, non poteſt quod eſt maius.*
3 *Inconuenientia, quæ poſſunt procedere ex ordinatione pauperum, & unde eueniant.n.11.*
4 *Nemo ordinandus niſi ad titulum beneficij, vel patrimonij, & quare num.12*
5 *Nullum bonum impedit aliud bonum.*
6 *Chriſtus Dominus ab æterno fuit ordinatus, & quare.n.14.*
7 *Pauperes nonnulli in paupertate ordinati ſunt, & quare. n.15.*
8 *Pauperi quidquid denegatur, denegatur Chriſto.*
9 *Paupertas dupliciter conſideratur. & quando impediat ordinationem.*
13 *Paupertas ex ſe non eſt mala, & quare.*
10 *Pauperi denegatur ordinatio, & quare.*

Negatiua huius articuli ſententia ſequentibus probari poteſt.

1 PRimo, Pauperes non poſſunt eſſe teſtes, ut adnot. per Abb. in c. cum cauſſa.n.15.de teſt. ergo multo minus Clerici.

2 Secundo, Qui non poteſt quod eſt minus, non poteſt quod eſt maius; ita adnot. per Doct. in l.ſi vero.§.de viro.ff.ſol.mat. ſed pauperes non funguntur off. tutelæ.§.ſed propter paupertatẽ inſt.deexcuſ. tut.l.paupertas.ff.eod. ergo nec officio clericatus, quod eſt maius.

3 Tertio, Si pauperes ordinarentur multa ſequerentur inconuenientia; primo cogerentur viles artes exercere; ſecundo pretio offerre ſacramenta; tertio, nulllo ſplendore viuere; quinto, viles perſonæ

ordinarentur, & alia, de quibus late Sot.in 4.d.2.q.1.art.4.ergo or d inari non deberent.

4 Quarto, Ira cautum de iure repetitur. ut quis non ordinetur, niſi ad titulum beneficij, vel proprij patrimonij; ſic adnot.per Abb.in c.tuis de præb.ergo pauperes ordinari non poſſunt.

Affirmatiua vero ſic poteſt defendi.

5 PRimo, Nullum bonum impedit aliud bonum, ſed paupertas eſt bona, & ſatis commendata, ac priuilegiata, ut ſcribit Archid. 11.q.2.c. pauperes; ergo non debet impedire ordinationem, quæ pariter eſt bona.

2 Secundo, Chriſtus Dominus pauperrimmus fuit, & tamen ab æterno fuit ordinatus ſummus ſacerdos. pſalm. 109. ergo pauperes ordinari debent.

7 Tertio, Multi non ſolum ordinati ſunt in paupertate, verum, ut tanto ſacramento inſeruire poſſent vendiderunt omnia, & nihil retinuerunt; iuxta illud Domini præceptum: Vendite quæ poſſidetis. Luc.12. ergo, &c.

8 Quarto, Quod denegatur pauperi, denegatur Chriſto, qui Matth. 25. ſcriptum reliquit: Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis; ergo ſi pauperibus denegatur ordinatio malum eſt.

S O L V T I O.

9 PAupertas dupliciter conſiderari poteſt; de ſui natura, & abſolute per ſe; ut hac ratione, ne dum eſt mala, ſed bona, ſic enim potius priuatio occaſionis faciendi malum, & hinc eſt quod ſancti viri, vere imitatores Chriſti Domini, amplexi ſunt illam, & in eadem ordinati ſunt; iuxta illud Matth. 19. Ecce nos reliquimus omnia; & hoc modo conſiderata non impedit ordinationem, quin immo eſt ſatis apta ad illam; & ſic procedunt rationes, quæ pro parte affirmatiua allatæ ſunt. ſecundo modo conſiderari poteſt, non per ſe, ſed ratione perſonæ, quæ paupertate premitur, quæ ſic affectæ ut plurimum ſolent eſſe imperfectæ, cuius imperfectionis humanæ reſpectu, paupertas videtur malos producere effectus, non natura paupertatis, ſed humanæ imperfectionis, quæ paupertatem ex impatientia, & neceſſitate conuertit in prauum uſum; hac igitur ratione inſpecta, cautum eſt, ne pauperes ordinentur; & ſic procedunt rationes pro parte negatiua; & licet ex his ſatis appareat reſponſum ad argumenta pro utraque parte allata, ut vero

magis

magis veritas eluceſcat, ad ea primo quæ afferuntur pro parte negatiua ſic reſpondetur.

10 Ad primum, & ad ſecundum, Pauper repellitur à teſtimonio, & à tutela, non propter paupertatem, ſed propter humanam imperfectionem, quæ ſi ceſſaret non prohiberetur, nec teſtificatio, nec tutelæ adminiſtratio; unde ſi conſtaret, quod pauper eſſet bonæ famæ, & bene audiret, admitteretur ad prædicta muuera ſubeunda; ita declarat Abb. in d. c. cum cauſſam de teſt. n. 15.

11 Ad tertium, Illa inconuenientia non procedunt ex natura paupertatis, ſed ex humana fragilitate, ſi enim daretur, quod homines eſſent perfecti, profecto non obſtante paupertate nullum ex illis oriretur inconueniens, ut in ſanctis patribus dictum eſt.

12 Ad quartum, Ideo de iure cautum eſt, ut nemo ordinetur, niſi ad titulum beneficij, vel patrimonii, ne alias vileſcerent apud homines, & contemnerentur, qui ut plurimum paupertatem paruifaciunt, & plus diuitias æſtimant.

Ad ea vero, quæ pro parte affirmatiua dicebantur, ita reſpondetur.

13 Ad primum, Licet paupertas ex natura ſua non ſit mala, ratione tamen alterius ſolet producere malum.

14 Ad ſecundum, Ideo Chriſtus ab æterno ordinatus fuit, quia eius perfectio, & bonitas infinita etiam fuit, & æterna; unde paupertas obſtare nunquam poterat.

15 Ad tertium, Imperfectis nocet paupertas, non autem ſanctis.

16 Ad quartum, Non denegatur ordinatio pauperi, ut pauper eſt, ſed ut homini fragili, & tunc non denegatur Chriſto Domino, qui ab æterno fuit ſumme bonus, & perfectus.

Articulus decimusquintus.

Vtrum perſonæ viles, & ignobiles, ſeu viles, & ignobiles artes exercentes poſſint aſſumi ad Clericatum, necne.

S V M M A.

1 *Exceptio perſonarum non licet ſuppoſita identitate qualitatis, & rationis, ſed ſtante diuerſitate fit exceptio perſonarum. n. 24.*

2 *Apoſtoli nonnulli fuerunt ignobiles, & ordinati fuerunt, & quare. num. 25.*

2 *S. Seuerus ex lanificio aſſumptus fuit ad epiſcopatum, & quare.n.25.*
3 *Negotia, & artificia non denegantur Clericis, & qualia n.25.*
4 *Clerici poſſunt recipere poſſeſſiones excolendas, illaſq. conducere, boues locare, & ſimilia, & quare.n.25.*
5 *Clerici poſſunt vendere pullos, & id genus alia, & quare.n.25.*
6 *Clericis licitum eſt habere tabernas, & quomodo intelligatur.n.26.*
7 *Clerici poſſunt exercere occulte officium hiſtrionis, & quare, & quoties, & quomodo.n.27.*
8 *Ordinis dignitas non poteſt eſſe ſine ſplendore, & claritate perſonæ, & quomodo intelligatur.n.28.*
9 *Clericalis dignitas dehoneſtatur virilibus artibus, & quibus.n.29.*
10 *Tabernarij officium exercens, vel macellarij amittit priuilegium Clericatus, quomodo intelligatur.n.30.*
11 *Hiſtrionis officium exercens, non ſolum actu, ſed etiam relicto exercitio, non debet ordinari, & ſi eſt* Clericus, *amittit priuilegium Clericatus, ſi contraxit infamiam.n.31.*
12 *Militis, aduocati, conſiliarij officium exercens, non poteſt ordinari, quomodo intelligatur.n.32.*
13 *Obligatio ſimplex officij ciuilis impedit ordinationem, ſed tamen remanet obligatio donec illi ſatisfecerit, & quare.n.33.*
14 *Perſona vili dignitatis porta patere non debet, & de qua uilitate intelligatur.n.34.*
15 *Ignobilitas multipliciter conſideratur, & qua impediat ordinationem.*
16 *Exercitium quotuplex, & quod ordinationem impediat.*
17 *Officia vilia exercens quando dicitur infamis, & quando poſſit ordinari, n.18.*
19 *Exercitium aliquod dupliciter poteſt exerceri, & quando impediat ordinationem.*
20 *Exercitium aliquod nobile, & honeſtum, dupliciter eſſe poteſt, & quando impediat ordinationem, & contrahatur irregularitas.*
21 *Officium ciuile dupliciter poteſt exerceri, & quando impediat ordinationem.*
22 *Obligatio duplex, & quando impediat ordinationem.*
23 *Obligatio remanens ad tempus tripliciter conſideratur.*

Ad affirmandam huius articuli ſententiam, ſequentia mouere poſſunt.

1 PRimo, Si tales non ordinarentur, fieret exceptio perſonarum, quod non licet, ut adnotat, à Doctor. in princ. inſtit. de iuſt. & iur.
2 Secundo, Multi ex Apoſtolis fuerunt vilibus nati parentibus, artemq. piſcatoriam nonnulli etiam exercuerunt, & Beatus Seuerus ex lanificio ad epiſcopatum aſſumptus eſt. ergo.

3 Tertio

3 Tertio, Negotia, & artificia non denegantur clericis.c.clericus. diſt.91.c.1.de celebr. Miſſ. & c. 1. ne clerici, vel mon. ergo poſſunt ordinari.

4 Quarto, Permittitur clericis recipere poſſeſſiones excolendas ad quintam partem, illaſq. conducere, & etiam locare boues, oues & alia huiuſmodi. Gloſſ. in d.c.clericus diſt.91. Abb. & Doct. in c. 1.ne cler. vel mon. ergo huiuſmodi viles artes exercentes ordinari poſſunt.

5 Quinto, Eſt text.in c.canonum 14. q. 4.ubi dicitur clericis licere vendere pullos, & alia id genus; ergo.

6 Sexto, Eſt text.in c.ſignificante de appell.ubi Canonici,de quibus ibi habebant ſtallos, ubi carnes incidebantur;ex quo multi ſentiunt Clericis licere tabernas habere;ergo.

7 Septimo, In occulto permittitur officium hiſtrionis. Gloſſ.in c. donare diſt.86. ſed ſi licet in occulto, ergo non malum, quod nullo ſane tempore licet, ſi non malum, ergo etiam palam licebit; & ſi hoc, ergo multo magis aliarum artium exercitium, de quibus non dubitatur.

Quod vero tales ordinari non poſſint, his probari poteſt rationibus.

8 PRimo, Ordo eſt dignitas,quæ ſine ſplendore, & claritate perſonæ eſſe non poteſt,quinimmo eſt dignitas cæleſtis ut ait Oſt. Abb.& alii ſequuntur in c.eo libentius de ſeru. non ord. Tiraq. de nob.c.9.ſed vilitas, & exercitij ignobilitas derogat ſplendorem, & claritatem perſonæ, ut habetur l ne quis C. de dign.lib.10.ergo huiuſmodi artes exercentes, non debent ad Clericatum aſſumi.

9 Secundo, Dignitas clericalis vilibus artibus dehoneſtatur; ita Abb. in c.1.de cler.vel mon.ergo illas exercentes, non poſſunt ordinari.

10 Tertio, Exercens officium Tabernarii,vel macellarii amittit priuilegium clericatus, ut dicitur in c.oportet. c.nulli. c. clerici. diſt. 44. & in clem.1.de vit.& honeſt.cleric.ergo.

11 Quarto, Non ſolum actu exercentes ordinari non debent, ſed etiam relicto exercitio, ut de hiſtrione dicitur, ſed etiam amittunt priuilegium clericatus, ut adnot per Gloſſ.& Gemin. in d. c. clerici de vit.& honeſt;Cleric.lib.6.

12 Quinto, Non ſolum viles artes exercentes ordinari non debent, utrum neq. nobiles ut officium militis, aduocati, conſiliarii, &

aliorum officialium. c. 1.diſt.51. & ibi Archid.& Turrecrem. ergo multo minus, viles exercentes artes poſſunt ordinari.

13 Sexto, Non ſolum officium vile, verum ſimplex obligatio impedit ordinationem, ut dicitur in c.præterea. diſt.51. ergo.

14 Septimo, Eſt text in c.inter dilectos de exceſſ. præl. ubi dicitur, quod vilibus perſonis dignitates portæ patere non debent.

Octauo, Faciunt complures concluſiones; de quibus q.5. art. 3. 4. & 5. diſſerendum eſt.

SOLVTIO.

IGnobilitas, multipliciter conſiderari poteſt. primo reſpectu proſapiæ, & communis hominum exiſtimationis,& hoc modo conſiderata ignobilitas ad ordinandum non attinet; ſic enim procedit illud, quod de exceptione perſonarum non facienda, dictum eſt, quia ſplendor clericalis non circa claritatem proſapiæ verſatur, ſed circa vitæ ſanctitatem, morumq. bonitatem, ac doctrinam. ſecundo modo conſideratur reſpectu proprii delicti, de quo ſuperius art. 10.dictum eſt. tertio, reſpectu fortunæ, & hoc diſcuſſum eſt ſuperiori articulo. quarto reſpectu exercitii, quod proprium eſt huius articuli; & ſi hoc modo conſideretur ignobilitas, diſtinguendum erit; aut exercitium eſt honeſtum, aut vile, aut turpe. ſi turpe, & inhoneſtum, ut ſi quis officium hiſtrionis, iaculatoris ſuo corpore faciendi ſpectaculum, & alia id genus; & tunc,aut publice quis exercuerit, aut occulte; ſi occulte, ut ſi cauſſa afferendi lætitiam infirmo, vel alterius honeſtæ cauſſæ, tunc non repellitur ab ordinatione; ita Gloſſ.in c. donare.diſt.86. Inn. & Abb. in c. cũ decoré.de vit.& honeſt.cler.Silu.verb. cler.§.3.verſ.8.ſi vero publice quis exercuerit, tunc aut ſemel, aut pluries; ſi pluries, tunc duplex eſt opinio; altera Innoc. qui talem adhibet diſtinctionem, aut is aſſuefecit ſe in illa arte, aut non, ſi non aſſuefecit ſe, tunc non eſt ab ordinatione repellendus, quia non eſt effectus adhuc infamis; ſi vero aſſuefecit, tunc effectus eſt infamis, & repellitur etiam poſt actam pœnitentiam, & requiritur ſedis Apoſtolicæ diſpenſatio. ſic Innoc. altera opinio eſt Abb. in d. c. cum decorem,qui reprobat hoc ultimum dictum Innocentii,vult enim ipſe,quod ſufficiat,quod quis bis exercuerit, ut infamis efficiatur,arg.l.palam.ff.de rit nupt. &l.3.C.de Epiſcop.& cler.& c.ita vos.25.q.2.Archid.in c.illud diſt. 12. opinio hæc Abb. eſt tutior, cum tutius ſit recurrere ad ſedem

Apoſto-

Apoſtolicam ad obtinendam diſpenſationem; ſi vero ſemel exercuerit, etiam lucri cauſſa tunc tute ordinari poteſt, ut præfati ſcribunt Doct. aut exercitium eſt tantum vile, non autem propter infamiam, & turpitudinem, de iure prohibitum; & tunc aut hoc exercitium poteſt ſtare cum clericali dignitate, ita ut illi nullo modo deroget; aut non, ſi ſtare non poteſt, ut exercitium tabernæ, macelli, adaptandi pelles, expurgandi cloacas; tunc, aut quis actu exercet, aut exercitium reliquit, ſi reliquit, tunc poteſt ordinari, ita Immol. Ant. Abb. in clem. 1. de vit. & honeſt. cler. & ratio eſt, quia huiuſmodi officia non prohibentur propter infamiam, quo caſu, quis etiam relicto officio ordinari non poſſet, cum ex eius defectu infamia contracta non deſinat, ſed prohibentur, vel propter peccata, & inhoneſta, quæ ut plurimum in his tabernis ſolent contingere, vel propter horribilitatem exercitii, ut in macello, vel propter nimiam vilitatem, & ſorditatem, ex qua quodammodo penes hominum exiſtimationem clericalis dignitas dehoneſtatur, ut adaptatio pelliũ, & expurgatio cloacarum, unde ceſſante exercitio, ceſſat & prohibitionis cauſſa; ſic adnot. per Abb. in d. clem. 1. aut actu exercet, & tunc ordinari non poteſt, etiam ſi per alium faceret, Doctores. & Abb. in d clem. 1. & Silu loc. cit. aut exercitium ex cauſſa poteſt ſtare cum dignitate clericali, ut conficere libros, & alia ſimilia artificiola, & tunc, aut quis exercet per ſe, aut per alium; ſi per alium, tunc non impeditur illi ordinatio, Gloſſ. in d. clem. 1. quã ibid. ſequitur Ant. Anch. Card. & Imol. & Archid. in c. nulli diſt. 44. Dõ. in c. 1. de vit. & honeſt. cler. lib. 6. Dec. in c. ſignificante de appell. n. 4. refert, & ſequitur Tiraq. de nobil. c. 27. n. 8. aut vero quis exercet per ſe, & tunc aut ſubeſt aliqua neceſſaria cauſſa, & non diſtrahitur ab officio diuino, aut nulla cauſſa ſubeſt, & ab officio diuino diſtrahitur; ſi non ſubeſt, & diſtrahitur, ordinari non debet, niſi relicto exercitio; ſi vero ſubeſt cauſa, & non diſtrahitur poteſt ordinari, ut adnot. per Gloſſ. & Abb. in d. c. 1. ne cleric. vel mon. & ſequuntur alii in c. nunquã diſt. 5. de conſecr. c. clericus diſt. 91. c. 1. de celebr. miſſar. Io. Ant. de Nigr. in rep. in extrau. vnic. de vit. & honeſt. cler. n. 544. & ſeqq. aut exercitium eſt honeſtum, & nobile, ut eſt militia, aduocatio, publica officia magiſtratus, reipub. adminiſtratio, pupillorum tutela, & quædam aliæ honeſtiſſimæ, & nobiliſſimæ negotiationes; & tunc aut exercitium eſt cum ſanguinis effuſione, aut non; ſi cum ſanguinis effuſione, ut in criminalibus, & tunc aut relicto officio, aut actu exercens vult ordinari, ſi actu

exercens, tunc non poteſt ordinari.c.1.diſt. 51. c. in Archiepiſcopatu de rap.c.ex litt. de exceſſ. prælat. adnot per Abb.& Doct. in c. ſentent. ne cler. vel mon. S. Ant.de irreg.q.6.verſ. curialis, quia facile ex huiuſmodi officio contrahimus irregularitatem; aut quis vult ordinari relicto officio, & tunc aut in officio exercendo contingit aliqua ſanguinis effuſio, vel membri mutilatio, aut nulla; ſi nulla, tunc relicto officio poteſt ordinari. S. Ant.de irreg d.q.6. ſi vero contingit non poteſt ordinari, etiam relicto officio, facit text. in c.accuſatores.diſt.46.S.Ant.d.q.6.Abb.in d.c.ſententiam num.11. & ratio eſt, quia irregularitas in ſolo exercitio contrahi non poteſt, ſed requiritur ſanguinis effuſio; ſi vero exercitium eſt ciuile, & præter ſanguinis effuſionem, tunc aut relicto officio, aut actu exercens vult ordinari; ſi actu exercens, tunc aut pro ſe, aut pro Eccleſia, aut pro miſerabili perſona, & his tribus caſibus poteſt ordinari, non relicto officio; ſi vero pro alia cauſſa, tunc aut officium datum eſt à lege, aut ab homine, ſi à lege, ut in tutela neceſſaria, & legitima,poteſt ordinari. Ita Inn. in c.unic.de oblig. ad rat. ſi vero ab homine,tunc non poteſt.l.officiales C.de Epiſcop.& Cler.Ang. verb. ratiocinia.facit etiam text.in c. 1.de poſt.Abb.in c multa.n.5. ne cler. vel mon. Silu.verb.cler.§.3.verſ.3.ſi relicto officio, tunc,aut remanet aliqua obligatio ex officio, aut non, ſi non remanet, poteſt ordinari, ſi remanet,aut obligatio eſt perpetua, aut ad tempus, ſi perpetua non poteſt ordinari, ita Oſt. in c.unic.de oblig. ad rat. & ratio eſt, quia is, qui remanet obligatus, poteſt repeti, & propterea perturbarentur Eccleſiæ ex ipſius repetitione. c.1.2.& 3.diſt.51. Turrecrem.in d. c.præterea diſt.51.verſ.ad.ſecundum. ſi vero remanet obligatio ad tempus, tunc aut obligatio eſt officii, aut reipublicæ, aut priuatæ perſonæ; ſi officii, tunc non debet ordinari, niſi finito officio; ſi reipublicæ,tunc,aut eſt obligatio ex non reddita ratione, aut ex alia cauſſa, ſi non ex reddita ratione, tunc non poteſt ordinari, niſi reddita ratione, d.c.præterea, diſt. 51. ſi ex alia cauſſa, poteſt ordinari. l.quiſquis. C. de Epiſc. & cler. Ang. verb. ratiocinatio; aut obligatio eſt priuatæ perſonæ, & tunc,aut manifeſte apparet de aliquo dolo, vel culpa, vel non apparet, ſi non apparet poteſt promoueri, ſi apparet, tunc aut pendet lis, aut non pendet, ſi non pendet, poteſt ordinari, ſi vero pendet,non poteſt, ita ita Ang.loc.cit.

Hac allata ſolutione, ad ea argumenta reſpondeamus,quæ erant pro parte affirmatiua.

24 Ad

24 Ad primū igitur, non fit exceptio perſonarum, ſuppoſita idētitate qualitatis, & rationis, ſed ſtante diuerſitate fit exceptio perſonarum, excipitur enim unus ab alio, doctus ab ignaro, nobilis ab ignobili, & ſic de ſingulis.

Ad ſecundum, tertium, quartum, & quintum, Et ſi artem piſcatoriam Apoſtoli nonnulli exercuerunt, & ex lanificio B. Seuerus fuit ad Epiſcopatum aſſumptus, tamen relictis retibus, & artificio aſſumpti fuerunt; adde etiam, quod illa artificiola permittuntur ex cauſſa neceſſaria, cum clericali dignitati non repugnent, & expediant, necquis ab officio diuino ex illis diſtrahitur c. nunquam de conſecr.diſt.5.& c 1.& c.cler.d.iſt.91.de celeb. miſſ. & ſic illa iura procedunt in 3.4.& 5.arg.

26 Ad ſextum, Licet officium macellarii, & tabernarii exercens ordinari non poſſit, tamen non procedit in eo, qui tantum locat locum tabernæ, ſeu macelli, ita in d.c, ſignificante.

27 Ad ſeptimum, Permittitur ad euitandam poenam, pro una, vel paucis vicibus tantum.

Ad argumenta vero pro parte negante deducta reſpondetur.

28 AD primum, Ignobilitas familiæ derogat claritati, & ſplendori mundano, non clericali; dignitas enim clericalis procedit à vitæ ſanctitate, morumque bonitate, ac ſcientia, ut ſuperius diximus.

29 Ad ſecundum, Illis ignobilibus artibus derogatur dignitati clericali, quæ non poſſunt cum clericali dignitate ſubſiſtere, ut expurgatio cloacarum, pellium adaptatio, & reliqua id genus, ſed quæ poſſunt ſtare, ut ars piſcatoria, lanificium, confectio librorum, vel calathiſcorum, ex neceſſaria cauſſa non derogant clericali dignitati.

30 Ad tertium, Procedit illud pro poena, ſed non ſequitur, relicto officio non poſſe ordinari.

31 Ad quartum, Vbi contrahitur infamia, ut dictum eſt ſuperius, etiam relicto officio, remanet prohibitio, durat enim perpetuo, & non ceſſat ceſſante officio,

32 Ad quintum, Non eſt uerum abſolute, ſed quando eſt cum ſanguinis effuſione, vel ſi actu exercet officium, iuxta diſtinctionem ſuperius adhibitam, quam hic repetere non oportet.

33 Ad ſextum, Si remanet obligatio, non poteſt ordinari, donec ſatisfactum fuerit obligationi, ne perturbetur eccleſia.

Ad

Ad ſeptimum, Text. in c. inter dilect. loquitur de vilitate procedente ex peccato, cuius inſpectionis non eſt hic locus.

Articulus decimus ſextus.

Vtrum filii ex delicto parentum, vel qui ex defectu natalium, ut illegitimi poſſint ordinari, necne.

S V M M A.

1 *Parentum vitia non ſunt filijs imputanda, & n. 4. & quomodo n. 14.*
2 *Magis debet nocere propria culpa, quam aliena.*
3 *Fornicator poſt pœnitentiam poteſt ordinari, & quare. n. 21.*
4 *Spurij poſſunt dignitatem adipiſci.*
5 *Religionem ingrediens, etiam illegitimus, poteſt ordinari, & quare. n. 23.*
6 *Spurij, & Manzeres in veteri teſtamento ordinari prohibebantur.*
7 *Clerici non propter ſe, ſed propter alios ſunt inſtituti.*
8 *Viles perſonæ nulla dignitate ornari debent.*
9 *Clericalis dignitas procul eſſe debet ab omni labe peccati.*
10 *Illegitimi, ut plurimum, ſolent eſſe parentum imitatores.*
11 *Multi filij in ſcripturis ob delicta parentum puniti ſunt.*
12 *Filij in crimine læſæ maieſtatis puniuntur pro delictis parentum.*
13 *Filij adulterorum in ſcripturis damnantur.*
14 *Illegitimus religioſus non poteſt ad ſummos ordines promoueri ſine Papæ diſpenſatione, ſecus ad inferiores.*
15 *Illegitimus ſæcularis, ſiue ante ſubſecutum legitimum matrimonium, ſiue poſt, cum aliquo impedimento non poteſt ordinari, ſecus ſi nullum erit impedimentum.*
16 *Illegitimus ſæcularis, qui ſolum habuit parentes illegitimos, nullo ſubſecuto legitimo matrimonio, poteſt ordinari, ſic etiam natus ex illegitimo matrimonio, ſi id ignoretur ignorantia probabili, ſecus ſi non probabili; neq. etiam poteſt, ſi conſtet eſſe illegitimum, & eſt imitator parentum, ſi vero probatæ vitæ, facile cum eo diſpenſatur.*
17 *Illegitimus regulariter ſine diſpenſatione Papæ ordinari non poteſt.*
18 *Pœna duplex.*
19 *Onus alterius quomodo quis portet.*
20 *Iure ſuo dupliciter poteſt quis priuari.*
22 *Illegitimi multi fuerunt ſummi Pontifices ex diſpenſatione.*
24 *Illegitimi quando viles dicantur.*
25 *Deus abominatur peccatum adulterij, non filios ex adulterio natos.*

Pro parte affirmatiua huius articuli infraſcripta ponuntur.

PRimo, ſi propter delictum patris, & propter natalium defectum filii ordinari non poſſent, ſequeretur quod peccata parentum filiis

filiis tribuerentur; ſed hoc eſt contra ſcripturã, Ezech. 17. ubi dicitur
1 Filius non portabit iniquitatẽ patris. & econtra. c. 3. diſt. 56. ubi prohibet, Parentum vitia eſſe filiis imputanda, ergo tales impediri non poſſunt, quin ordinentur.

Secundo, Sequeretur, quod non portaret quiſq. onus ſuum, ſed alius pro alio, contra illud quod ſcriptum reliquit S Paul. ad Gal. 6.

Tertio, Sequeretur, quod quis ſuis priuaretur commodis ſine culpa ſua, ſed hoc dicitur peruerſum c ſatis peruerſum diſt. 56. ergo non eſt prohibenda filiis ordinatio ex delicto parentum, vel ex defectu natalium.

2 Quarto, Magis debet nocere propria culpa, quam aliena, ſed
3 fornicator poſt peractam pœnitentiam poteſt ordinari, ergo multo magis poteſt qui naſcitur ex fornicatione, arg. c. licet uniuerſis de teſt. & l. nec vero C. de acquir. poſſ. & l. 1. C. de neg. geſt.

4 Quinto, Spurij poſſunt dignitatem adipiſci l. ſpurij. ff. de decur. & ratio eſt, quia nullum paternum delictum innocenti filio poteſt eſſe pœna. l. 1. §. nullum. ff. eod. ergo.

Sexto, Multi filii presbyterorum, & ex illegitimo matrimonio nati, fuerunt ſummi pontifices. c. Oſius. diſt. 56. ergo.

5 Septimo, Qui ingreditur religionem, etiam ſi ſit illegitimus ordinari poteſt. c. 1. diſt. 56. & c. 1. de fil. presb.

Pro parte vero negatiua infraſcripta ponuntur.

6 PRimo, In veteri teſtamento ordinis ſuſceptio prohibetur ſpuriis, & manzeribus. c. innotuit exer. de elect. & c. per venerabilem ext. qui fil ſint leg. & q. ergo multo magis debet prohiberi.

7 Secundo, Ex ſent. S. Thom. S. Bonau. in 4. diſt. 25. Clerici ſunt communes, cum non propter ſe, ſed propter alios ſint inſtituti, ergo in dignitate, & gradu, ſed defectus natalium derogat dignitati. c. ſi gens Anglorum. diſt. 56. unde communiter concluditur, quod dignitas patris non tranſeat ad naturales. Tiraq. de nobil. c. 15. n. 10. late inferius de dignit. q. 5. art. 3. ergo impedimento eſt ordinis ſuſceptioni.

8 Tertio, Viles perſonæ nulla dignitate ornari debent c. inter dilectos de exceſſ. prǽl. ſed nati ex fornicatione, & illegitimo matrimonio ſunt viles, & pro ignobilibus habentur d. c. ſi gens Anglor. cum ibi adnot. per Turrecrem. diſt. 56. ergo tanta non ſunt decorandi dignitate.

9 Quarto, Dignitati clericali adeo conuenit procul eſſe ab omni labe

be peccati, ut aliena deteſtanda ſint, ſed ſi illegitimi ordinarentur, nulla tanti criminis fieret deteſtatio, quinimmo, ſic ordinatus nullo modo huiuſmodi crimen deteſtari poſſet, cum fuerit cauſſa ſui natalis, ergo tales ordinari non deberent.

Quinto, Cum patres minus certi ſint, an filii ſint ſui, necne, illos vili faciunt, nullamq. curam habentes in illis educandis, itaut plurimum immorigerati videantur, ergo non ordinandi. adnot. in d.c. ſi gens Anglor.

10 Sexto, Vt plurimum ſolent illegitimi eſſe imitatores parentum. c. quiſq 6.q.1. ergo.

11 Septimo, In ſacra pagina plures reperiuntur filij puniti pro delictis parentum. Exod. 21. ibi. Ego ſum Deus Zelotes, viſitans iniquitates patrum in filios in tertiam, & quartam generationem, & Reg. 3. c.14. ibi, Inducam ſuper Roboam, & uniuerſam domum Iſrael manum, ergo filij ex delictis parentum ordinari non debent.

12 Octauo, In crimine læſæ maieſtatis puniuntur filii pro delictis parentum. l. quiſquis. §. filii C. ad leg. Iul. ergo non eſt inconueniens, ſi non ordinantur ex delictis parentum.

Nono, Eſt text. in c. 1. diſt. 56. & c. 1. de filiis presbyt. ubi caſus eſt deciſus.

13 Decimo, Sap. 3. legitur filios adulterorum eſſe in abominationem Dei, ergo non ſunt ordinandi, quos Deus abominatur.

Vndecimo, Legitur Deut. 23. Vt manzer, hoc eſt de ſcorto natus, non ingredietur Eccleſiam Dei, ergo multo minus illegitimus debet ordinari.

S O L V T I O.

14 AVT illegitimus ordinandus eſt religioſus, aut ſæcularis, ſi religioſus, tunc aut vult promoueri ad ſummos ordines, ad epiſcopatum nimirum, aut ad alios inferiores; ſi ad epiſcopatum, tunc non poteſt promoueri, niſi ex diſpenſatione ſedis Apoſtolicæ. c. innotuit de elect. c. 2. de corp. vit. facit text. in c. multi. diſt. 17. refert, & ſequitur Henric. Boich in c. nimis. de filiis presbyt. n. 3. ſi ad alios inferiores tunc poteſt ordinari abſq. alia diſpenſatione. c. 1. diſt. 56. & c. 1. de fil. presbyt. & ibi Abb & Doct. cõmuniter, refert d. Hĕric. Boich

15 loc. cit. Aut eſt ſæcularis, & tunc, aut eſt ſubſecutum legitimum matrimonium, aut non; ſi eſt ſubſecutum, aut vult promoueri, poſtquam fuerit ſubſecutum, ut ante; ſi ante non poteſt ordinari;

Archid.

Archid. in c. Oſius. diſt. 57. allegat Vincent. & alios in c. innotuit. de elect. refert Turrecré. in d. c. Oſius, & Lambert. lib. 2. p. 1. q. 7 art. 11. de Iure patr. ſi poſt ſubſecutũ matrimoniũ, tunc aut erat aliquod impedimentum, quominus contraheretur matrimonium, aut nullum erat impedimentum, ſi aliquod ſubſiſtebat impedimentum, tunc non poteſt ordinari. c. tanta. ext. qui fil. ſint leg. Archid. in d. c. Oſius, allegans Goffred. in ſumm. intelligens dictum cap. tanta. indiſtincte; ſi nullum erit impedimentum, tunc poteſt ordinari ſec. Goffred. & Oſt.

16 refert Turrecrem. in d. c. Oſius ſi vero nullum ſubſecutum fuit legitimum matrimonium, tunc aut hic illegitimus natus eſt ex illegitimo matrimonio, non legitimo ſubſecuto, aut illegitimus dicitur, quia parente , & alii de ſtirpe ſua, nati ſunt de adulterinis commiſtionibus; ſi ipſe eſt legitimus & habuerit parentes illegitimos poteſt ordinari d. c. Oſius. & c. Dominus. diſt. 56. ſi vero eſt natus ex illegitimo matrimonio, tunc aut ignoratur, an ſit ex illegitimo matrimonio, aut conſtat; ſi ignoratur, aut ignorantia eſt probabilis, aut non; ſi probabilis, poteſt ordinari, ſecus ſi non probabilis. l. 1. C. de teſt. l. 3. ff. de off præſid. c. fin. extr. de temp. ord. Oſt. & Archid. refert Turrecrem. in c. 1. diſt 56, n. 4. ſi conſtat eſſe illegitimum, tunc, aut eſt probatæ vitæ, aut eſt imitator parentum, ſi imitator parentum, tunc non poteſt ordinari d. c. 1. diſt. 56. c. 1. de fil. presbyt. ſi probatæ vitæ, tunc facilis erit diſpenſatio, adnot. in d. c. Oſius.

17 Sit igitur concluſio, quod illegitimi regulariter non ordinantur ſine diſpenſatione ſedis Apoſtolicæ, c. 1. diſt. 56. c. 1. de fil. presbyt. & ibi Gloſſ. Inn. & Abb. idem late Henr. Boich in c. nimis eo. Archid. & Turrecrem. in d. c. 1. diſt. 56 Oſt. Goffr. in ſũm. de fil. presbyt. S. Thom & Sot. in 4. d. 25. q. 3. Ang. Silu. Tab. u. ordo. § 3. Steph. de Gaet. in c. ad limin. 30. q. 1. § 2. num. 82.

Modo reſpondeamus ad ea, quibus affirmatiua pars defenditur.

18 AD primum, Duplex eſt poena, æterna, & temporalis, reſpectu æternæ procedit argumentum, quia filius non portabit iniquitatem patris, quia poena illa æterna ob propriam culpam quiſq; punitur, non ob alienam, reſpectu vero temporalis, quandoq. poteſt eſſe, quod quis puniatur culpa aliena, & eſt ratio diuerſitatis quia commoda temporalia, ſunt communia, & veniunt, & tolluntur ex conſequenti accidenti, quod non procedit in bonis ſpiritualibus, quæ tolluntur propria culpa, & voluntate. Turrecrem. in d. c. undecumq. diſt. 55.

19 Ad

19 Ad ſecundum, Reſpectu pœnæ æternæ unuſquiſq. portabit onus ſuum, & non alius pro alio, & ſic intelligitur illud Paul. ad Gal. 6. ſed reſpectu temporalis pœnæ contingit, quod quis portet onus alterius, ut legitur de populo Iſraelitico, qui punitus eſt, pro peccato regis ſui Dauid.

20 Ad tertium, Poteſt quis priuari iure ſuo dupliciter, aliena culpa, & cum cauſſa, & etiam ſine cauſſa, ſine cauſſa, tunc peruerſum eſt, cum cauſſa, nequaquam, ut in caſu, ne contaminetur dignitas clericalis.

21 Ad Quartum, Ideo fornicator poſt peractam pœnitentiam poteſt ordinari, quia per pœnitentiam deletur peccatum, non defectus natalium.

Ad quintum; De dignitate clericali ad ſæcularem non procedit argumentum, cum illa ſit Dei, hęc hominis; unde non mirum eſt ſi ſpurii ſæcularem adipiſci poſſint, clericalem vero nequaquam, diuerſa enim eſt ratio.

22 Ad ſextum, Quando illegitimi ſunt probatæ vitæ, facile diſpenſantur, & ad omnes dignitates ſpeciali fauore promouentur, ita loquitur text. in d. c. Oſius, ſecus quando non ſunt probatæ vitæ.

23 Ad ſeptimum, Non mirum ſi religioſi, etiam illegitimi ordinantur, quia ingreſſus religionis tegit turpitudinem. 19. q. fin. & abſtergit omnem maculam Aut. de mon. coll. 1. Henric. Boich in d. c. nimis, & ſic eſt ſpeciale in religioſis, & in hoc caſu non valet argumentum de religioſo ad ſæcularem, propter diuerſitatem rationis.

Ad ea vero, quibus negatiua pars defendebatur, ſic reſpondetur.

AD primum, & undecimum, Non negatur, quod ſicuti in veteri, ita in nouo teſtamento illegitimis prohibetur ingreſſus ad dignitates, ſed in nouo ob claritatem vitæ, & perſonæ, ceſſat impedimentum, & unum abſorbet aliud arg. c. 1. diſt. 57. & c. priſcis diſt. 55. c. talis. 1. q. 7. & ſic argumentum procedit in ordinariis, & non in inſignibus, & illuſtribus perſonis, & vitæ probatiſſimæ.

Ad ſecundum, Quando perſona eſt clara ex alia qualitate, nimirum ſanctitate, doctrina, &c. tunc licet careat claritate natalium, refulget tamen alia claritate, quæ maior eſt, & dignior, qua aſtante non ſolũ non obſcuratur clericalis dignitas, ſed ex alia magis elucеſcit; unde argumentum procedit in perſona ſine illa claritate, & ornamento, & non in perſona aliunde clara.

24 Ad tertium, Illegitimi, tunc ſunt viles, quando aliunde non illuſtran-

illuſtrantur, & tunc procedit argumentum, ſecus, quando ex inſigni virtute, & doctrina ſunt clari, quia hæc claritas tollit ignobilitatem natalium.

Ad quartum, quintum, & ſextum, Poſſunt eſſe illegitimi tantæ ſanctitatis, & perfectionis, ut deteſtentur peccatum, quod fuit cauſſa ſui natalis, & ſic non ſequitur argumentum.

Ad ſeptimum, & octauum, Non negatur poſſe filios puniri in delicto patris, quoad temporalia, in quibus ſucceſſuri ſunt filii, ſecus quoad pœnam æternam, & commoda ſpiritualia, c. cum pridem. de renunt.

Ad nonum, D. c. ſi gens. loquitur de filiis, qui ſequuntur feritatem paternam, & tunc non eſt dubitandum.

25 Ad decimum, Deus abominatur peccatum adulterii, non filios ex adulterio natos, & ſic intelligitur illud, quod legitur.

An vero illegitimus ſit aliunde clarus, necne, ſpectat ad ſedem Apoſtolicam, ut omnes in d c. 1. de fil. prresbyt. aſſerunt.

Articulus decimusſeptimus.

Vtrum ſerui poſſint ordinari, necne.

S V M M A.

1 *Seruitutis conſideratio non eſt in Chriſto Domino.*
2 *Seruitus ſupponit ſeruitutem corporalem.*
3 *Clericum in ſeruum vendi turpius eſt, quam ſeruum in clericum conſtitui.*
4 *Exiſtens in peccato mortali eſt ſeruus diaboli.*
5 *Res furtiua poteſt conſecrari, & conſecrata non reſtituitur domino.*
6 *Seruus ordinatus ſacerdos, non reſtituitur domino, ſed permanet in gradu.*
7 *Seruus poteſt ordinari, non contradicente domino, & quare n. 39.*
8 *Seruus monaſterij, vel eccleſia, poteſt ordinari, & quare. n. 4.*
9 *Seruus obtento aliquo obſequio à domino poteſt ordinari.*
10 *Ordinatus non debet occupare ſordidis officijs.*
11 *Seruo ordinato duo ſequuntur inconuenientia.*
12 *Mulier ordinem quare ſuſcipere non poſſit.*
13 *Obligati ad ratiocinia non poſſunt ordinari.*
14 *Liberti non poſſunt ordinari, & quare. n. 44.*
15 *Seruus dignitatem clericalem, & infirmare, & vituperare poteſt, & quando ſit, n. 45.*
16 *Manumiſſus, etiam retento aliquo obſequio, non poteſt ordinari, & quare. n. 46.*

17 Duo-

17 Duobus dominis, non poteſt quis ſeruire.

18 Libertas non eſt de neceſsitate ſacramenti.

19 Seruus manumiſſus, ſi fuit aliquod retentum à domino temporali retentione, & obſequiali affirmatiua, poteſt ordinari, ex communi.

20 Seruus manumiſſus, cum retentione negatiua, aut ſpirituali facta poſt ordinationem, non tamen ſecundum Auctorem. ſi ante ordinationem verius eſt, quod requiritur Epiſcopi conſenſus, & quare.

21 Retentio domini pro ſeruo manumiſſo Epiſcopo ſciente, & non contradicente, vel ſciente, & contradicente, & nihilominus ordinante valet, Epiſcopo vero ignorante, & ordinante valet ordinatio, non autem retentio.

22 Epiſcopi intereſt, ut quis libere promoueatur.

23 Seruus manumiſſus cum retentione operis obſequialis, affirmatiue, vel fabrilis, vel artificialis non poteſt ordinari. ſecus ſi operis ſpiritualis.

24 Seruus manumiſſus; ſine aliqua retentione poteſt ordinari.

25 Seruus etiam eccleſiæ non manumiſſus, ſi non eſt probatæ vitæ, non poteſt ordinari, neq. etiam ſi probatæ vitæ, & non retento obſequio, ſecus ſi retento.

26 Seruus communis non manumiſſus omnibus conſentientibus, ut ordinetur, aut uno conſentiente ſoluta portione alijs conſocijs, poteſt ordinari, ſecus non ſoluta.

27 Seruus alicuius priuati infidelis, vel chriſtiani, ipſo ſciente, & non contradicente poteſt ordinari, & ſtatim liberatur à poteſtate domini, ſecus domino contradicente.

28 Seruus ordinatus, domino contradicente, ſi eſt ordinatus ad ſacerdotium, & non habet peculium, debet reſtitui, ſi habuit peculium, amiſſione peculij liberatur.

20 Seruus ordinatus ad alios ordines ſacerdotio inferiores, domino contradicente, debet reſtitui domino, & deponi.

30 Seruus ordinatus, ignorante domino, ſi reperitur tranſacto anno. & eſt factus monachus, poteſt infra triennium repeti, ſi ſæcularis, tranſacto anno à die ſcientiæ, non poteſt.

31 Seruus ſæcularis ordinatus ad ordines ſacerdotio inferiores, ſcientibus ordinatore, & præſentatore, ſi ſunt inhabiles ad ſoluendum infra annum, debet deponi, & redigi in ſeruitutem, ſi ſunt habiles debent reddere duo mancipia æqualia.

32 Seruus ordinatus, ignorantibus ordinatore, & præſentatore per fraudem debet deponi; ſi vero ſeruus ignorabat, & ordinatus eſt ad ordines ſacerdotio inferiores, ſi non poteſt præſtare cambium, debet reſtitui, ſecus ſi poteſt; ordinatus etiam ad minores reſtituendus eſt ſuo domino.

34 Clericus non poteſt in ſeruum vendi.

35 Seruitus diabolica deleri poteſt voluntate peccatoris pœnitentis. hu-

mana

mana vero voluntate tantum domini.
37 *Conſecratio hominis, & rei inanimatæ diuerſa.*
37 *Ex inconuenientibus, minus eſt eligendum.*
38 *Minus debet cedere maiori.*
41 *Vilitas excluditur ex receptione ordinis.*
42 *Ordinatus, qui ante fuit ſeruus, eximitur à domini poteſtate.*
43 *Subiectio mulieris, & ſerui diuerſa.*

Affirmatiua huius articuli pars ſeqq. probatur.

1 PRimo, In Chriſto Domino non fuit conſideratio ſeruitutis, & libertatis, S.Paul.ad Gal.3.ibi:in Ieſu,non ſeruus,neq.liber; ergo ſicut liberi, ſic & ſerui ordinari poſſunt.

2 Secundo, Seruitus ſupponit ſeruitutem corporalem,ſed ordo ponit eſſe in anima; ergo nullum eſt impedimentum in ſeruo, quod repugnet ordinationi.

3 Tertio, Turpius eſt clericum in ſeruum vendi, quam ſeruum in clericum conſtitui, ſed clericus poteſt in ſeruum vendi,ut de S.Paulino Epiſcopo Nolano legitur;ergo.

Quarto, Seruus, ſicut etiam liber,poteſt omnia ſacramenta ſuſcipere,ergo & ordinem.

4 Quinto, Qui eſt in peccato mortali eſt ſeruus diaboli. Io. 8. & tamen is ordinari poteſt,ut ſuperius art.10.demonſtratum fuit, ergo multò magis ſeruus hominis,cuius ſeruitus quandoq. eſt meritoria.

5 Sexto, Si ſeruus non poſſet ordinari, ſequeretur, quod perſona animata eſſet inferioris conditionis, quauis re inanimata; probatur conſequens, quia res furtiua poteſt conſecrari, & conſecrata non reſtituitur domino c. comperimus 12.q.ult.Gloſſ.& Doct. in c. frequens diſt.54. ergo multomagis poteſt conſecrari ſeruus, & non reſtitui domino, ne diuino, & humano ſeruitio ſimul quis dicatur emancipatus.

6 Septimo, Eſt text.in c.ex antiquis diſt. 54. ubi ſi ſeruus fuerit ordinatus ſacerdos, non reſtituitur domino, ſed permanet in gradu,& tantum, peculium, ſi quod habet, amittit,& ſi diaconus præſtatione alterius ſerui remanet, ergo poteſt ordinari.

7 Octauo, Eſt text. in c. ſi ſeruus diſt.54. ubi dicitur, quod non contradicente domino, ſeruus poteſt ordinari;ergo non ſeruitus,ſed domini contradictio impedit ſuſceptionem ordinis.

8 Nono,Eſt text in c. multo diſt.54.ubi cauetur, quod ſeruus monaſterii, vel Eccleſiæ poteſt ordinari; ergo.

Digitized by Google

9 Decimo, Eſt text. in c. nullus. de ſeru. non ord. ubi ſeruus poteſt ordinari, obtento aliquo obſequio à domino.

Negatiua vero pars, his probatur.

PRimo, Viles perſonæ non debent ordinari, ut ſuperius art. 16. n. 8. dictum eſt, ſed ſerui ſunt viliſſimi; ergo.

10 Secundo, Ordinatus non debet occupari ſordidis officijs, ſed ſeruus poteſt occupari à ſuo domino in ſordidis; ergo.

11 Tertio, Si ſeruus ordinaretur, duo ſequerentur incouenientia; aut enim ſubijceretur ſeruus alterius dominio, non conſentiente domino; & tunc nullius eſſet eius dominium; aut remaneret ſubiectus domino, & non ſubiiceretur diuino ſeruitio, & tunc non eſſet ordinatus, quia non eſſet mancitpatus diuino diuino ſeruitio; ſed utrũq. eſt falſum, quia ſeruus non poteſt alteri ſubeſſe, cum ſit ſub alterius poteſtate, & dominio; neq. poteſt ordinari, niſi ſe tradat mancipatum diuino ſeruitio; ergo non ordinandus.

12 Quarto, Mulier ideo nnn poteſt ſuſcipere ordinem, quia eſt ſubiecta viro, ut in primo articulo diximus, ſed magis dicitur ſubiectus ſeruus, quam mulier, cum mulier viro non tradatur in ancillam, ſed in ſociam; ergo à fortiori minus ſeruus, quam mulier ordinem ſuſcipere poteſt.

Quinto, Eſt text. in c. 1. & 2. diſt. 54. ubi nemo de conditione ſeruili debet ad clericatum promoueri.

13 Sexto, Obligati ad ratiocinia non poſſunt ordinari c. 3. diſt. 54. ut ſuperiori articulo oſtenſum eſt; ergo multo minus ſerui, qui ſunt perpetuo ſeruitio obligati.

14 Septimo, Liberti non poſſunt ordinari, c. liberti. diſt. 54. & tamen habuerunt libertatem. ergo multo miuus ſerui, qui nullam con ſecuti ſunt libertatem.

15 Octauo, Quod infirmare, & vitnperare poteſt dignitatem clericalem, præcauendum eſt, ne ſequatur, ſed ſeruitus dignitatem clericalem, & infirmare, & vituperare poteſt; ergo præcauendum eſt, ne ſerui dignitatem clericalem conſequantur, c. 1. & 2. de ſeru. non ord.

16 Nono, Manumiſſus etiam retento aliquo obſequio, non poteſt ordinari, c. quicumq. diſt. 54. ergo multominus ſeruus.

17 Decimo, Duobus dominis non poteſt quis ſeruire, iuxta illud Matth. 6. Non poteſt quis ſeruire Deo, & mammonæ; ſed ſi ſeruus

ordina-

ordinaretur, ſeruiret duobus dominis, domino, & Eccleſiæ; ergo non ordinandus.

SOLVTIO.

18 AVT quæritur, an libertas ſit de neceſsitate ſacramenti, ut ſi de facto ordinaretur, reciperet characterem, necne, & tunc omnes fatentur libertatẽ non eſſe de neceſſitate ſacramenti S.Thom. & Sot.in 4.d.25.aut quæritur, an libertas ſit de neceſſitate præcepti. nimirum; an ſeruus poſſit ordinari, necne; & tunc eſt diſtinguen-
19 dum; aut ſeruus eſt manumiſſus, aut non, ſi manumiſſus, aut fuit aliquid retentum à domino, aut nihil; ſi retentum, aut retentio fuit operis ſpiritualis, aut temporalis; ſi temporalis, aut artificialis, aut fabrilis, aut obſequialis; ſi obſequialis, aut affirmatiua, aut negatiua, ut non accuſando, non criminando, non iniuriando. iuxta not. per Bald.in l.ſi non ſortem.§.libertus.ff. de condict. indeb. & tunc duæ ſunt opiniones; altera eſt Hugon.qui opinatus eſt,quod manumiſſus non poſſit ordinari quocumque opere retento, vel ſpirituali, vel corporali; alia opinio eſt magis communis, quam ſequuntur Gloſſ. Inn. Oſt. Abb. Henric.Boich,Io.de Fant. & alii in c. nullus de ſeru. non ord.Archid.& Turrecrem. in c. quicumq diſt. 54. qui volunt, quod manumiſſus poſſit ordinari ex ſola retentione operis obſequialis, quæ conſiſtit in non faciendo; ſed meo iudicio
20 eſt diſtinguendum, quia ſi eſt negatiua, vel ſpiritualis, aut eſt retenta in manumiſſione, vel poſt manumiſſionem, vel in ordinatione, vel poſt ordinationem; ſi poſt ordinationem, quidquid dicant alij, dico non teneri, qua iam factus eſt liber, & liber eſt ordinatus unde nihil eſt in quo ſeruire teneatur; neq obſtat, quod presbyter teneatur ad obſequia ſpiritualia præſtanda,quia intelligitur de ordinato ignorante domino, & non de manumiſſo; ſic videtur declarare Oſt.in d.c.nullus.ſi ante ordinationem, tunc duæ ſunt opiniones; altera eſt illorum, qui ſentiunt non poſſe apponi aliquam conditionem in ordinatione, c.fin. de pact. alia eſt Oſt. quam refert Abb.in d.c.nullus,quod poſſit apponi, ſicuti in beneficii collatione,c. ſignificatum de præbend.ſi in manumiſſione in continenti, & ante ordinationem, tunc duæ ſunt opiniones; altera eſt Alan. quem ſequitur Archid. quod requiratur Epiſcopi conſenſus, idem vult Raim. Io. Andr.refert Turrecrem.in d.c.quicumq.diſt.54.& Henric. Boich in d.c.nullus. altera Tancr. Io.de Fan. Abb.& Turrecrem. ibid. qui volunt non requiri conſenſum Epiſcopi. Mihi vero Alan. op. magis

 placet

placet, quod requiratur, illa motus ratione, quia ſicuti manumiſſio non poteſt fieri ſine voluntate domini, arg. c. Abbati diſt. 54. ita ordinatio non poteſt fieri ſine voluntate Epiſcopi; & ſicut ſi ordinaretur ſeruus, fieret ei præiudicium, ipſo non conſentiente, ita ſi ordinaretur cum conditione, ſine conſenſu Epiſcopi, fieret præiudicium eccleſiæ, quæ haberet ordinatum alteri obligatum, cum ordinatus ſit ſubditus prælato, ſicuti ſeruus eſt ſubditus domino, & in eo, quod tenetur præſtare domino, eximitur ab Eccleſia, cuius exemptio præiudicialis eſt; unde ſine conſenſu Epiſcopi fieri non poteſt, quia ſi ſciret, non ordinaret, nec haberet ſubditum obligatum; & hac opinione retenta, ſic diſtinguendum eſt cum Henric.
21 Boich in d. c. nullus; aut talis retentio ſit Epiſcopo ſciente, & non contradicente, quinimmo ordinante; & tunc videtur tacite conſentire, & valet retentio; aut Epiſcopo ſciente, & contradicente, & nihilominus ordinante, & tunc idem eſt, adnot. in l. in traditionibus. ff. de pact. & l. 3. C. de contrahend. empt. aut Epiſcopo ignorante, & ordinante, & tunc valet ordinatio, & non retentio in præiudi-
22 cium Epiſcopi, & Eccleſiæ; cuius intereſt, ut quis libere promoueatur abſq. aliqua conditione, arg. c. quæris de ætat. & qual. & c. fin. de tranſlat. Epiſcop. & videtur tacuiſſe in fraudē Epiſcopi, quæ non debet alicui patrocinari c. ſedes Apoſtolica de reſcript. ſi vero eſt
23 facta retentio operis obſequialis affirmatiue, vel fabrilis, vel artificialis, tunc non poteſt ordinari, ut omnes admittunt in d. c. nullus. & in d. c. quicumq. aut eſt facta retentio alicuius operis ſpiritualis, ut miſſam, & officia diuina celebrare, & dicendum eſt, ut diximus
24 de obſequiali negatiua; aut non fuit aliquid à domino retentum, & tunc non poteſt ſine aliqua dubitatione ordinari, c. quicumq. ſi vero non eſt manumiſſus, aut hic ſeruus eſt alicuius eccleſiæ, aut eſt communis pluribus, aut eſt priuatæ alicuius perſonæ; ſi eſt eccleſiæ, tunc aut eſt probatæ, & inſignis virtutis, aut e contra; ſi non eſt probatæ virtutis, non poteſt ordinari; ſi probatæ, tunc aut retento obſequio, aut non; ſi non retento non poteſt ordinari, adnot. per Turrecrem in d. c. Abb. diſt. 54. ſi retento tunc poteſt, c. ex fam.
26 eadem diſt. aut eſt ſeruus communis; & tunc aut omnes conſentiunt, ut hic ordinetur, aut nemo, aut unus ex conſociis; ſi omnes, tunc poteſt ordinari; ſi nemo, tunc reuertendum eſt ad ea, quæ inferius dicentur; ſi vero unus, tunc, aut hic unus vult ſoluta portione aliis conſociis, aut non ſoluta, & contradicentibus; ſi ſoluta, tunc conſenſus unius ſufficit, ut quis poſſit ordinari, arg. §. erat olim. inſt.

de

de don.& l.1.C.de commun.ſeru.man.Gloſſ.Ioan. Hug. Laur.Ioan. de Fantuc.Henric. Boich in c.de ſeruorum de ſeru.non ord.refert,& ſequitur Turrecrem.in d.c.nullus, licet contrarium ſentiat Archid.
27 ibidem; ſi non ſoluta, tunc non poteſt ordinari; aut eſt ſeruus alicuius priuatæ perſonæ; & tunc aut Dominus eſt fidelis, aut infidelis, ut paganus; ſi infidelis, tunc eius ſeruus poteſt ordinari iuxta adnotata in c. mancipia diſt.54. aut eſt chriſtianus, & tunc aut ipſo ſciente, aut ignorante; ſi ſciente, aut ipſo contradicente, aut non contradicente; ſi non contradicente, tunc poteſt ordinari, & ſtatim liberatur à domini poteſtate; tacite enim videtur dediſſe licentiam c.ſi ſeruus diſt. 54. Goffr.Inn. Oſt.Abb in d. c.de ſeruorum de ſeru.
28 non ord.Gloſſ.Archid.Turrecrem.in d.c.ſerui diſt. 54. Ang. & Silu. verb.ſeruitus; ſi contradicente, tunc non poteſt ordinari, & ſi de facto ordinetur, tunc aut ordinatus eſt ad ſacerdotium, aut ad alios ordines; ſi ad ſacerdotium, tunc duæ ſunt opiniones; alia eſt Gloſſ. in d.c.de ſeruorum, quæ dicit eſſe conſtituendum in ſeruitute in omni gradu; alia eſt Inn.Archid.& aliorum,qui ſentiunt dominum ſeruari indemnem, ſic diſtinguendo; aut is ordinatus ſacerdos habet peculium, aut non habet; ſi non habet, tunc debet reſtitui, ut ſuo domino ſeruiat in rebus licitis, & quæ ſacerdoti conueniant c. frequens.diſt. 54 S.Thom. & S.Bonau.in 4.diſt.25. Goffr. Pet. Oſt. in
29 ſumm.de ſeru.non ord. & refert Turrecrem. in d. c. ſerui. ſi habet peculium, amiſſione peculii liberatur,ex ſententia Oſt. aut eſt or-
30 dinatus ad alios ordines, & tunc debet reſtitui domino, aut deponi,adnot.in c.quis autem legis diſt.44.ſi vero ignorante domino,aut repetitur infra annum, aut tranſacto anno; ſi tranſacto anno, aut eſt factus monachus, aut eſt ſæcularis; ſi monachus, infra triennium poteſt repeti, Abb.& Doct.in d.c.de ſeruorum ex adnotatis in c. ſi ſeruus diſt. 54.& eſt ratio, quia monachi magis latent. 17. q. 2. c. ſi quis. ideo prolixius tempus; ſi vero eſt ſæcularis, tunc tranſacto
31 anno à die ſcientiæ non poteſt amplius repeti,Inn.Oſt. Abb. in d. c. de ſeruorum. ſi infra annum, tunc, aut eſt ordinatus ſcientibus ordinatore, & præſentatore, aut ignorantibus; ſi ſcientibus, tunc aut ſunt habiles ad ſoluendum, aut ſunt inhabiles; ſi inhabiles, tunc aut eſt ordinatus ſacerdos, aut ad alios ordines; ſi ſacerdos,tunc conſiderandi ſunt caſus ſuperius diſtincti; ſi ad alios ordines, tunc deberet deponi, & in ſeruitutem redigi, adnot.in d. 54.c. ex antiquis.ſi
32 ſunt habiles debent reddere duo mancipia æqualia.c.ſeruus abſente domino diſt. 54. aut ignorantibus ordinatore, & præſentatore, &

tunc aut fraude eſt ordinatus, fingens ſe liberum, vel id probatum teſtibus corruptis, & tunc debet deponi, Oſt.& Abb.in d. c. de ſeruorum; & tunc ſi eſt ordinatus ſacerdos, dicendum eſt, ut ſupra; ſi ad alios ordines, nimirum diaconatum, ſubdiaconatum, tunc, aut poteſt præſtare cambium, aut non poteſt; ſi non poteſt, debet reſtitui; ſi poteſt, reſtitui non debet, adnot. in c. miramur. diſt. 54. gloſ. Inn. Oſt. Abb. & omnes in d. c. 1. diſt. 54. Ang. & Silu. verb. ſeruus. aut eſt ordinatus ad minores, & tunc reſtituẽdus eſt ſuo domino. & hæc ſatis quoad ſolutionem.

Nunc ad argumenta reſpondeamus, & primo ad ea, quæ pro parte affirmatiua faciunt.

33 Ad primum, Dominus noſter non conſiderat, an quis ſit ſeruus, vel liber, neq. apud Deum ſit exceptio perſonarum, quoad ſalutem, & quoad ſacramenta neceſſaria de neceſſitate ſalutis, ut eſt baptiſmus, ſed non procedit, quoad ordinem, ſine quo ſaluari quis poteſt, nõ enim omnes poſſunt ordinari; & illud Apoſtoli intelligitur, quoad meritum, non quoad officium, Turrecrem. in d. c. 1.

Ad ſecundum, Illud non procedit in ordine, qui licet imprimatur in anima, eius tamen officium non poteſt exerceri, ſine aliqua corporis exteriori operatione, ratione cuius non ſequitur argumentum, quod tantum in iis locum habet, quæ mera ſunt ſpiritualia, S. Thom. in 4. diſt. 25. & Turrecrem. in d. c. 1.

34 Ad tertium, Negatur quod clericus poſſit vendi, nec illud quod de S. Paulino dicitur trahi debet in conſequẽtiam illud enim factum fuit ex abundantia charitatis, cum ex eius venditione, multi liberari extiterint, & ubi ſpiritus domini, ibi libertas. 2. ad Cor. 3. Turrecrem. in d. c. 1. ex ſententia S. Thomæ.

Ad quartum, Non valet conſequẽtia, ſeruus poteſt ſuſcipere alia ſacramẽta, ergo & ordinẽ; ex duobus, primo, quia in aliis non conſtituitur in dignitate, ſecundo nõ præiudicatur domimino, ſicut in ordine.

35 Ad quintum, Eſto quod ſeruitus diabolica ſit maior quam humana, tamen quia diabolica deleri poteſt ex voluntate peccatoris pœnitentis, qui adiuuante Deo relicta diabolica ſeruitute ſit ſeruus Dei, humana vero ſine domini voluntate non ceſſat; merito ergo argumentum non ſequitur.

36 Ad ſextum, Diuerſitas rationis eſt inter unum, & alium; inanimata res recipit conſecrationem in ſuperficie, ideo non reſtituitur ne à profanis tangatur, homo vero in anima conſecratur. Gloſſ. & Doct. in c. nulli. diſt. 54.

37 Ad

37 Ad ſeptimum, Diſpoſitio text. in d. c. ex antiquis, fulcitur duabus rationibus; prima, quia ex inconuenientibus minus eſt eligendũ, quod quis ſine culpa ſua priuetur iure dominii in ſeruum eſt inconueniens, ſed maius eſt, quod Eccleſia defraudetur in miniſterio, cui ordinatus ex ordine recepto eſt mancipatus; altera eſt, quia minus

38 cedit maiori, hic duobus ſeruire non poteſt, ſeruitus humana debet cedere ſeruituti diuinæ, & ſic ex cauſsa quis iure ſuo priuatur, quod poteſt, adnot. per Bart. in l. fin. C. ſi cont. iuſt. & util. publ. Abb. Felin. & Canoniſtæ in c. quæ in Eccleſiam de conſt. Deus eſt dominus dominantium. Turrecrem. in d. c. ex antiquis.

39 Ad octauum, Ideo non contradicente domino poteſt ordinari, quia videtur conſentire, & licentiam dare, ut ordinetur & conſenſu domini ſit liber.

40 Ad nonum, Ideo ſeruus monaſterii poteſt ordinari, quia manet mãcipatus ſeruitio monaſterii, cui non præiudicatur, cum monachi poſſint incumbere in gradu ſacerdotali, artificialibus, fabrilibus, & aliis vilibus obſequiis, ut d. c. multos. diſt. 54. teſtatur.

Ad decimum, Quod voluntate Domini ſeruus ordinetur, non eſt inconueniens, cum tum fiat liber, & non infertur præiudicium ipſi domino volenti, neq. obſtat, quod retineatur abſequium, quia, aut eſt ſpirituale, aut conſiſtit in non faciendo, quod incongruum non eſt clerico.

Ad contraria deducta contra affirmatiuam pro negatiua ſic reſpondetur.

41 AD Primum, Ex receptione ordinis excluditur vilitas, donec ſunt ſerui, vere ſunt viles, ſed ceſſante ſeruitute, & aduenien te libertate prepter ordinem ſuſceptum, non dicuntur amplius viles, ſed ſunt in maxima dignitate.

42 Ad ſecundum, Procedit in caſu, quo remanet ſeruus, ac domino reſtituitnr, ſed quando ordinatus eximitnr à domini poteſtate, & ſubiicitur Eccleſiæ, tunc non poteſt amplius à domino occupari in iis, quæ Clerico non conueniunt.

Ad tertium, & decimum, Quando ſine conſenſu ordinatur, ſequitur abſurdum, ſecus quando de conſenſu ordinatur, quia tunc tantum eſt ſubditus Eccleſiæ.

43 Ad quartum, De ſubiectione mulieris non procedit argumẽtum, quia illa naturalis eſt, & incommutabilis, ſeruitus vero humana

fortuita eſt, & mutabilis, ideo mulier non eſt capax propter immutabilitatem naturalem, quia naſcitur ſubiecta, & ſic moritur, ſed ſeruus eſt conditionis mutabilis, non ſolum fortuna,ſed voluntate domini ſit liber,non ſic mulier,

Ad quintum, Non procedunt illa iura interueniente domini conſenſu, quo caſu poteſt ordinari, & ſit liber.

Ad ſextum, Durante obligatione, & ſeruitute procedit ratio, ſecus ceſſante.

44 Ad ſeptimum, Ideo liberti non poſſunt ordinari, quia remanent obligati patronis ad certa opera facienda, ſed ſicuti liberati ab hac obligatione poſſunt ordinari, ſic ſerui liberati eodem modo.

46 Ad octauum, Præcauendum eſt,ne quis ſine domini voluntate ordinetur, ne reſtituatur ordinatus, cum ordinis dedecore, ut in d.c.1.dicitur; ſecus ubi accidit conſenſus domini, quo caſu ſi ordinetur, non redigitur amplius ad ſtatum ſeruitutis; unde nihil in hoc caſu præcauendum eſt, quod clericalis dignitas aliquo modo minuatur.

Ad nonum, Ideo manumiſſus retento aliquo ſeruitio ordinari non poteſt, quia indecens eſt illius ſeruitii retentio clericali dignitate, ſecus ſi eſſet ſpirituale, vel conſiſtens in non faciendo, quod ordinationem non impediret.

Articulus decimusoctauus.

Vtrum illiterati poſſint ordinari, necne.

S V M M A.

1 *Literarum cognitio requiritur in clerico,ut officium ſuũ poſſit exerceri.*
2 *Ignorantia non eſt peccatum late.*
2 *Peccantes poſt poenitentiam poſſunt ordinari, & quare.n.25.*
3 *Epiſcopus, qui neſcit grammaticam, & non intelligit verba, quæ pronuntiat, non eſt irridendus,quomodo intelligatur,n.26.*
4 *Epiſcopi debent uocere presbiteros ignaros.*
5 *Monachi etiam illiterati poſſunt ordinari, & quare.n.27.*
6 *Illiteratus præ ſeferens ſpem proficiendi, ſi ſit bonæ indolis,ordinatur.*
7 *Apoſtoli, quando vocati fuerunt, inſcij, & idiotæ erant.*
8 *Impedimentum reſpectu animæ, vel intellectus maius eſt, quam quod eſt reſpectu corporis.*
9 *Illiteratus poteſt dici ſal infatuatum, & de quo intelligatur.n.30.*
10 *Chriſtus Dominus prius ſedit inter Doctores, audiens, & interrogans, & poſtea prædicauit.*

11. Illi.

11 *Illiteratus repellitur à ſacerdotio, in ſacris litteris; & de quo intelligatur.n.31.*
12 *Ignorans Chriſtum ordinari non debet. & quis ſit.n.32.*
13 *Ignoratus à Deo non debet ordinari, & quis ſit.n.32.*
14 *Quod requiritur in aliquo facto ſine requiſito fieri non poteſt,*
15 *Cui non committitur quod eſt minus, non committitur quod eſt maius.*
16 *Litterarum peritia, non requiritur de neceſſitate ſacramenti, ſed de neceſſitate præcepti.*
17 *Illiteratus omnino, non poteſt ordinari, & ordinatus deponitur.*
18 *Illiteratus parum ſciens, & prębens aliquam ſpem proficiendi, ſi eſt regularis poteſt ordinari.*
19 *Monachis, magis conuenit contemplatio, quam ſcientia.*
20 *Sæcularis illiteratus, ſi locus in quo ordinatur, non indiget ulteriori promotione, poteſt ordinari, ſecus ſi indiget.*
21 *Sæcularis illiteratus prębens aliquam ſpem proficiendi, poteſt ad minores ordines promoueri, non autem ad maiores.*
22 *Ordinis ſacri, & aliorum ſacramentorum eſt diuerſa ratio.*
23 *Pueri ſine litteris, non poſſunt ordinari.*
24 *Ordinis alicuius officium non poteſt exerceri ſine litteris.*
28 *Diſcipuli Domini, poſtquam edocti ſunt, fuerunt ad Apoſtolatum aſſumpti.*
29 *Impedimentum corporale, & ſpirituale diuerſum eſt ſecundũ rationem.*
33 *Scientia, alia neceſſaria eſt Epiſcopis, alia inferioribus, & alia infimis.*
34 *Prima tonſura non committitur penitus illiterato, ſecus in habente aliquam ſcientiam, licet paruam.*

Pro parte affirmatiua, hæc, quæ ſequuntur poſſint afferri.

PRimo, alia ſacramenta illitterati, ſicuti litterati percipiunt; ergo & ordinem.

Secundo, pueri poſſunt ordinari, c.ſingulis.diſt.77.& nihilominus non ſolum ſunt illitterati, ſed rationis incapaces; ergo.

1 Tertio, Litterarum cognitio nulla alia de cauſſa requiritur, niſi ut quiſq. ſciat, & officium ſuum poſſit exercere, Inn. Abb. & Doct. in c.cum in cunctis de elect. Archid. in c.1.diſt.36.ſed multi ſunt ordines, quorum officium nullam litterarum peritiam exigit, ut prima tonſura, Oſtiariatus, Acolythatus; ergo datur ordo, quo quis illitteratus inſigniri poſſit.

2 Quarto, Ignorantia non eſt peccatum late, Turrecrem in c.1.diſt.38.ſed peccantes poſt pœnitentiam poſſunt ordinari, ut in articulo decimo diximus; ergo multo magis ignorantes, & illitterati.

Quinto

Quinto, Eſt text. in c. cum nobis olim. de elect. ubi in electione non requiritur tanta litteratura, & ex defectu ſcientiæ præcipitur non eſſe excludendam perſonam, de qua ibi; ergo.

3 Sexto, Eſt text. in c. ſedulo diſt. 38. ubi cauetur non eſſe irridendum Epiſcopum, qui neſcit grammaticam, & non intelligit verba, quæ pronuntiat, ſed nulla reperitur ignorantia maior, qua grammaticam neſcimus, & verba pronuntiata non intelligimus, & loquitur in Antiſtite; ergo litterarum imperitia non debet impedire ordinis ſuſceptionem.

4 Septimo, Eſt text. in c. placuit. 10. q. 1. ubi dicitur, quod Epiſcopi debent docere presbyteros ignaros, ergo ignari fuerunt ordinati, & conſequenter ignari poſſunt ordinari.

Octauo, Eſt text. in c. 1. de renunt. ubi ſi quis caritate abundat, & propter imperitiam non eſſet idoneus, reijciendus non eſt.

5 Nono, Eſt doctrina communis, quod monachi, & qui incumbunt potius contemplationi, quam animarum curæ, poſſunt ordinari, etiam ſi ſint illitterati, Gloſſ. Archid. in d. c. 1, diſt. 36 Inn. & Abb. in d. c. cum in cunctis de elect. Io. de Immol. in clem. 1. de ætat. & qualit. ergo datur caſus, quo illitterati poſſunt ordinari.

6 Decimo, Ex ſententia præfatorum Doctorum in locis ſupracit. quando aliquis eſt bonę indolis, præſeferens ſpem proficiendi, etiam illitteratus, poteſt ordinari; ergo.

7 Vndecimo, Apoſtoli, quando vocati fuerunt, inſcij, & idiotæ fuerant; ergo.

Pro parte vero negatiua hæc afferuntur.

PRimo, Si illitterati poſſent ordinari, ſequeretur, quod ordo, vel eius officium exercere neſcienti committereretur; ergo.

8 Secundo, Maius eſt impedimentum, quod eſt reſpectu animæ, vel intellectus, quam illud, quod eſt reſpectu corporis, ſed impedimentum corporale, nimirum priuatio manuum, &c. impedit ſuſceptionem ordinis; ergo multo magis debet impedire priuatio habitus, intellectus, & ſcientiæ.

9 Tertio, Illitteratus propter eius inſufficientiam, recte dici poteſt ſal infatuatum, & vanum, quod ad nihilum valet, niſi ut mittatur foras. ergo non intus recipiendus eſt, vel ordinandus iuxta illud Matth. 5.

Quarto, Eſt text. in c. 1. diſt. 36. ubi prohibetur illitteratos promoueri.

10 Quinto

10 Quinto, Saluator Dominus, prius in medio Doctorum ſedit, audiens, & intrrrogans illos, poſtea prædicauit; ergo illitteratus ordinari non poteſt.

11 Sexto, Scriptum eſt Oſeæ 4. Quia tu ſcientiam repuliſti, ego te repellam, ne ſacerdotio fungaris mihi; ergo ignarus ab ordine repellitur.

12 Septimo, Qui ignorat Chriſtum, ordinari non debet, ſed ignorantia ſcripturarum, & litterarum ad doctrinam Chriſtianam ſpectantium eſt ignoratio Chriſti. 1. ad Cor. 1. ergo ignarus non debet ordinari c. ſi iuſta diſt. 38.

13 Octauo, Qui ignoratur à Deo non debet ordinari, ſed qui ignorat, ignoratur à Deo. 1. ad Cor. 14. ergo qui ignorat non debet ordinari, c. qui ea diſt. 38.

14 Nono, Quod requiritur in aliquo facto, ſiue requiſito fieri non poteſt, ſed in cunctis ordinibus requiritur litterarum cogntio c. in cunctis de elect. ergo abſq. litterarum cognitione quis ordinari non poteſt.

Decimo, Illiterato non poteſt conferri prima tonſura c. fin. de temp. ord. ergo neq. alij maiores, cui enim non patet ianua ad domum, ingreſſus non permittitur, & cui non committitur minus, non committitur maius, d. c. cum in cunctis ex Aut. multo magis.

S O L V T I O.

AVT quæritur, An illiterati poſſint ordinari de facto, & recipiant characterem, an vero poſſint de iure; primo modo de facto poſſunt ordinari, & recipiunt characterem, quia litterarum peritia non requiritur de neceſſitate ſacramenti, ſed tantum de neceſſitate præcepti; hanc concluſionem ponit Gloſſa in d. c. 1. diſt. 36. quam Inn. Oſt. Io. Andr. & Abb. ſequuntur in d. c. cum in cunctis. de elect. eadem Archid & Turrecrem. in d. c. 1. diſt. 36. Specul. de diſp. §.

17 iuſta. Stephan. de Gaet. in d. c. ad lim. §. 3. n. 8. amplectuntur; aut quæritur, an de iure poſſint ordinari; & tunc, aut ſunt omnino illiterati, aut parum ſciunt, ſi penitus, non poſſunt promoueri, & ſic intelligitur text. in c. illiterato diſt. 35. ita omnes concludunt, & refert Turrecrem. ibid. & Doctor. in d. c. cum in cunctis; & ſi pro-

18 moueantur deponuntur, Turrecrem. in d. c. ſedulo diſt. 38. aut ſunt illiterati, quia parum ſciunt, & tunc, aut præbent aliquam ſpem proficiendi, aut nullam; ſi nullam, tunc aut eſt regularis, aut ſæcula-

19 ſæcularis; ſi regularis ut monachus, tunc poteſt ordinari, quia monachis, magis conuenit contemplatio, quam ſcientia, 16. q. 1. &
20 Doct.in d.c.cum in cunctis. Turrecrem.in d.c.1. diſt. 38. aut eſt ſæcularis; & tunc aut locus in quo ordinatur, indiget ulteriori promotione, aut non, ſi non tunc poteſt ordinari, Vgo. Inn. &. Abb.in d.c.cum in cunctis, Turrecrem.in d.c.1. diſt. 36. ſi indiget, ordinari
21 non poteſt; aut præbet aliquam ſpem proficiendi; & tunc, aut eſt promouendus ad maiores, aut ad minores; ſi ad maiores, non poteſt, quia non habet ſcientiam, qua poſſet explere officium ſuum; aut ad minores, & tunc poteſt ordinari; ita declarant ſupracitati Doct.Io.Andr.& Dom.in d.c.fin. extr. de temp. ord. Io. de Im. in Clem.1.de ætat.& qualit. Stephan.de Gaet.in d.c.ad limin.§.3.n.79.

Amplectendo igitur concluſionem hanc, qua aſſeritur illiteratos non eſſe ordinandos, reſpondetur ad ea, quæ pro parte affirmatiua adducta fuerunt.

22 Ad primum, Non procedit argumentum de alijs ſacramentis ad ordinem, quia eſt diuerſa ratio, cum in aliis non ſit neceſſaria ſcientia ad officium ſubeundum, ſicuti in ordine.

23 Ad ſecundum, Non eſt verum, quod pueri ſine literis ordinari poſſint, ſaltem enim requiritur exhibitio ſpei addiſcendi.

24 Ad tertium, Negatur, quod reperiatur ordo, cuius officium ſine litteris expleri poſſit, & ſi recte inſpiciatur textus in c.cler. diſt. 21. facile intellexerimus in omnibus ordinibus litterarum peritiam requiri.

25 Ad quartum, Ideo peccantes poſſunt ordinari, quia peccatum ceſſat, ſed ſecus eſt in ignorantia, quæ non ceſſat, & ſic eſt diuerſa ratio; vel ſicuti ceſſat peccatum per pœnitentiam, & poteſt pœnitens ordinari, ſic per habitum ſcientiæ ceſſat ignorantia, & poteſt ordinari, & ſic retorquetur.

Ad quintum, ſeptimum, & octauum, Reſpondetur, quod illa iura loquuntur de ordinato, cuius ignorantia facilius toleratur.

26 Ad ſextum, Text. in c. ſedulo loquitur de neſciente grammaticam, ſed non in aliis ſcientiis, licet proprie textus ille loquatur de promoto.

27 Ad nonum, Ideo monachi illiterati poſſunt ordinari, quia magis incumbunt contemplationi, & animæ ſuæ, quam aliorum curę, verum etiã, quia intelligitur de habentibus aliquam literaturam.

Ad decimum, Procedit illud præbentibus ſpem proficiendi, & non illiteratis omnino.

28 Ad

28 Ad undecimum, Quando fuerunt vocati, erant diſcipuli, poſtquam edocti fuerunt aſſumpti fuerunt ad Apoſtolatum.

Sequendo modo contrariam opinionem, ad ea, quæ pro parte negatiua fuerunt allegata, reſpondetur.

AD primum, Non procedit in illis, qui parum ſciunt, hi enim poſſunt ordinari in minoribus, ſed procedit in iis, qui ſunt penitus illiterati.

29 Ad ſecundum, Impedimentum corporale, de quo in argumento non ceſſat, ideo non recipit ordinem, ſecus in ignorantia, quia poteſt ceſſare per acquiſitionem habitus ſcientiæ, & ſic ordinatur propter diuerſitatem rationis.

30 Ad tertium, Sal infatuatum comparatur penitus illiterato, qui mittendus eſt foras, & in nullo eccleſiaſtico ordine eſt recipiendus; ſecus eſt illitteratus habens aliqualem cognitionem, licet paruam, & præſefert ſpem proficiendi, hic enim non dicitur fatuus, neq. foras mittendus, cum ad aliquid valeat, ergo aliquo ordine poteſt inſigniri.

Ad quartum, Text.in d.c. 1.diſt.36. loquitur de omnino illiterato, & non de habente aliquam ſcientiam, licet paruam.

Ad quintum, Sciens aliquid, licet parum, oſtendit ſediſſe inter Doctores, & Magiſtros, cum per ſe, nec parua, nec multa poſsit acquiri ſcientia; ſolus illitteratus omnino, nunquam inter magiſtros ſedit.

31 Ad ſextum, Recte repellitur à ſacerdotio, qui omnino ſcientiam repellit, ergo qui aliquam, licet paruam acquiſiuit, non repellitur.

32 Ad ſeptimum, & Octauum, Qui eſt omnino illiteratus, dicitur ignorare Chriſtum, & ſic non ordinatur, ſed qui aliquam ſcientiam, licet paruam poſsidet, non dicitur ignorare in eo, quod ſcit, & in aliquo non ignorat Chriſtum, ergo aliquo ordine debet inſigniri.

33 Ad nonum, In cunctis ordinibus requiritur literarum peritia, ſed non omnis litterarum cognitio, quia in Epiſcopis requiritur eminens, in inferioribus mediocris, in aliis infimis aliqualis, & ſic non in cunctis requiritur ſcientia, Inn.in d.c.cum in cunctis.

34 Ad decimum, Penitus illiterato, non committitur prima tonſura ſecus eſt in illitteraro ſcientiam aliquam, licet paruam habente, ve ſpem proficiendi præbente, Doct.in c.fin.extr.de temp. ord.

Ex

Ex articulis ſuperius diſputatis remanet deciſa quarta quæſtio, in qua diſſeruimus de perſonis, quæ ſacramentum ordinis ſuſcipere poſſunt, necnon de qualitatibus, quæ ſunt de neceſſitate ſacramenti, & quæ ſunt de neceſsitate præcepti. Nunc ad quintam quæſtionem accedamus.

Quæſtio quinta.

An ordo ſit neceſſarius, ut quis ſit Clericus, & ſine quo non.

PRima quæſtio verſatur circa perſonas ordinandas, quarum ratio in definitione Clerici ponitur loco generis; perſona enim eſt quodammodo materia clericatus, quaſi ſine perſona, in qua conſiſtit, & clericatus ſit, & non ſit. Hæc quinta quæſtio verſatur circa ordinem ſuſcipiendum, qui in definitione ponitur loco ſpecificæ, & eſſentialis differentiæ, ubi dicitur, quouis ordine eccleſiaſtico, &c. in quibus verbis ponitur forma; ordo enim dat eſſe, ut quis clericus exiſtat; pro cuius explicatione multi veniunt articuli diſcutiēdi.

Articulus primus.

Vtrum ſacramentum ordinis, recte vocetur ordo necne.

S V M M A.

1 *Ordo eſt diſpoſitio rerum ſecundum prius, & poſterius, qua eſt ratio eius eſſentialis.*
2 *Ordo ſecundum S. Auguſtinum. eſt parium, diſpariumq. rerum, ſua unicuiq. loca tribuens diſpoſitio.*
3 *Ordo Eccleſiaſticus quid ſecundum Magiſtrum ſententiar.*
4 *Ordinem eccleſiaſticum eſſe ſacramentum eſt de fide.*
5 *Sacramentum quid ſecundum Magiſtrum ſententiar.*
6 *Ordo multipliciter poteſt conſiderari.*
7 *Ordinis ſacramentum varie definitur à Doctoribus.*
8 *Ordinis ſacramentum non eſt diſpoſitio ſecundum prius & poſterius.*
9 *Ordinis ſacramentum non eſt parium diſpariumq. rerum ſua unicuique loca tribuens diſpoſitio.*
10 *Sacramentum non eſt ſimplex ſignum exterius.*

Quod non recte ſacramentum ordinis ordo nuncupetur infraſcriptis poteſt demonſtrari rationibus.

1 PRimo, Ordo ex ſentētia Ariſt. eſt diſpoſitio rerū ſecundum prius, & poſterius, ut refert Thom. Canā. Ferr. in repet. proem. Decret. n. 84.

n.84. ſed hæc definitio non conuenit huic ſacramento, quia potius ex omnium ſententia eſt poteſtas actiua, quam diſpoſitio, potius eſt poteſtas faciendi, iuxta officium, quam diſponendi; ergo non recte vocatur ordo.

Secundo, Ratio eſſentialis ordinis eſt prius, & poſterius, & ſic habitudo relationis ſecundum Zimaram, ut teſtatur idem Canan. dicto loco; ſed ratio formalis ordinis eccleſiaſtici non eſt prius, vel poſterius, cum nec ſignum extrinſecum ſenſibile, nec intrinſeca characteris impreſsio habeat in ſe prius, & poſterius, ergo nomen non conuenit, cum eius ratio minus conueniat.

2 Tertio, Secundum S. Auguſtinum 18. de ciu. Dei. c. 13. Ordo eſt eſt parium, diſpariumq. rerum ſua unicuiq. loca tribuens diſpoſitio, refert Sot. diſt. 24 q. 1. art 1. Nau. c. 22. de ſacram. ord. ſed ordo eccleſiaſticus non eſt huiuſmodi, ſunt enim ſeptem, & inferior non præbet loca illis, qui ſunt in ſuperiori, neq. illis, qui ſunt eiuſdem ordinis, quia cum ſint in eodem loco, non poſſunt eſſe in ordine, cuius ratio eſt in diuerſis; ergo male nuncupatur ordo.

3 Quarto, Secundum Mag. ſent. in 4, diſt. 24. Ordo eccleſiaſticus eſt ſignaculum, per quod traditur ſpiritualis poteſtas ordinando, modo, aut hoc ſignaculum eſt ſignatio, ſeu ordinatio, aut eſt perſona ſignata, & ſic ordinata, aut ipſum ſignum, quo quis ſignatur, aut effectus ſignaculi, & ordinationis, & ſic traditio ſpiritualis poteſtatis, aut impreſsio characteris, ſed non eſt ordinatio, tanquam differens ab eo, in quo quis conſtituitur ipſa mediante ordinatione, non perſona ordinata, quæ differre debet ab ordine, in quo eſt ordinata; non ſignum, quod differt ab ordine tanquam effectus emanans à ſigno, non character, tanquam forma differens à ſuo formato; ergo non recte vocatur ordo.

4 Quinto, Ordo eccleſiaſticus eſt ſacramentum, quod eſt de fide, ut habetur in Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 3. & refert Nau. c. 22. de ſacram.
5 ord. ergo male vocatur ordo; probatur conſequens; ſacramentum eſt rei ſacræ ſignum, ſecundum Mag. ſent & refert Stephan. de Gaet. in c. ad limina. §. 1. n. 129. ſed ſuperius demonſtratum eſt, ordinem non eſſe ſignum, neq. ei ſignatum aliquod competere; ergo.

Quod vero ſit, & recte vocetur ordo ratione, & auctoritate comprobatur; vetus exiſtit in eccleſia appellatio c. in nouo diſt. 21. ubi Anacletus diſcipulus Petri dicit poſt Chriſtum Dominum in Petro ſucceſsiſſe ordinem ſacerdotii, & per totam diſt. 77, & de temp. ord. & Doctores antiquiſsimi paſsim hoc nomine vocarunt: unde

non

non dubitandum recte, & omni ratione, ordinem vocatum eſſe hoc ſacramentum,& poſtremo loco exſtat Concil. Trid.ſeſſ.25.

SOLVTIO.

6 Dico igitur multipliciter poſſe conſiderari ordinem, quia hoc nomen latiſsimum eſt ſecundum S. Thom. Turrecrem. Sor. Nauarr.& alios;primo ſecundum propriam acceptionem ſignificat relationem, & habitudinem inter prius, & poſterius, inter ſuperius, & inferius, & ſecundum hanc ſignificationem definitur ab Ariſt.& S.Auguſt. locis ſuperius commemoratis. & hoc modo non accipitur ordo eccleſiaſticus, licet Thom. VVald. tom.2.c.116.de ſacram.ut refert Sot.in 4.diſt.24.q.1.art.1. nitatur definire ordinem eccleſiaſticum iuxta hanc ſignificationem, ſic inquiens; Ordo eſt miniſtrantium ſacramenta legitima habitudo cuiq. ratione miniſterii conueniens; ſed Doctores aliter recipiunt ordinem eccleſiaſticum. ſecundo modo accipitur ordo pro gradu, ex quo ordo primo modo acceptus deriuatur; Ordo enim primo modo ſumptus lucet ex pulchritudine graduum,& inter ſuperiores, & inferiores ordines reperitur ordo proprie ſumptus, qui eſt realis illa relatio, quæ in uno gradu reperiri non poteſt, ſed tunc enaſcitur, quando uni alius gradus additur, non quod gradus proprie ordo ſit, ſed quia per additionem gradus luceſcit ordinis pulchritudo; hinc tractum eſt vocabulum ordinis eccleſiaſtici, qui pro gradu accipitur; ſic olim ordinem ſenatorium antiqui accipiebant pro gradu ſenatorio; ita S. Thom.in 4. diſt. 24. & Durand.declaraſſe teſtatur Turrecrem. in c. cleros.diſt.21. tertio modo accipitur pro actu illo exteriori, quem in ordinatione facit Epiſcopus, per quem actum, vel geſtum iuxta formam eccleſiæ imprimitur character, & traditur poteſtas, ut ex definitione Mag. ſent.colligitur; non quod actus ille, vel geſtus exterior ſit ordo, ſed quia ſigno illo exteriori ordinationis, interius traditur poteſtas,& ſic ordinatus ſit præeminẽs,& aliis præſtat,quæ præeminẽtia,& præſidẽtia nõ poteſt eſſe ſine relatione inferioritatis, & ſuperioritatis, quæ relatio eſt propria ordinis ratio, hinc deriuatũ eſt vocabulũ,ut ſignũ illud,vel poteſtas dicatur ordo.& ſecundũ hãc
7 tertiã acceptionẽ ordo à Doctoribus varie definitur;ſecũdum enim Mag. ſent. & Hug.de Sancto Vict. ſic definitur; Ordo eſt ſignaculum eccleſiæ, per quod traditur ſpiritualis poteſtas ordinato;ſecundum Oſt. ſic definitur; Ordo eſt ſacramentum eccleſiæ ab Apoſtolis

lis introductum, cuius character per manus impoſitionem prælati ſecundum formam Eccleſiæ operante Spiritu ſancto imprimitur or dinato; ſecundum vero alios ſic, ut refert Nicol. Plou de ſacr. p. 6. c. 1. Ordo eſt inſtitutio in gradu Eccleſiæ ſimpliciter præeminente, diſponens habentem ad conficiendum Euchariſtiæ ſacramentum, facta ab Epiſcopo certa verba cum intentione debita proferente; nouiſſime tamen ſecundum Nau. ſic definitur. Ordo eſt ſacramentum, quo traditur character, & poteſtas conſecrandi Euchariſtiam, vel in id adminiſtrandi.

His declarationibus, & definitionibus habitis, facile ad contraria reſponderi poteſt.

8 Ad primum, Non conuenit ordini eccleſiaſtico Ariſt. definitio, cum illa ſit ſecundum primam acceptionem, habens relationem ſecundum prius, & poſterius; Ordo enim eccleſiaſticus nomen accepit iuxtà ſecundam, & tertiam ſignificationem, quibus ſtantibus, licet ordo non ſit rerum diſpoſitio, eſt tamen diſpoſitio perſonarum, qua habiles redduntur ad ea peragenda, quæ ad officium, & rationem ſuæ præſidentiæ, & præeminentiæ ſpectant.

Ad ſecundum, Iuxta primam ſignificationem ratio eſſentialis ordinis eſt prius, & poſterius, ſecundum quam non accipitur eccleſiaſticus ordo, ſed ſecundum alias duas acceptiones, ſecundum quas, ſi non prius, & poſterius, ſaltem diſtinctio graduum eſt forma eſſentialis, cum ex illa diſtinctione ordinis pulchritudo reluceat.

9 Ad tertium, Definitio S. Auguſtini, ſicut Ariſtotelis eſt ſecundum primam acceptionem, ſecundum quam eſt diſpoſitio unicuiq. loca ſua tribuens, ſecundum quam non accipitur ordo eccleſiaſticus, ſed ſecundum alias duas, ſecundum quas, ſi non eſt diſpoſitio tribuens loca, eſt tamen diſpoſitio tribuens gradum, & poteſtatem, ex qua loca pendent.

Ad quartum, Idem dicendum eſt, quod ſuperius; nimirum ſecundum primam acceptionem argumentum procedere, ſecus ſecun dum ultimam, ſecundum quam licet ordinatio, vel ordinatus, vel ſignum, vel characteris impreſſio ordo non ſit; ſunt enim hæc in cauſſa, ut ordo ſit, & poteſtas interius tradita, & exterius gradus, recte dicetur ordo, cum ex pręeminentia poteſtatis, & gradus clariſsima pulchritudo ordinis appareat.

10 Ad quintum, Non eſt ſimplex ſignum exterius, ſed quod interius traditur, eſt cauſſa, ut quis in gradu ſit, in cuins additione ordinis ràtio conſiſtit, iuxta duas ultimas acceptiones, & ex illa nomẽ trahitur.

Articulus ſecundus.

Vtrum in Eccleſia recte ponatur ordo, necne.

SVMMA.

1 *Ordo diſtinctionem, ac diuiſionem efficit. & n.5.*
1 *Vbi non eſt diſtinctio, ordo reperiri non poteſt.*
2 *Ordinis ratio in prælatione, & ſubiectione conſiſtit.*
3 *Ordo non poteſt eſſe ſine relatione prælationis, & ſubiectionis.*
3 *In eccleſia nulla eſt ſubiectio. quomodo intelligatur. n.21.*
4 *Ordo, & prælatio, aut eſt ſecundum bona naturæ, aut fortunæ, aut gratiæ.*
5 *Populus fidelis quanto eſt ſimilior ſuo creatori Deo, tanto melior, & è contra.*
6 *Ordo repugnat ſimplicitati, & admittit diuiſionem, & compoſitionem, quomodo intelligatur. n.23.*
7 *Occaſiones omnes malorum tollendæ ab eccleſia.*
8 *Eccleſia ædificata eſt à Chriſto ſanguine ſuo.*
8 *Quod à Deo eſt, ordine conſtitutum eſt.*
9 *Eccleſiæ ſtatus eſt medius inter ſtatum naturæ, & ſtatum gloriæ, ſecundum* S. T*hom.*
10 *Varietas ſine ordine eſſe non poteſt.*
11 *Deus omnia opera ſua in ſui ſimilitudinem producere voluit.*
11 *Inter perſonas diuinas reperitur ordo originis,*
12 *Eccleſia militans ſimilis eſt* Eccleſiæ *triumphanti.*
13 *Eccleſiæ proceſſus ad eſſe gratiæ magis debet eſſe ordinatus, quam proceſſus naturæ, ad eſſe naturæ.*
14 *Vbi eſt multitudo errantium, ibi debet eſſe regimen.*
15 *Maius, & minus ſine ordine eſſe non poſſunt.*
16 *Eccleſia eſt unum corpus.*
17 *Aſſerens in Eccleſia non eſſe hierarchiam, diuina ordinatione conſtitutam eſt anathema, ex* Conc. Trid.
18 *Ordinem poni in Eccleſia eſt de fide.*
19 *Diſtinctio non eſt unitati contraria, niſi in quantum ordine caret.*
20 R*eputare ſe inferiorem dupliciter contingere poteſt.*
21 *Subiectio duplex mundana, & ſpiritualis.*
21 *Subiectio ſpiritualis, non repugnat libertati, ſicut humana, & quare.*
22 *Ordo eſt gratia gratis data.*
24 *Ambitio aſcendendi non procedit à gradu Eccleſiaſtico, ſed ab inordinatione appetitus.*

Quod recte non ponatur ordo in Eccleſia ſic probatur.

1 PRimo, Ordo diſtinctionem, & diuiſionem efficit, ubi enim non eſt diſtinctio, ordo reperiri nullo modo poteſt; ſed Chriſti

fideles

fideles unitatem cuſtodire nituntur, ut dicitur ad Coloſſ. 3. ibi: Omnes ſumus unum corpus in Chriſto. & ad Epheſ. 4. Omnes ſolliciti ſitis ſeruare unitatem ſpiritus; ergo ordo non recte ponitur tanquam unitati repugnans.

2 Secundo, Ratio ordinis conſiſtit in prælatione, & ſubiectione, ut ſuperiori articulo demonſtratum eſt, ſed cuncti fideles debent ſe reputare inferiores, Luc. 22. ibi. Qui maior eſt in vobis, fiat ſicut minor. & ad Phil. 2. Superiores ſibi inuicem arbitrantes; ergo nulla prælatio, & ſic nulla ordinis ratio.

3 Tertio, Ordo non poteſt eſſe ſine relatione prælationis, & ſubiectionis, ſed in Eccleſia nulla eſt ſubiectio; ſic enim repugnaret libertati, in quam vocati ſumus per Chriſtum dominum. ad Gal. 5. & Io. 8. Si filius vos liberauerit, vere liberi eritis; ergo in Eccleſia eſt ponendus ordo.

4 Quarto, Ordo, & ſic prælatio, aut eſt ſecundum bona naturæ, aut fortunæ, aut gratiæ, non naturæ, quia ipſa homines ſunt unum, non fortuna, quia ſic caſu exiſteret, & non ſtabilitate roborata, & huiuſmodi non ponitur in eccleſia, non gratia, quia hæc ignota eſt; ergo nullus ordo.

5 Quinto, Populus fidelis quanto eſt ſimilior ſuo creatori Deo, tanto melior, & è contra, ſed Deus eſt ſimpliciſsima ſubſtantia; ergo quo quis ſimplicior, eo melior; ſed ordo repugnat ſimplicitati,
6 & admittit diuiſionem, atq. commpoſitionem; ergo ordo non eſt ponendus in Eccleſia, ubi nitimur in dies fieri ſimiliores Deo, eiq. adhærendo.

7 Sexto, Ab eccleſia tollendæ ſunt omnes malorum occaſiones, ſed ordo videtur ambitionis occaſio, quinimmo cauſſa, ſine qua non inueniretur ambitio. ſi enim non daretur aſcenſus, neq. ambitio aſcendendi; ergo ab eccleſia tollendus eſt ordo; ergo multo magis non ponendus.

Quod vero recte ponatur ſic probatur.

8 PRimo, Eccleſia eſt ædificata à Chriſto Domino ſanguine ſuo, ſed quod à Deo eſt ordine conſtitutum eſt, & ordinatum. ad Rom. 13. ergo recte ponitur ordo in Eccleſia.

Secundo, Facit illud Cant. 6. Terribilis, ut caſtrorum acies ordinata. quod omnes de eccleſia intelligunt.

Tertio, Eſt text. in c. cleros. diſt. 21. ubi in plures gradus, & ordines clericorum ſtatus diuiditur; ergo.

9 Quarto, Secundum S. Thom.in 4.diſt. 24.Status eccleſiæ eſt medius inter ſtatum naturę, & ſtatum gloriæ, ſed in natura datur ordo, cum quædam ſint alijs inferiora, & pariter in gloria, ut eſt in Angelis;ergo & in eccleſia.

10 Quinto, Facit illud pſal.44.Circundata varietate,quod omnes intelligunt de Eccleſia, ſed varietas ſine ordine eſſe non poteſt; ergo,

11 Sexto, Secundum S.Thom.loco cit. Deus omnia opera ſua in ſui ſimilitudinem producere voluit, ut eſſent perfecta; ſed intus inter perſonas diuinas reperitur ordo originis,ut Pater à nullo,Filius à Patre, Spiritus ſanctus ab utroque;ergo in eccleſia, quæ eſt à Deo, & principale opus ſuum, debet eſſe ordinis pulchritudo.

12 Septimo, Eccleſia militans ſimilis eſt eccleſiæ triumphanti.Exod. 29.Inſpice, & fac ſecundum exemplem, quod demonſtratum eſt in monte, ſed in triumphante eſt ordo Angelorum,ergo in militante debet eſſe ordo Clericorum.

13 Octauo, Magis debet eſſe ordinatus proceſſus eccleſiæ ad eſſe gratiæ, quam proceſſus naturæ ad eſſe naturæ, ſed in natura eſt ordo, ergo & in Eccleſia.

Nono, Si in Eccleſia non poneretur ordo, melius diceretur conſtituta reſpublica temporalis, ubi eſt ordo, quam ſpiritualis, & eccleſiaſtica, ſed conſeqnens eſt falſum, ergo & antecedens,& ſic ordo recte ponitur in Eccleſia.

14 Decimo, Vbi eſt multitudo errantium, ibi debet eſſe regimen, & regula corrigentis, ſed in Eccleſia eſt multitudo errantium, ergo indiget hac regula, & regimine, ſed cum unus non ſufficiat regere, ſequitur, quod plures ſint neceſſarij, qui ſecundum maiora,

15 & minora officia regant eccleſiam; ſed maius, & minus ſine ordine eſſe non poſſunt; ergo in eccleſia requiritur ordo.

16 Vndecimo, Eccleſia eſt unum corpus, ſed ſicuti unius corporis multa ſunt membra ordinata, ita in una Eccleſia multi ſunt ordines. S.Paul.ad Cor 1.

17 Duodecimo, Extat Conc. Trid.ſeſſ.23. c. 6. ubi anatathematizatur, qui dixerit in eccleſia non eſſe hierarchiam diuina ordinatione conſtitutam.

S O L V T I O.

18 Catholica veritas eſt, quod ordo recte ponitur in Eccleſia,& qui contrarium opinati ſunt,vel dixerunt,hæretici ſunt.late Sot. in 4.diſt. 24.Et ad contraria ſic reſpondetur.

10 Ad

19 Ad primum, Negatur conſequens, quia in tantum diſtinctio eſt contraria vnitati, in quantum ordine caret, ſed cum ordine non ſolum non repugnat ſed multa diuerſa uniuntur, ut videre eſt in corpore, & in aliis naturalibus, per ordinem enim cuſtoditur unitas diſtinctorum.

20 Ad ſecundum, Ex ſententia S. Thom. & S. Bonau. & refert Turrecrem. in d.c. cleros. reputare ſe inferiorem dupliciter contingere poteſt, quoad meritum, & quoad officium; quoad meritum, cum ignoramus meritum, quiſq. ſe inferiorem exiſtimare debet, etiam ſi ſit ſuperior; quoad officium, non refert ſe inferiorem arbitrari.

21 Ad tertium, Subiectio duplex eſt, mundana, & ſpiritnalis, mundana repugnat libertati, quia eſt ſeruitus reſpiciens utilitatem, & poteſtatem dominantis, ſed ſpiritualis non repugnat, quia non reſpicit utilitatem dominantis, cum Prælati non quæ ſua ſunt, ſed quæ Chriſti, quærant; unde reſpiciunt caritatem, & ad diuinum ſeruitium incumbunt, quod proprie non eſt ſeruire, ſed regnare.

22 Ae quartum, Ordo eſt gratia gratis data, de qua unuſquiſque certus eſt certitudine reali, & non variabili, Turrecrem. in d.c. cler.

23 Ad quintum, Licet ordo admittat diſtinctionem, non propterea ſequitur, quod deſtruatur ſimplicitas diſtinctorum, quinimmo illam cuſtodit, & perficit.

24 Ad ſextum, Ambitio aſcendendi non procedit à gradu, ad quem aſcendere quis concupiſcit, quia ſi hoc eſſet verum, omnes hac peſte eſſent infecti, ſed hoc eſt falſum, ergo alia tradenda eſt ratio ambitionis; deprauatio enim, & inordinatio appetitus, non gradus efficit aliquem ambitioſum; deleatur deprauatio, & nulla reperietur ambitio; ergo aliunde quam ab ordine procedit, & ſic corruit argumentum.

Articulus tertius.

Vtrum Ordo ſit ſacramentum, necne.

S V M M A.

1 *Sacramentum eſt materiale elementum ſecundum Vg. de S. Vict.*
1 *Sacramentum ordinis non exprimit materiale elementum, quomodo intelligatur. n. 14.*
2 *Sacramentum non eſt in eccleſia triumphante.*
3 *Ordo confertur cum quadam conſecratione, ſicut prælatio ſæcularis, ſed differenter. n. 16.*

4 *Sacramentum quodlibet eſt medicamentum naturæ lapſæ, & quomodo intelligatur. n, 17.*
5 *Ordo natura ſua reperitur tam in inferioribus, quam in prælatis, quomodo intelligatur. n 18.*
6 *Hierarchia eccleſiaſtica reſpondet hierarchiæ Chriſti, in quibus. n. 19.*
7 *Ordinis duplex eſt ſignum, & quomodo ſe habeat. n. 20.*
8 *Propter quod unum quodq. tale, & illud magis*
9 *Ordo eſt poteſtas ordinata, quæ per ſigna manifeſtatur, & confirmatur per diuinam inſtitutionem.*
10 *Sacramentum illud eſt potiſſimum, quod maxime Deo conſecratur, in ſui ipſius ſuſceptione.*
11 *Sacramentum eſt rei ſacræ ſignum; vel inuiſibilis gratiæ viſibilis forma.*
11 *Ordo ſignificat, & cauſſat ſpiritualem poteſtatem, characterem, & gratiam.*
12 *Ordinem eſſe ſacramentum, eſt de fide determinatum, & n 13.*
14 *Ordo conferri non poteſt ſine aliquo naturali, ac viſibili ſigno.*
15 *Angeli non habent ſacramentum ordinis, & quare, n. 16.*
15 *Communicatio ſecundum naturam debet rebus, & perſonis adæquari.*
16 *Sacramentum, ut efficiatur, duo requiruntur.*
17 *Ordinis ſacramentum quomodo ſit medicamentum.*
21 *Character recipit rationem ſigni ab exteriori.*

Quod ordo non ſit ſacramentum, hæc videntur poſſe ſuadere.

1 PRimo, Sacramentum eſt materiale elementum, ſecundum Vg. de S. Vict. & refert S. Thom. eadem q. ſed ordo non exprimit materiale elementum, cum ſit potius prædicamenti relationis, quam ſubſtantiæ; ergo ordo ſacramentum non eſt.

2 Secundo, Sacramentum non eſt in eccleſia triumphante, ſed ibi eſt ordo; ergo ordo non eſt ſacramentum.

3 Tertio, Ordo datur cum quadam conſecratione, ſicut prælatio ſæcularis, quando Reges unguntur, ſed ſæcularis non eſt ſacramentum, ergo neq. ordo.

4 Quarto, Quodlibet ſacramentum eſt medicamentum naturæ lapſæ, ſed ordo potius eſt ad perficiendos alios, quam ad reparandum; ergo non eſt ſacramentum.

5 Quinto, Ordo de ſui natura reperitur, tam in inferioribus, & ſubditis, quam in ſuperioribus, & prælatis, eſt enim in utroq. extremo, ſed in ſubditis non eſt ordinis ſacramentum, ergo neq. in prælatis, alias non eſſet æqualis ordinis ratio.

6 Sexto,

6 Sextò, Hierarchia eccleſiaſtica reſpondet cæleſti; ſed in cæleſti reperitur ordo, non ſacramentum; ergo in Eccleſia ordo non eſt ſacramentum.

7 Septimo, Sacramentum eſt ſignum ex ſententia Mag. ſent. in 4. ſed ordinis duplex eſt ſignum, exterius ordinationis, & interius, quod eſt character; ergo non ſacramentum, de quo unum et non duplex ſignum enuntiatur.

Octauo, Aut ordo eſt ſacramentum reſpectu characteris, aut reſpectu formæ viſibilis, aut utriuſque; non reſpectu characteris, quia ſacramentum non eſt ſignum inuiſibile, ut character, non viſibilis forma, quia ſine impreſſione characteris nihil eſt, non reſpectu utriuſque, quia tunc videtur partim eſſe viſibile, partim inuiſibile, quæ ad inuicem opponi videntur.

Quod vero ſit ſacramentum, his rationibus comprobari poteſt.

8 PRimo. Propter quod unumquodq. tale, & illud magis. Ariſt. 1. poſter. text. 5. & Aut. multo magis C de ſacroſ. Eccleſ. ſed propter ordinem efficitur quis diſpenſator aliorum ſacramentorum, ergo multo magis ordo eſt ſacramentum.

9 Secundo, Ordo eſt pòteſtas ordinata, quæ per ſigna manifeſtatur, & confirmatur per diuinam inſtitutionem, & illa eſt res ſacra, ſed hæc habent rationem ſacramenti; ergo ordo eſt ſacramentum.

10 Tertio, Illud potiſſimum eſt ſacramentum, quod maxime Deo conſecratur in ſui ipſius ſuſceptione, ſed tale quid eſt ordo, ergo eſt ſacramentum.

11 Quarto, Sacramentum eſt rei ſacræ ſignum, vel inuiſibilis gratiæ, viſibilis forma, ſed ordo eſt huiuſmodi viſibile ſignum ſignificans, & cauſſans ſpiritualem poteſtatem, quæ dicitur res ſacra, & characterem, qui imprimitur, & gratiam, quæ confertur, ergo eſt ſacramentum.

12 Quinto, Hoc determinatur à Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 3. ubi hæc leguntur. Si quis dixerit ordinem non eſſe vere, & proprie ſacramentum, anathema ſit.

Sexto, Ex communi ſententia omnium Theologorum, in 4. præcipue, & Canoniſt. maxime in d. c. cleros. diſt. 21. ſeptem ſunt eccleſiæ ſacramenta, inter quæ ordo enumeratur, ergo eſt ſacramentum.

SOLVTIO.

13 Indubitata, & catholica veritas eſt, quod Ordo eſt ſacramentum, & eſt de fide, & ſi quis contrarium quouis modo aſſeuerauerit, vel crediderit, in manifeſtam hæreſim incideret, & anathema eſſet. Et ad contraria ſic reſpondetur.

14 Ad primum, Licet ordo non exprimat aliquod elementum materiale, tamen conferri non poteſt ſine aliquo materiali, ac viſibili ſigno, & hoc eſt ſufficiens. ſic S. Thom. in 4.

15 Ad ſecundum, In Angelis non reperitur ordinis ſacramentum, quia cum eorum natura ſit ſpiritualis, nulla eis poteſt communicari poteſtas ex ſigno ſenſibili; communicatio enim ſecundum naturam debet rebus, & perſonis adæquari.

16 Ad tertium, Vt efficiatur ſacramentum duo requiruntur ex ſententia S. Bonau. in 4. ſignum ſenſibile, & ſignatum ſpirituale, in laicis reperitur ſignum ſenſibile, ſed non ſignatum ſpirituale; in Angelis ſpirituale, & non ſenſibile; ſed in perſonis eccleſiaſticis utrumque reperitur, & ſignum, & ſignatum; ideo ordo eccleſiaſticus eſt ſacramentum, quod non eſt laicalis, & angelicus.

17 Ad quartum, Retorquetur, quia ſi ſacramentum eſſet medicamentum; ergo & ordo, ſine quo medela applicari non poſſet; eſt enim potiſſimum medicamentum; eſto quod ordo ſit ad perficiendum, tamen cum nemo ſic perfici poſſit, quin perfectior euadat, reſpectu perfectionis, quæ deficit, vel acquiri non poteſt, dicitur medicamentum, reſpectu enim maioris perfectionis, unuſquiſq. dicitur imperfectus, & ad ſanandam illam imperfectionem, quæ nihil aliud eſt, niſi maior perfectio, ſemper ordo eſt medicamentum.

18 Ad quintum, Argumentum procedit in ordine continente relationem, ſed non in ordine continente poteſtatem, in qua fundatur relatio, quia primo modo non eſt ſacramentum, ſicut eſt ſecundo modo.

19 Ad ſextum, Eccleſiaſtica hierarchia in quantum poteſt debet reſpondere cæleſti, quoad ſacramenta tamen non poteſt reſpondere, quia cæleſtis non eſt capax ſenſibilis ſigni, cæterum actio & ſcientia, ita ordine cohærent, ut reperiantur, ſed differenter, quia in cæleſti non ſub ſacramento, in eccleſiaſtica vero ſub ſacramento.

20 Ad ſeptimum, Non negatur, quin in ſacramento ordinis duplex reperiatur ſignum, ſed unum eſt ſignum alterius, nimirum exterius indicat interius, quaſi interius ſit ſignatum ab exteriori, & ſic ceſſat difficultas.

21 Ad

21 Ad octauum, Character, cum ſit ſignum interius, recipit rationem ſigni ab exteriori, & in tantum eſt ſignum, in quantum ab exteriori ſignatur, & coniungitur, ideo tota ratio ſigni conſiſtit in exteriori, & ſic non ſequitur difficultas. ita Turrecrem. ex ſent.S.Bonau.in c.quomodo de conſ.diſt. 4.q.3.

Articulus quartus.

Vtrum verborum formula in ſacramento ordinis ſit congruenter aſſignata pro forma huius ſacramenti.

S V M M A.

1 *Verba ſunt notæ eorum, quæ ſunt in animo, & quid efficiant.*
2 *Forma dat eſſe rei.*
3 *Forma verborum in ſacramentis poteſt proferri ab homine abſolute, & ab homine, ut miniſtro, & quid uterq. efficiat.& n.14.*
3 *Effectus ſacramenti ordinis eſt impreſſio characteris in anima.*
3 *Actio agentis procedit à forma ipſius agentis principaliter.*
4 *Ordo in veteri teſtamento facto dabatur, non verbis,& quare. n.17.*
5 *Sacramentorum efficacia à virtute diuina dependet.*
5 *Sacramenta ex forma obtinent efficaciam.*
6 *Imperare eſt eius, qui habet auctoritatem.*
7 *In forma ſacramenti non debet fieri mentio, niſi de eſſentialibus ſacramenti.*
8 *Forma verborum in ſacramento ordinis congrue aſſignari probatur ex Conc. Tridentino. & ex communi omnium* Doctorum *opinione. n. 9. & n.12.*
10 *Significatio non poteſt fieri proprie, niſi verbis.*
11 *Sacramenta ab incarnato,& manifeſtato verbo inſtituta verbis debent manifeſtari, & effici congruentia.*
13 *Verba natura ſua non ſunt cauſſa tribuens eſſe alicui, ut ſit.*
14 *Miniſter ordinis quomodo in diſpenſatione eiuſdem ſe habeat.*
15 *Verba in ſacramento ordinis operantur ex virtute diuina.*
16 *Forma verborum nobilior eſt impreſſione characteris, & quare.*
18 *Ordinis ſacramentum differt ab alijs in forma,& quare.*
19 *Qui exprimit conſequens, exprimit ſuum neceſſarium antecedens.*

Verborum formula in ſacramento ordinis, quod congruenter aſſignata non ſit pro forma huius ſacramenti, ſic videtur poſſe defendi.

1 PRimo, Ex ſententia Ariſt. 1. periherm. voces ſunt notæ earum, quæ ſunt in animo paſſionum, & ſic potius natura ſua ſunt aptæ ad

ad ſignificandum, quam ad producendum, & in eſſe deducendum, ſed forma alicuius rei non dicitur tantum ad ſignificandum, ſed ad efficiendum, vel tribuendum eſſe, quia eſt cauſſa eſſentialis, à qua recipitur eſſe; ergo nulla formula verborum poteſt aſſignari pro forma huius ſacramenti.

2 Secundo, Forma dat eſſe rei.l.4 §.ſi quis rem. ff. ad exhibend. ſed verba, aut conſiderantur prolata ab homine abſolute, & principaliter, & tunc non poſſunt dare ſacramentis illud eſſe diuinum, & ſupranaturale, quod datur, & efficitur in ſacramentis, quia ſic verba operarentur ſupra naturam ſuam; aut verba conſiderantur prolata ab homine, ut miniſtro, & tunc non præbent cauſſam formalem, ſed inſtrumentalem; ergo.

Tertio, Si verba congrue aſſignarentur pro forma huius ſacramenti, ignobilius diceretur agere in nobilius, quod eſt abſurdum;
3 probatur, quia effectus huius ſacramenti eſt impreſſio characteris in anima, & omnis actio agentis procedit à forma huius agentis principaliter, verba autem ſunt ignobiliora effectu ipſo impreſsionis, & anima, in qua imprimitur, ergo forma tanquam ignobilior ageret in nobilius, quod eſt effectus impreſsionis; quod non eſt dicendum.

4 Quarto, In veteri teſtamento, facto, non verbis dabatur ordo; ergo forma, non in verbis, ſed potius in facto conſiſtit.

Quinto, In canonicis conſtitutionibus. diſt.23. legitur quod Diaconus ordinatur per manus impoſitionem ſupra caput, & Subdiaconus per acceptionem calicis, & patenæ de manu Epiſcopi, & non fit aliqua mentio de ſolemnitate verborum.

5 Sexto, Efficacia ſacramentorum à diuina virtute procedit, ſed ſacramenta ex forma obtinent efficaciam, ergo forma, aut eſt aliquod diuinum, aut verbum ſignificans virtutem hanc diuinam, prout eſt inuocatio Trinitatis; ergo non per ſe formula verborum.

6 Septimo, Imperare eſt eius, qui auctoritatem habet, ſed nulla auctoritas reſidet penes eum, qui diſpenſat, cum ſit ſolum ſimplex miniſter; ergo forma non debet conſiſtere in verbis imperatiuis, ut continetur in forma huius ſacramenti.

7 Octauo, In forma ſacramenti non debet fieri mentio, niſi de eſſentialibus ſacramenti, ſed in forma fit mentio de uſu poteſtatis, quæ potius conſequitur, cum ſit accidentalis; ergo male aſsignata eſt.

Quod

Quod vero congrue conſtituta, & aſsignata ſit,pluribus demonſtratur.

8 PRimo, Eſt auctoritas Concil. Florentini, contra quam nemo debet præſumere, ubi in decreto Eugenij traditur forma ſacramenti ordinis, in verbis exiſtens, qua verborum formula communiter utitur Eccleſia.

Secundo, Auctoritas S. Auguſt. dicentis: Accedit verbum ad elementum, & fit ſacramentum.

9 Tertio, Omnes, tam Theologi, quam Doctores ſentiunt, quod ſacramentum, ſicut alia,ex rebus, & verbis fit. Mag. ſent. in 4. & ibi omnes.

10 Quarto, Cum ſacramentum ſit ſignum, & ſignum ſit ſignificans, & ſignificatio proprie verbis fiat; merito forma conſiſtere debet in verbis.

11 Quinto, Sacramenta à Chriſto Domino inſtituta ſunt, qui verbum erat à principio, & in ſua incarnatione manifeſtatum eſt, & quia ſacramenta nouæ legis ſunt ab incarnato, & manifeſtato verbo, hinc eſt, quod eorum manifeſtatio fieri debet, aliquorum verborum expreſsione, & ab illa virtutem diuinam accipere, tanquam à forma; ſic Alex. de Ales. de ſacram nouæ legis.q.5.art.2.§.2.

SOLVTIO.

12 VEritas eſt, & catholica, quod formula verborum congrue eſt aſsignata, à qua non licet recedere ſub pœna criminis hæreſis, & nemo, niſi hæreticus contradicit. Mag. ſent. ubi ſup. Pet. de Pal. 1.q.4. Stephan. de Gaet. in c. ad lim. 30.q.1.§.1. n. 2. Turrecrem. in c. ſic adeſt. 1.q.1. Nau. de ſacram. verſ. 4.

Et ad ea, quæ obijciuntur reſpondetur.

13 Ad primum, Verba natura ſua non ſunt cauſſa tribuens eſſe, ut quid ſit, ſed tantum ad ſignificandum, ſed ſuper addita ſupranaturali operatione, & virtute verbis diuinitus collata, poſſunt ſupra naturam ſuam operari, ſicut in ſacramentis.

14 Ad ſecundum, Non ſequitur, prolata ſunt verba à miniſtro inſtrumentaliter; ex duobus, primo miniſter licet ſit ſimplex diſpenſator, tamen in ſacramento ordinis, non caret poteſtate, quam

15 tribuit aliis ordinando; ſecundo verba illa continent virtutem diuinam ex inſtitutione diuina, & ſic non cauſſa inſtrumentalis, ſed formalis.

16 Ad

16 Ad tertium, Negatur, quod ignobilius agit in nobilius, quia verba illa non ſunt ſine virtute diuina, & ſic forma verborum nobilior eſt, & recte poteſt agere in animam.

17 Ad quartum, Ideo in veteri teſtamento, facto, non verbis conſtabat ordo, quia non operabatur virtus diuina, ſicut in nouo poſt manifeſtatum verbum.

Ad quintum, Licet in diſt. 25. nulla de verbis fiat mentio, tamen factum explicatur, quod ſine verbis intelligi non poteſt.

18 Ad ſextum, Alia ſacramenta non ordinantur principaliter ad effectus ſimiles poteſtati; unde exprimitur aliquid ex parte diuinæ virtutis, ſed in hoc ſacramento miniſter habet poteſtatem, & ſimilem tribuit; ergo uſus huius poteſtatis exprimendus eſt in forma, quatenus à ſua ſimili poteſtate deriuatur.

Ad ſeptimum, Licet non habeat auctoritatem, habet tamen poteſtatem conſimilē, quæ exprimi debet à verbis illis formalibus.

19 Ad octauum, Qui exprimit conſequens, exprimit ſuum neceſſarium antecedens. l. ad legatum. l. ad rem nobilem. ff. de procur. & c. quoniam. de ſent. excomm.

Articulus quintus.

Vtrum materia ſit bene aſſignata in ſacramento ordinis.

S V M M A.

1 *Materia eſt id, ex quo aliquid ſit.*

2 *Materia in definitione ponitur loco generis.*

3 *In ſacramentis diuina virtus operatur in materia, ſecus in ordine. & n. 13.*

4 *Vbi confertur plenitudo gratiæ ſeptiformis, materia praexigit ſanctificationem.*

5 *In quolibet ſacramento habente materiam, requiritur contactus materiæ.*

6 *Sacramentum conſtat ex rebus, & verbis. ex Conc. Florentino, & ex communi omnium Doctorum ſententia. n. 7.*

8 *Sacramentum ordinis magis requiritur ad diſpenſandum, quam ad ſuſcipiendum.*

9 *Materia debet eſſe applicabilis formæ.*

9 *Forma ſacramenti ordinis ſupponit materiam illarum rerum, quibus uſus poteſtatis deſignatur.*

10 *Materia in ſacramento ordinis bene eſt aſſignata; quod negans eſt hæreticus.*

11 *Materia*

11 *Materia ſacramenti ordinis concurrens cum forma, & miniſterio miniſtri habet vim efficiendi ſacramentum.*
12 *Materia dicitur pars, & cauſſa ſacramenti, & quare.*
13 *Ordinis ſacramenti materia, & aliorum diuerſam habent rationem.*
14 *In ſacramentis, excepto ordine, ſanctificatur materia; & quare.*
15 *Ordinis ſacramenti virtus non in materia, ſed in miniſtro reperitur.*

Pro parte negatiua huius articuli hæc afferuntur.

1 PRimo, Materia eſt id ex quo fit aliquid, ſed quæ aſsignantur in ſingulis ordinibus non videntur huiuſmodi, ut ex illis fiat hoc ſacramentum, cum illa ſint potius ad determinandum, quam ad efficiendum; ergo illa non debent eſſe loco materiæ, & ſic non bene aſsignata.

2 Secundo, In definitionibus huius ſacramenti, genus non eſt loco huiuſce materiæ, & tamen in definitione materia ſemper ponitur loco generis; ergo non bene aſsignata.

3 Tertio, In aliis ſacramentis virtus diuina operatur in materia; ſed in illis rebus nulla videtur ſanctificandi virtus; ergo in illis rebus male aſſignatur materia.

4 Quarto, Vbi confertur plenitudo gratiæ, materia præexigit ſanctificationem, ſed in hoc ſacramento confertur talis gratia, ut dicit Mag. ſentent. in 4. ergo hæc non ſunt loco materiæ, in quibus nulla ſanctificatio.

5 Quinto, In quolibet ſacramento habente materiam, requiritur contactus materiæ, ſed ex ſententia multorum contactus illarum rerum non eſt de neceſsitate ſacramenti, ſed tantum porrectio; ergo huiuſmodi non ſunt loco materiæ.

Pro parte vero affirmatiua, hæc afferuntur.

6 PRimo, Facit Conc. Florent. in quo aſsignatur materia in quolibet ordine, ut eſt videre ibi decretum Eugenij verſ. Secundum autem.

Secũdo, Eſt text. in c. præterea, & ſeq. diſt. 23. cũ ibi per Turrecrem.

7 Tertio, Omnes admittunt ſine aliqua hæſitatione, ſacramenta conſtare ex rebus, & verbis; ergo materia tradita eſt congrue huic ſacramento.

Quarto, Ex definitione Hug. colligitur, quod, Sacramentũ eſt corporale

porale elementum ; ergo in quolibet ſacramento debet talis materia corporalis ineſſe.

Quarto, Si ſignum ſenſibile eſt in ſacramento ordinis, neceſſe eſt, ut illud ſit in re ſenſibili, ac viſibili ; ergo bene aſsignata materia, ſine qua nullo modo poſſet verificari ſenſibilitas ſigni.

8 Sexto, Magis requiritur ad diſpenſandum, quam ſuſcipiendum; ſed alia ſacramenta indigent tali ſenſibili materia ; ergo multo magis ordo indigebit, qui eſt ad diſpenſandum alia.

9 Septimo, Materia debet eſſe applicabilis formæ, ſed forma huius ſacramenti ſupponit materiam illarum rerum, quibus uſus poteſtatis deſignatur ; ergo illarum rerum materia bene eſt aſsignata.

SOLVTIO.

10 Veritas eſt, & catholica materiam in ſacramento ordinis bene eſſe aſsignatam, unde hoc negans in manifeſtam incideret hæreſim. de hoc Sot. in 4. diſt. 24. q. 1. art. 2. ex S. Thom. ibidem.

Ad argumenta vero, quibus negatiua nititur pars, ſic reſpondetur.

11 Ad primum, Licet ſacramenti ordinis materia ad determinandam, & ad efficiendam poteſtatem ſit, nihilominus concurrens cum forma, & miniſterio miniſtri, penes quem reſidet aucto-
12 ritas à Deo proueniens, habet utiq. efficaciam efficiendi ſacramentum, & merito pars, vel cauſſa ſacramenti dicitur, quaſi ſine illa miniſter nihil efficeret, in tantum, ut ex illa, tanquam cauſſa, vel parte ſubſtantiali ſacramentum hoc conſtare iure optimo dicatur. Sot. loc. cit. abunde.

Ad ſecundum, Licet genus, quod ponitur in definitionibus ordinis, non ſit hęc materia, tamen illam ſupponit; ſignaculum exterius ſine huiuſmodi materia eſſe non poteſt.

13 Ad tertium, Non procedit argumentum ſumptum à materia aliorum ſacramentorum, quia diuerſa ratio, cum in aliis ſuſcipiens ſanctificetur ex gratia, quæ ſolum à Deo deriuatur, non à miniſtro; unde congruum fuit, virtutem illam ſanctificandi conſiſtere in materia ; ſed in ſacramento ordinis, cum virtus procedat à poteſtate miniſtri, licet imperfecta, necnon à cæleſti, & perfecta ; hinc factum eſt, ut in miniſtro, non in materia, quæ eſt ad determinandam intentionem miniſtri tantum reſideat. Sot. loc. cit. ex S. Thom.

14 Ad quartum, Ideo in aliis ſacramentis ſanctificatur materia, quia

in

in illa reſidet potiſsimum virtus ſanctificandi, quod non eſt in ſacramento ordinis, cum hæc virtus à miniſtro etiam procedat, ut dictum eſt.

Ad quintum, Sententia illorum, qui opinantur contactum non requiri de ſubſtantia ſacramenti, eſt à multis reprobata, ut ſuo loco dicemus, ſic contrarium ſentit S. Thom. ſed illam ſubſtinendo, reſpondeo, quod ideo contactus non requiritur, quia virtus non in materia, ſed in miniſtro reperitur, & propterea eſt neceſſaria porrectio materiæ ex parte miniſtri, & non contactus; cum materia per ſe ſine concurſu, ut diximus, nullam vim habeat, ſed eſt ſolum ad determinandam miniſtri intentionem, & poteſtatem.

Hactenus de huius ſacramenti nomine, ac de rebus, quæ loco materiæ ſunt, necnon de verbis, quæ formæ inſeruiunt diſputauimus, nunc de effectu mirabili, quem in hoc ſacramento, mediante ordinatione, conſequimur diſſerendum eſt; eſt enim effectus hic diuinus, quem omnes dicunt characterem, qui diuinitus imprimitur interius ab exteriori illo ſigno ordinationis procedens; de quo exteriori late ſuperius; nunc de interiori ſermo eſt faciendus, cuius tractatio, & diſputatio, tanto maiorem exigit attentionem, quanto eſt difficilior, & à ſenſibus noſtris remotior.

Articulus ſextus.

Vtrum in ſacramento ordinis imprimatur character, necne.

S V M M A.

1 *Character quid ſecundum S. Dionyſium.*
2 *Signum quid ſecundum S. Auguſt.*
3 *Hæretici, & fidei renunciantes, ſi ordinentur, recipiunt ordinem, & num.* 11.
4 *Character quid, ſecundum S. Thom.*
5 *Per characterem configuramur Deo. quomodo intelligatur, n.* 12.
6 *Impreſſio characteris non fit propter Deum, nec propter Angelos, ſed propter homines. n* 13.
7 *Character eſt ſignum diſtinctiuum.*
7 *Diſtinctio membrorum Chriſti, fit per æternam prædeſtinationem.*
8 *Characterem imprimi in ſacramento ordinis eſt de fide determinatum, & omnes Doctores ſequuntur. n* 9.
10 *Character quomodo habeat rationem ſigni.*

Digitized by Google

Characterem non imprimi, plura videntur probare.

5 PRimo, S. Dionyſ. characterem definiendo, ſic dicit: Character
eſt ſignum ſanctum communionis fidei, & ſanctæ ordinationis
2 diuina beatitudine datum à hierarcha, ſed ſignum eſt, quod ſpeciem
aliquam ſenſibus in gerit, & præter eam in cognitionem alterius rei facit peruenire. S. Aug. 2. de doctr. ergo aut dicendum eſt, quod non imprimatur, aut quod non ſit bona definitio, cum nihil ſenſibus noſtris ingeratur, præter ea, quæ videntur expreſſe in ordinatione.

3 Secundo, Hæretici, & fidem abnegantes, ſi ordinantur, recipiunt ordinem, & tamen ſunt ſine fide. ergo non imprimitur character, qui eſt ſignum communionis fidei.

4 Tertio, S. Thom. in 4. diſt. 24. q. 1. art. 1. characterem definiendo ſic
dicit: Character eſt diſtinctio à charactere æterno impreſſa animæ
rationali ſecundum imaginem conſignans trinitatem creatam trinitati creanti, & recreanti, & diſtinguens à non configuratis ſecun-
5 dum ſtatum fidei, ſed per charitatem configuramur, & contrarium
per peccatum, ergo aut in ordine non imprimitur character, aut non eſt bona definitio, quia multi peccato obnoxij, & ſic non configurati reperiuntur ordinati, & ita hæc diſtinctio redditur falſa.

6 Quarto, Aut hæc diſtinctio, & impreſsio characteris ſit propter Deum, aut propter Angelos, aut propter homines; non propter Deum, quia ſine hac characteris impreſsione habet notitiam ordinatorum, & laicorum; non propter Angelos, quia idem vident ſine hoc medio in verbo; non propter homines, quia cum hæc impreſsio ſit ſpiritualis, non eſt proportionata humanæ cognitioni; ergo dicendum eſt, vel quod non imprimitur, vel fruſtra imprimitur, quod non eſt veritati congruum.

7 Quinto, Character ex commemoratis definitionibus eſt ſignum diſtinctiuum, ſed diſtinctio membrorum Chriſti fit per æternam prædeſtinationem, quæ nihil ponit in prædeſtinato, ſed in Deo prædeſtinante, ut dicit Apoſt. 1. ad Cor. 3. Firmum ſtat fundamentum habens ſignaculum; nouit Dominus, quæ ſunt eius; ergo videtur, quod in ſacramanis non imprimitur character.

Quod vero imprimatur, hæc demonſtrant.

8 PRimo, A Conc. Florent. determinatur tria eſſe ſacramenta, in quibus imprimitur character, nimirum baptiſmus, confirmatio, & ordo.

Secundo

Secundo, Eſt text. in c. maiores de baptiſm. §. fin. ubi in baptiſmo, & in ordinatione imprimitur character.

SOLVTIO.

9 Communis opinio eſt, quod imprimitur, ut videre eſt per S. Thom. S. Bonau. Sot. in 4. diſt. 5. q. 4. art. 1. Sũmiſtæ omnes, Turrecrem. in c. quomodo diſt. 4. Thom. VVald. tom. 2. de ſacr. n. 109. Stephan. de Gaet. in d. c. ad limina. §. 1. & 3. & licet Scotus, Durand. & Caiet. videantur alludere contrariæ opinioni, nihilominus dicunt non eſſe tutum ſic opinari contra auctoritatem Eccleſiæ, & ideo ad rationes, quæ obiiciuntur in contrarium, reſpondetur.

10 Ad primum, Character habet rationem ſigni reſpectu ſigni exterioris, cui eſt annexus, non enim hic effectus impreſſionis conſideratur ſine cauſſa exteriori; unde licet non videatur character, videtur tamen ſignum exterius, ex quo character.

11 Ad ſecundum, Si hæretici, & alii deperditi homines, quando ordinantur, ſunt ſine fide, non procedit ex defectu characteris, quin imprimatur, ſed ex deprauata illorum mente, qui nolunt credere, & obſtinati gratiam refutant.

12 Ad tertium, Configuramur per characterem Deo, quia per illum diſponimur ad gratiam, quæ confertur, ſi non configuramur, non ex defectu characteris, ſed ex indiſpoſitione noſtra procedit, quia obicem ponimus; ſatis eſt, quod in charactere reperiatur hæc aptitudo, & diſpoſitio configurationis.

13 Ad quartum, Hoc ſignum diſtinctiuum characteris eſt propter hominem, qui poteſtatem recipit, & propter alios, qui cum admittantur ad ſpirituales actiones ex conſignatione ſacramentali exteriori, poteſtatem interiorem perpendant, & ſic hæc diſtinctio ſigni, & characteris non eſt ſolum, ut ſenſu cognoſcatur, ſed ut intelligatur, & in effectu tradatur poteſtas, quoad ſenſibilem cognitionem; eſt enim ſignum exterius ordinationis, ex quo ſuccedit alia intellectualis cognitio traditæ poteſtatis à diuina virtute procedentis, & ſic non fruſtra, quinimmo congrue imprimitur character.

Ad quintum, Negatur ſequela, quia ad præmium futuræ gloriæ ſignaculo deputantur, quod ſignaculum eſt character, quo conſtituuntur ad ſuſcipiendam, & conferendam.

Articulus ſeptimus.

Vtrum character imprimatur in anima, necne.

SVMMA.

1 *Signum ſenſibus ſubijcitur.*
2 *Character eſt ſignum diſtinguens, & quare.*
3 *Character eſt figura, qua configuramur Deo, quomodo intelligatur. num.29.*
4 *Anima eſt infigurabilis.*
4 *Figura eſt quantitas in quantitate, & qualitas in qualitate, ſecundum S. Auguſt.*
5 *Paſſiones animæ non poſſunt eſſe ſine aliqua tranſmutatione corporali, & quare, n. 30.*
6 *Character in ordine eſt poteſtas actiua, in baptiſmo paſſiua.*
6 *Potentia in anima ſunt communes omnibus hominibus.*
7 *Eorum, quæ ſunt in anima, aut eſt potentia, aut paſſio, aut habitus, & n.30.*
8 *Quod eſt in aliquo, neceſſe eſt, ut reducatur ad aliquod genus realis entis.*
9 *Qualitatis quattuor ſunt ſpeties.*
10 *Nummus ſortitur rationem pretij ex inſtitutione humana.*
11 *Relatio debet eſſe fundata ſuper vnitate qualitatis.*
11 *Character non reducitur ad aliquod genus entis, ſed ad ſecundam ſpeciem qualitatis, & n.24.&25.*
12 *Character non imprimitur in corpore.*
13 *Character imprimitur ſecundum imaginem.*
13 *Imago eſt impreſſa in anima.*
14 *Character eſt quædam illuminatio, ſecundum S. Dionyſium.*
14 *Lumen diuinum non dicitur ſuper nos ſignatum, niſi in anima.*
15 *Per characterem configuramur, & aſſimilamur Deo.*
16 *Character dicit triplicem relationem, ſecundum omnes.*
17 *Character non eſt ſub aliquo prædicamento, ſed ens rationis ſecundum Durandum.*
18 *Character eſt relatio realis, non ſub aliqua ſpecie abſoluta, & abſtracta, fundatus, ſed immediate in anima poſitus, ſecundum Scot.*
18 *Character non eſt relatio abſoluta, ſed fundatur in aliquo fundamento diſtincto, ſecundum S.Thom.*
19 *Character ſecundum Richard. non eſt ſub aliquo prædicamento.*
20 *Supernaturalia non ſunt adeo infinita, ut non poſſint poni ſub aliquo prædicamento.*

21 Cha-

21 *Character ſecundum Alex. de Ales, & S. Bonau. eſt habitus, vel diſpoſitio.*
22 *Character ſecundum Marſil. eſt figura, & eſt in quarta ſpecie qualitatis.*
23 *Character ſecundum aliquos eſt lumen, & locatur in tertia ſpecie qualitatis.*
24 *Character ſecundum S. Thom. eſt in anima potentia, & in ſecunda ſpecie qualitatis.*
25 *Character eſt potentia participandi in ſacramentis, & in diuinis actionibus.*
25 *Potentia participandi diuinas actiones, & adminiſtrationes eſt fundamentum, & principium exiſtentis in vita ſpirituali.*
26 *Potentia naturales ſunt fundamenta operationum exiſtentium in vita naturali.*
27 *Character recipit rationem ſigni à ſignaculo ſacramenti extrinſeco.*
28 *Character inſpecta natura ſua, non poteſt conuenire humana cognitioni, & quare; inſpecto vero ſigno exteriori ſic.*
30 *Paſſio poteſt dupliciter conſiderari.*
31 *Potentia in anima duplex.*
33 *Character eſt potentia, & in ſecunda ſpecie qualitatis.*
34 *Inſtitutio humana cum diuina non poteſt comparari.*

Character quod non in anima imprimatur, his poteſt comprobari rationibus.

1 PRimo, Character eſt ſignum, ſed ſignum ſubiicitur ſenſibus, ergo non in anima, cum ſpiritualia non ſubiiciantur ſenſibus.

2 Secundo, Character non ſolum eſt ſignum, ſed ſignum diſtinguens, diſtinguit enim fideles ab infidelibus in baptiſmo, clericos à laicis in ordine; ſed hæc diſtinctio fit propter homines, qui indigent diſtinctione ſenſibili; ergo hęc diſtinctio characteris non fit in anima.

3 Tertio, Videtur character eſſe quædam figura, qua configuramur Deo, ut ex definitionibus relatis percipimus; hinc eſt quod primo ad Hebr. dicitur, figura ſubſtantiæ, alii legunt, character ſubſtantiæ, ſed anima eſt infigurabilis, ut ait S. Auguſt. lib. de anima, quia figura eſt qualitas in quantitate, & quantitas in qualitate; ergo non poteſt eſſe in anima.

5 Quarto, Si character imprimitur, neceſſe eſt, ut id, in quo imprimitur, patiatur impreſſionem, ſed paſſiones animæ non poſſunt eſſe ſine aliqua tranſmutatione corporali, ut inquit Ariſt. 1. de anima. pertinet enim ad ſenſitiuam. 7. phyſ. ergo cum per impreſſionem

nulla corporis tranſmutatio fiat, neq; aliquod ſenſibile ſit, aut nulla eſt paſſio, aut ſi eſt, non eſt in anima.

6 Quinto, Character videtur ſignificare, & dicere potentiam quandam; eſt enim in ordine, ut ſuperius dictum eſt, poteſtas actiua ad conferendum, ſicut in baptiſmo eſt paſſiua ad ſuſcipiendum, ſed potentiæ in anima ſunt communes omnibus hominibus, hæc vero non eſt communis, cum diſtinguat, & ſeparet ab aliis, ergo non eſt in anima.

7 Sexto, Eorum, quæ ſunt in anima, aut eſt potentia, aut paſſio, aut habitus; non potentia, non paſſio, ut ex argumento ſuperius allato patet; non habitus, quia habitus,aut eſt naturalis, & character non eſt hic, quia non natura, ſed diuinitus imprimitur; aut eſt innatus, nec eſt hic,ut patet; aut acquiſitus, aut infuſus, ſed huiuſmodi ſunt per modum perfectionis, ut eſt ſcientia, & virtus, quorum neutrum eſt character; ergo non in anima.

8 Septimo, Quod eſt in aliquo, neceſſe eſt,ut reducatur ad aliquod genus realis entis, ſed character non poteſt redigi, niſi forte ad qua-
9 litatem, & hoc non eſt; ergo; probatur minor, quia qualitatis quattuor ſunt ſpecies; non eſt primæ, quia non habitus, neq. diſpoſitio, quæ eſt habitus incompletus; non ſecundæ,quia non potentia; non tertiæ,quia non paſſio; non quartæ, quia non figura; ergo nihil eſt; ergo non in anima.

10 Octauo, Sicut nummus ſortitur pretii rationem ex inſtitutione humana, ita res ſacramentales videntur ſortiri rationem ſacramenti, & miniſtri ex inſtitutione diuina; ſed nummus efficitur pretium per ſolam relationem rationis humanæ, ſic res ſacramentales videntur efficere ſacramentum ex relatione rationis diuinæ, ſic inſtituentis; ergo character non quid reale ſed quid intentionale, quod naſcitur ex ordinatione, & ſic non in anima.

Nono, Aut character eſt quid de per ſe abſolutum, aut eſt aliqua relatio fundata ſuper aliqua qualitate, vel forma abſtracta, aut eſt relatio realis immediate ſine aliqua qualitate, aut relatio rationalis aut intentionalis; ſi intentionalis, ergo non eſt in anima, ut in præ-
11 cedenti argumento; ſi immediate de perſe eſt relatio, quod non poteſt eſſe, quia neceſſe eſt, ut ſit fundata ſuper aliqua qualitatis unitate, ut ait Ariſt. 5. methaph. ſi fundatur ſuper aliqua qualitate, vel de perſe quid abſolutum, hoc monſtrauimus ex pluribus non eſſe verum, cum non redigatur ad aliquod genus entis, neq. ad aliquam qualitatis ſpeciem; ergo &c.

Quod

Quod vero in anima imprimatur character, pluribus demonſtratur.

PRimo, In ſexto articulo pro veritate determinatum fuit, quod realiter imprimitur character; modo ſic inſurgo. Aut hæc im-
12 preſſio eſt in corpore, aut in anima, in corpore non poteſt eſſe, quia eſſet quid viſibile, vel ſenſibile, ergo ſequitur omnino de neceſſitate eſſe in anima.

13 Secundo, Character imprimitur ſecundum imaginem, ut ex definitione ſuperius relata colligitur, ſed imago eſt impreſſa in anima, quia quoad animam facti ſumus ad imaginem, & ſimilitudinem Dei; ergo imprimitur in anima.

Tertio, Ex ſent. S. Dionyſ. & S. Io. Damaſcen. lib. 4. c. 10. Chara-
14 cter eſt quædam illuminatio, ſed lumen diuinum non poteſt dici ſuper nos ſignatum, niſi in anima. iuxta illud pſalm. 4. Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine; ergo in anima imprimitur character.

15 Quarto, Charactere cõfiguramur, & aſſimilamur Deo, ſed Deo nõ poſſumus corpore aſſimilari, quia Deus ſpiritus eſt; ergo in anima.

SOLVTIO.

NON eſt aliquo modo dubitandum, quin imprimatur character, ut in 6. articulo concluſum eſt, & quod imprimatur in anima, iam ſuperius probauimus in argumentis pro parte affirmatiua; ſed huius articuli difficultas præcipue verſatur circa explicationem modi imprimendi, & quomodo ſit in anima; ex ſententia
16 enim S. Thomæ omnes ſentiunt, quod character dicit triplicem relationem, nimirum ſignum reſpectu ſignati, diſtinctionem reſpectu perſonarum diſtinctarum, aſſimilationem reſpectu Dei, cui aſſimilamur; ſed, quod eſt inexplicabile, & hactenus non ſatis exploratum, eſt quærere; num huiuſmodi relationes ſint immediate in anima, vel diſtinctæ de per ſe, vel fundatæ in anima, ut in ſubiecto, vel in aliqua animæ potentia, vel in aliqua ſpecie qualitatis, quarum rerum intelligentia, & explicatio, eſt adeo in viſceribus methaphyſicæ, teſte Soto, & ſic abſtracta, ut hæc quæſtio moleſta ſit, non tantum theologis, verum etiam philoſophis.

Septem tamen præcipue hac in re poſſunt ferri opiniones.

17 Prima eſt Durandi, ut à duriori exordiar opinione, diſt. 4. q. 1.

qui cum characterem negauerit, eundem quoque negat ſub aliquo prædicamento eſſe, ſed affirmat eſſe tantum ens rationis, ut in 8. argumento pro parte negatiua retulimus. ſed hæc opinio communiter eſt reprobata, eiuſque rationes confutantur ab omnibus, ut Turrecrem. in c. quomodo diſt. 4. de conſ. & licet Sotus non videatur diſſentire ab hac ſententia, nihilominus reſpondet ad argumenta Durandi diſt. 1. q. 4. art. 1. quæ omnia prætermitto, cum inferius ſuo loco obiectiones conabor de medio tollere, pro viribus.

18 Secunda opinio eſt Scot. in 4. diſt. 6. q. 10. qui opinatus eſt eſſe relationem realem, de per ſe, & non fundatam ſub aliqua ſpecie abſtracta, & abſoluta, ſed immediate poſitam in anima. hæc opinio refutatur ex pluribus, quæ in medium afferuntur ab illis, qui ſcholam S. Thomæ ſectantur; probant enim ex doctrina S. Thomæ hanc relationem ſic abſolutam non eſſe, ſed fundari in aliquo fundamento diſtincto, quod quomodo intelligatur, declarat Sot. & reſpondet ad argumenta Scot.

19 Tertia opinio eſt Richardi in 4. diſt. 5. q. 2. art. 1. ubi ſentit non eſſe characterem in aliquo prædicamento, quia eſt quid ſupranaturale, & diuinitus imprimitur, unde cum in prædicamentis non ponatur, niſi quod eſt naturale; fruſtra eſt quærere in quo prædicamento ſit character; ſed hæc opinio confutatur ab omnibus dicentibus hoc

20 Richardi, eſſe manifeſtam fugam, quia ſupranaturalia non ſunt adeo infinita, quin poſſint in aliquo prædicamento poni, in quo ſunt habitus acquiſiti.

21 Quarta opinio eſt Alex. de Ales p. 4. q. 4. membr. 8. art. 1. §. 1. quem ſequitur S. Bonau. in 4. q. 6. art. 1. nimirum quod ſit in prima ſpecie qualitatis; uult enim quod habitus, vel diſpoſitio ſit, ſed hanc opinionem reiicit S. Thom. loco ſuperius citato, pluribuſque confutat, ut Turrecremata, & Sot. & recentiores referunt ad quos me remitto.

22 Quinta opinio eſt Marſilij in 4. q. 4. art. 1. concl. 7. qui nititur probare characterem eſſe figuram, & ſic eſſe in quarta ſpecie qualitatis; ſed hanc opinionem reprobat, ut ſuperiores, S. Thomas, ex pluribus, quæ refert Turrecrem. ad quem lectorem mitto.

23 Sexta opinio eſt illorum, qui dixerunt characterem eſſe lumen, & locatum in tertia ſpecie qualitatis, ſed hæc pariter reprobatur à S. Thom. & inferius reſponſa referemus.

24 Septima, & ultima opinio eſt S. Thomæ, qui ſentit characterem eſſe in ſecunda ſpecie qualitatis. nimirum in animæ potentia, quod verum eſſe demonſtratur hac ratione, fundata in auctoritate S. Dionyſij,

nyſij, qui dicit, quod uniuſcuiuſq. exiſtentis in natura ſunt quædam operationes propriæ, quarum operationum neceſſe eſt propria reperiri principia, quæ principia in naturalibus ſunt naturalis potentiæ, quæ conducunt ad illas proprias operationes. ita dicendum eſt de exiſtente in vita ſpirituali, cuius ſunt propriæ operationes, quarum oportet eſſe fundamenta, quæ ſunt potentiæ illæ, quibus quis regeneratus peruenit ad proprias operationes, & in ſacramentis, in quibus imprimitur character, nihil aliud fit, niſi ut quis particeps fiat diuinarum actionum, & adminiſtrationum, & ſic character eſt

25 potentia participandi huiuſcemodi actionum, & adminiſtrationum, quæ potentia eſt fundamentum, principiumq. operationum exiſtentium in vita ſpirituali, ſicut potentiæ naturales ſunt fundamenta

26 operationum exiſtentium in vita naturali; & ſicut aliæ potentiæ naturales indigent habitibus virtutum, ſic potentia hæc ſpiritualis indiget habitu gratiæ, ſic S. Thom. quem magis communiter ſequuntur Theologi, ut Caiet. Turrecrem. Sot. & Suarez, & alii nonnulli, quorum opinione magis communi, & magis vera iudicio meo retenta, argumenta in contrarium obiecta ſic tolluntur.

27 Ad primum, Licet character ſit ſignum, tamen rationem ſigni recipit à ſignaculo extrinſeco ſacramenti, quod eſt viſibile, licet character ipſe ſit quid inuiſibile.

28 Ad ſecundum, Character, inſpecta natura ſua, non poteſt conuenire humanæ cognitioni, quæ ſubiacet ſenſui, quo character caret, ſed inſpecto ſigno exteriori, ac viſibili, cum quo eſt annexus character, dicitur hæc impreſſio, ratione huius connexionis, & cognitionis proportionata, & ſatis accommodata humanæ cognitioni, propter ſenſibile ſignum ſacramenti.

29 Ad tertium, Character dicitur figura, qua nos aſſimilamur Deo non proprie, ſed metaphorice, & per translationem, ſicut dicitur, quod ſumus membra Chriſti, & Chriſtus eſt caput Eccleſiæ idem eſt dicere, configuramur, atq. eſſe participes diuinarum rerum, unde quod metaphorice eſt, non poteſt eſſe in aliquo prædicamento; ſicque non eſt in quarta ſpecie qualitatis, quæ non recipit aliquid, niſi proprie, & vere, non autem tranſlate, ita S. Thom. cui aſſentitur Sot.

30 Ad quartum, Paſſio poteſt dupliciter conſiderari, proprie, & improprie; paſſio tunc eſt proprie, quando fit per tranſmutationem, vel amiſſionem, & hoc modo non poteſt eſſe, niſi in parte ſenſibili, ut videre eſt Ariſt. 7. phyſ. & hæc paſſio accepta eſt proprie de tertia

ſpecie qualitatis, neq. hoc modo characteris impreſsio poteſt in anima dici paſsio, ut in argumento. impropriè vero dicitur paſsio, quando aliquid perficitur, vel decoratur, quaſi per ſimilitudinem dicatur id pati, perfici, ornari, & amari, & intellectus noſter dicitur paſsiuus per modum acquiſitionis, & acceptionis, ideſt acquirendo, vel perueniendo ad finem aliquem intelligendi, & hoc modo impreſsio poteſt dici paſsio, quæ cum producat perfectionem, & ornamentum, potius eſt dicenda delectatio, & ſuauitas, quam paſsio, & hoc modo non eſt in parte ſenſibili, nec de tertia ſpecie qualitatis, neq; ulla ſit tranſmutatio; unde argumentum tollitur.

Ad quintum, Verum eſt, quod character dicit potentiam, ut diximus ſequendo opinionem S Thomæ, ſed non eſt vera ſequela, quod propterea non ſit in anima, ex quo animæ potentiæ ſint com-
31 munes, hæc vero non communis, quia duplex eſt potentia in anima, naturalis, & animæ viuentis naturalis, altera ſpiritualis, & animæ exiſtentis in vita ſpirituali, & regenerata; primo modo naturalis eſt communis, & procedit argumentum, ſed character non eſt potentia naturalis animæ viuentis naturalis, ſed ſpiritualis, & hoc modo non eſt communis, ſed tantum conuenit ei, cui datur mediante miniſterio ſacramentali eccleſiæ, diuinaque, ac ſupernaturali virtute.

32 Ad ſextum, Eſt verum, quod eorum, quæ ſunt in anima, aut eſt potentia, aut paſsio, aut habitus, ſed minor non eſt vera, quia ſi character non eſt habitus, nec paſsio, eſt potentia, & ſic in ſecunda ſpecie qualitatis, ut ſequendo ſententiam S. Thomæ deduximus.

33 Ad ſeptimum, Licet character non ſit primæ, nec tertiæ, nec quartæ ſpeciei qualitatis, negatur, quin ſit ſecundæ, & ſic potentia, ut probatum eſt.

34 Ad Octauum, Non eſt bona comparatio inter humanam inſtitutionem, & diuinam, quia diuina eſt omnipotens, humana infirma, & impotens; unde vere poteſt intentionaliter homo efficere aliquid pro aliquo exiſtimari, ſed nequit efficere, quod realiter ſit, quod intentione vult reputari, ut Deus, qui efficit, reipſa, quod vult, ſuauiter diſponendo; unde inſtituit ſacramenta, & reipſa efficit, ut in quibuſdam imprimeretur character; maxima eſt enim differentia inter potentiam finitam, & infinitam, & à finita ad infinitam non prævalet argumentum, cum nulla ſit proportio.

Ad nonum, Character non reducitur ad aliquod ens intentionale, ut Durandus volebat, non ad aliquam relationem realem per ſe exi-
ſtentem

ſtentem, ut Scot. non ad primam ſpeciem qualitatis, ut Alex. de Ales; non ad tertiam, ut Marſ. non ad quartam, ut alii, ſed ad secun-
35 dam, ut S. Thom. & ſic argumentatio non procedit.

Articulus octauus.

Vtrum character ſubiiciatur animæ, ut ſuo ſubiecto, aut aliqua animæ potentia ſit ſubiectum eius, & non anima, vel eius eſſentia.

S V M M A.

1 *Character diſtinguit ouem Chriſti à non oue, non quoad eſſentiam animæ, ſed reſpectu potentiæ, qua una eſt inſignita, altera non. n.22.*
2 *Character diſponit ad gratiam, quomodo intelligatur. n.23.*
2 *Gratia eſt in eſſentia animæ.*
2 *Diſpoſitio, & habitus non ſunt ſemper ſimul.*
3 *Character diſtinguit animam ab anima, non potentiam à potentia, quomodo intelligatur. n.22.*
4 *Anima eſt ſubiectum ſuarum potentiarum naturalium, non autem ſpiritualium. n.24.*
5 *Character eſt in potentia ſecundum imaginem, qua Deo configuramur.*
6 *Character eſt in potentia cognitiua ad efficiendum aliquem potentem ad proteſtandam fidem, & alia n.25. & 26.*
7 *Vnum, & idem non poteſt uno, eodemq. tempore eſſe in diuerſis ſubiectis.*
8 *Character eſt ſignum eorum, quæ conferuntur.*
9 *Character ineſt animæ, mediantibus potentijs.*
10 *Signum, & diſtinctio pertinent ad cognitionem.*
11 *Fides verſatur circa potentiam cognitiuam.*
12 *Gratia eſt potentiæ affectiuæ.*
13 *Character imprimitur in baptiſmo mediante inuocatione Trinitatis.*
14 *Character diſponit præcipue ad reformandam imaginem.*
15 *Character ordinatur ad actiones.*
15 *Actiones ſunt per potentias.*
16 *Lumen conuenit potentiæ intellectiuæ.*
17 *Gratia eſt principium vitæ ſpiritualis in eſſentia animæ, ut in ſubiecto.*
18 *Operatio inſtrumentalis procedit ex organica potentia, qua quis operatur*
19 *Character, ſecundum Durandum, imprimitur in potẽtia organica, cuius ſententia ab omnibus reprobatur.*
20 *Virtus agendi in arte non eſt manus artificis, ſed intellectus.*
21 *Character imprimitur in eſſentia animæ, tanquam in ſuo ſubiecto ſecundum aliquos, quorum opinio refellitur.*
24 *Accidens dupliciter poteſt eſſe in pluribus.*

27 Chara-

27 *Character, & gratia diuerſo modo operantur.*

28 *Character, ſecundum Scot. imprimitur in voluntate, & in potentia affectiua, cuius opinio communiter reſpuitur.*

29 *Operatio dupliciter conſideratur.*

30 *Character imprimitur in potentia intellectiua, ſeu cognitiua, ſecundum communiorem ſententiam.*

Quod in eſſentia animæ extat, & non in potentijs, infraſcripta demonſtrant.

1 Primo, Character diſtinguit ouem, vel membrum Chriſti, à non oue, vel non membro. c. quomodo. de conſ. diſt. 4. ſed hoc non eſt ſecundum potentiam, ſed ſecundum ſubſtantiam animæ; ergo animæ eſſentiæ, non potentiis ineſt character.

2 Secundo, Character diſponit ad gratiam, ſed gratia eſt in eſſentia animæ, ergo & character, cum eiuſdem ſit habitus, cuius eſt diſpoſitio.

3 Tertio, Character diſtinguit animam ab anima, non potentiam à potentia, ergo in anima, non in potentia.

Quarto, Si in potentiis conſiſteret character, diſtingueret ſecundum imaginem, ſed hoc eſt falſum; quia ſi ſecundum imaginem, diſtingueret illas à creaturis, quæ non ſunt ſecundum imaginem, quod eſt falſum; ergo.

4 Quinto, Anima eſt ſubiectum ſuarum potentiarum, ſed character eſt potentia, ergo anima eſt ſubiectum characteris.

5 Sexto, Character eſt potentia ſecundum imaginem, ſecundum quam configuramur Deo, ut ſuperius in definitione diximus, ſed imago non in una, ſed in pluribus potentiis; ergo pariter character in pluribus, & ſic non unum, ſed plura ſunt ſubiecta characteris, quod eſt abſurdum; ergo non in potentiis.

6 Septimo, Si character eſt in potentia, aut eſt in incognitiua, ſiue in intellectiua, aut appetitiua, ſiue affectiua, aut in aliqua potentia organica, aut in omnibus ſimul, aut in nulla, ſed non in cognitiua, quia non imprimitur ad cognoſcendum, non in appetitiua, vel affectiua, quia non ad appetendum, non in organica, quia eſt ſpi-
7 ritualis potentia, non in omnibus ſimul, quia unum, & idem non poteſt uno, eodemq. tempore ſimul eſſe in diuerſis ſubiectis, ergo in nulla potentia, & ſic in eſſentia animæ.

8 Octauo, Character eſt ſignum eorum, quæ conferuntur, ſed confer-

conſertur gratia, quæ eſt in eſſentia animæ, ergo in eſſentia animæ erit character, qui eſt ſignum gratiæ,

Quod vero in potentia, non in eſſentia animæ ſit, infraſcriptis demonſtratur.

9 Primo, Vt ſuperius dictum eſt, character reſpicit imaginem, imago vero ineſt animæ, mediantibus potentiis; ergo potentia eſt ſubiectum characteris, qua mediante anima ſubiicitur characteri.

10 Secundo, Character eſt ſignum diſtinguens, ſed ſignum, ac diſtinctio attinet ad cognitionem, ergo potentia cognitiua eſt ſubiectum characteris, non animæ eſſentia.

11 Tertio, Character reſpicit fidem, ut in baptiſmo, fides autem verſatur circa cognitiuam, ergo character circa idem.

12 Quarto, Character diſponit ad gratiam; ſed gratia eſt potentia affectiua, ergo eiuſdem eſt character.

13 Quinto, Character imprimitur in baptiſmo mediante inuocatione Trinitatis, cui configuramur. ſed hoc fit ſecundum tres potentias, ergo character in potentiis eſt, & non in eſſentia animæ.

14 Sexto, Character diſponit præcipue ad reformandam imaginem, ſed reformatio imaginis fit reſpectu potentiarum, ut quis conuertatur ad Deum, ergo non in animæ eſſentia, ſed in potentiis.

15 Septimo, Character ordinatur ad actiones, ſed actiones ſunt per potentias, ergo character eſt in potentiis.

16 Octauo, S. Dionyſ. facit comparationem inter characterem, & lumen, ſed lumen conuenit intellectiuæ, ergo intellectiua eſt ſubiectum characteris.

17 Nono, Sicut gratia principium vitæ ſpiritualis eſt in eſſentia animæ, ut in ſubiecto, ita character potentia ſpiritualis eſt in potentia cum illa ſit ad eſſe, hæc ad actum S. Thom. in 4.

18 Decimo, Character videtur eſſe quoddam inſtrumentum ad operandum, ſed operatio inſtrumentalis procedit ex organica potentia, qua quis operatur, ergo character eſt in organica potentia, non in anima.

SOLVTIO.

19 IN hoc articulo variæ, ac plures ſunt opiniones, quarum illam primo diſcutiendam proponimus, quæ magis a ratione, & à veritate videtur eſſe aliena, hæc vero eſt Durandi diſt. 4. q. 1. qui aſſerit characteris impreſſionem in organica fieri potentia. ea motus ratione,

ratione, quæ in decimo argumento continetur, quæ opinio tanquam contra auctoritatem eccleſiæ, & Conc. Florent. communiter reprobatur; ut videre eſt apud Turrecrem in dicto c. quomodo. & Sot. diſt. 1. q. 4. art. 3. & obiectio facile refellitur, quia ſicut in arte virtus agen-
20 di non eſt manus artificis, ſed intellectus, ita in caſu noſtro; unde non corporis eſt, cum ſit indelebilis, & incorruptibilis character.

21 Alii opinati ſunt characterem imprimi in eſſentia animæ, tanquam in ſuo ſubiecto, quorum opinionem defendit Marſilius diſt. 4. q. 1. art. 1. ex pluribus, quæ in medio attulimus pro hac opinione, quæ reiicitur à ſummis Theologis, quorum primus eſt Alex. de Ales, & ſequitur S. Thom. S. Bonau. Turrecrem. Sot. & alij, qui ad argumenta Marſil. & ſequacium reſpondent, ut infra.

22 Ad primum, & tertium dicunt, Quod character non facit differre animam ab alia, quoad eſſentiam animæ, ſed reſpectu potentiæ, qua una eſt inſignita, altera vero non, ſicut color facit differre corpus ab alio, non reſpectu totius ſubſtantiæ corporeæ, ſed ratione ſuperficiei, in qua eſt color, ſic diſtinguitur quis ab alio, non in tota anima, ſed medio alicuius animæ potentiæ, in qua eſt character.

23 Ad ſecundum dicitur, Non eſſe verum in uniuerſum, quod ubi diſpoſitio, ibi habitus, quia habet tantum locum, quando diſpoſitio perficitur, & tranſit in habitum; ſecundo dici poteſt, negando cum Soto diſt. 1. q. 4. art. 9. characterem proprie diſponere ad gratiam.

Ad quartum, Valet argumentum, ubi eſt character eſt imago, ſed non econtra, ubi eſt imago, eſt character, quia in non baptizatis eſt imago, & non eſt character, ex quo fit, ut unius diſtinctio non ſit alterius.

24 Ad quintum, Eſſentia animæ eſt ſubiectum potentiarum naturalium, quæ radicatæ ſunt in eſſentia animę, & ex illa fluunt, ſed non eſt ſubiectum potentiæ ſpiritualis, quæ non deriuatur ab illa, ſed à diuina virtute, & diuinitus imprimitur in potentia naturali.

Ad ſextum, Poteſt aliquod accidens in pluribus eſſe dupliciter, uno modo, ſimul, & eodem tempore, & hoc eſt abſurdum; ſecundo, prius, & poſterius, & per analogiam, & hoc modo contingit in caſu noſtro, quia licet characteris impreſſio redundare
25 poſſit ad omnes potentias, magis principaliter eſt in cognitiua S. Auguſt. de ſpir. & anim. ſecundario redundat in aliis.

Ad ſeptimum, Non eſt in potentia affectiua, non organica, non
26 in pluribus, ſed in cognitiua, & licet non ſit ad cognoſcendum, eſt tamen ad efficiendum aliquem potentem ad proteſtandam fidem,

& alia

& alia adminiſtranda, quæ pertinent ad intellectiuam.

27 Ad octauum, Gratia eſt ad bene operandum, character eſt ad ſimpliciter operandum, & ſic diuerſa ratio.

28 Tertia opinio eſt Scoti diſt. 6. q. 11. quo loco defendit characterem imprimi in voluntate, & in potentia affectiua, quæ opinio communiter reprobatur, & quod de gratia obiiciebatur ſatis diſcuſſum eſt, ubi ad noſtram argumentationem reſponſum dedimus, quia cum

29 operatio dupliciter conſideretur, ſimpliciter nimirum, & ſecundum quid, ad effectiuam operationem bonam, vel malam ſpectare diximus, quod proprium eſt gratiæ, ſimpliciter operari eſt intellectiuæ, & ideo characteri tribuitur.

30 Quarta opinio eſt Alex. de Ales. S. Thom. S. Bonau. Pet. de Pal. Turrecrem. Soti. & aliorum, qui magis communiter ſentiunt characterem imprimi in intellectiua, ſeu cognitiua, ex rationibus ſuperius expreſſis pro hac opinione, quæ verior, probabilior, & communior eſt.

Articulus nonus.

Vtrum character ſit indelebilis, necne.

S V M M A.

1 *Deo, & diabolo non poteſt quis ſimul placere.*
2 *Character diaboli eſt delebilis, & quare, & quid. n. 18.*
3 *Characteris indelebilitas procedit ex perpetuitate cauſſa efficientis, & imprimentis* Dei. *& n. 21.*
4 *Character non imprimitur inuito.*
4 *Quod voluntate fit, variabile eſt.*
5 *Character habilitat ad gratiam ex natura ſua. n. 25.*
5 *Damnati amittunt omnem habilitatem ad gratium, & n. 23.*
6 *Fides excidit à beatis in gloria, & quare. n. 24.*
7 *Gratia perfectior eſt charactere, & quare.*
8 *Per characterem deputamur diuino cultui. & n. 9.*
9 *Fine ceſſante debet ceſſare id quod eſt ad finem.*
10 *Sacramenta, in quibus imprimitur character, non poſſunt iterari.*
11 *Culpa characteri non repugnat.*
12 *Characteris cauſſa efficiens, & finalis eſt perpetua, & qua.*
13 *Character ineſt anima, quoad cognitiuam potentiam.*
14 *Deus nunquam imprimit anima ſignum ſibi contrarium.*
14 *Quod imprimitur à Deo ad diſtinguendum, quando deleri poſſit.*
15 *Character imprimitur per quandam anima rationalis ſanctificationem, & quare.*

16 *Chara-*

16 *Character eſt quædam participatio ſacerdotij Chriſti, & quare.*
16 *Sacerdotium Chriſti eſt æternum.*
17 *Character eſt indelebilis ex Conc. Trid. & omnibus Doctoribus.*
19 *Character diaboli non deſtruit characterem Chriſti, & quare.*
20 *Character, & gratia diuerſimode reperiuntur in anima.*
22 *Conſenſus non eſt in cauſſa aliqua characteris, & quare.*
24 *Character, quare non excidat in gloria, ſicut fides.*

Quod character delebilis ſit inferioribus probatur rationibus.

1 PRimo, Aliquis baptizatus beſtiæ characterem habere poteſt, Apoc. 14. ſed utrumq. quis habere non poteſt, quia non poſſumus placere Deo, & diabolo; ergo unus deſtruit alterum, & ſic delebilis.

2 Secundo, Character diaboli eſt delebilis, quia non eſt quis adeo malus, quin poſſit fieri bonus, & e contra; ergo character Chriſti eſt delebilis cum quis etiam optimus poſſit fieri malus.

3 Tertio, Indelebilitas characteris, aut procedit ex perpetuitate cauſſæ efficientis, aut ex perpetuitate ſubiecti, ſed utrumq. eſt in gratia, quæ tamen eſt delebilis, ergo & character, cum nulla videatur rationis diuerſitas.

4 Quarto, Character non imprimitur inuito, & nolenti, ſed voluntate recipitur, ſed quod voluntate fit eſt variabile, ergo character deleri poteſt.

5 Quinto, Si character eſſet indelebilis, damnati ſic characterizati eſſent habiles ad gratiam, quia character habilitat ad gratiam, ſed damnati amittunt omnem habilitationem, ergo & characterem & ſic non eſt indelebilis.

6 Sexto, Fides, quæ eſt lumen perfectum excidit à beatis in gloria, ergo multo magis character, qui eſt lumen imperfectum, ergo delebilis.

7 Septimo; Quanto aliquid eſt perfectius, tanto firmius inhæret, ſed gratia perfectior eſt charactere, quia character eſt ad gratiam, ut ad ſuum finem, ergo firmior, & tamen gratiá per peccatum deleri poteſt, ergo multo magis delebitur character.

8 Octauo, Per characterem quis deputatur diuino cultui; ſed à diuino quis poteſt tranſire ad contrarium, ergo poteſt amittere characterem, per quem fuit in primo ſenſu, & ſic delebilis.

9 Nono, Ceſſante fine debet ceſſare id quod eſt ad finem, ſed character eſt ad cultum diuinum, qui ceſſat in patria, cum ibi totum

ſit

ſit in pura veritate, ergo & character, qui eſt ordinatus ad cultum ceſſabilem; & ſic delebilis.

Quod verò indelebilis ſit infraſcriptis probatur.

10 PRimo, Si character non eſſet indelebilis ſequeretur quod ſacramenta in quibus imprimitur poſsent iterari, ſed conſequens eſt falſum, quia non poſſunt reiterari, ergo & antecedens, quod non ſit indelebilis.

11 Secundo, Si character deleri poſſet ſequeretur quod repugnaret culpæ, quia culpa poteſt deleri, ut gratia, ſed non repugnat, cum ſacerdos, quamuis peccator habeat ordinis characterem, ergo indelebilis.

12 Tertio, Eius cauſſa efficiens, & finalis eſt perpetua, efficiens enim eſt Deus, finis eſt augmentum gloriæ, vel pœnæ, quæ omnia ſunt perpetua, ergo character eſt perpetuus, & indelebilis.

13 Quarto, Character ineſt animæ, vel quoad eſſentiam, vel verius, ſecundum magis communem, quoad cognitiuam potentiam, ergo ergo inuariabilis, cum ſubiectum ſit inuariabile, & incorruptibile.

14 Quinto, Quod imprimitur à Deo ad diſtinguendum, ut eſt character, non poteſt deleri, niſi ex appoſita conſignatione pariter à Deo facta, & procedente, quia ſolus Deus poteſt ſuam imaginem conſignare, ſed Deus nunquam imprimit ſignum ſibi contrarium, ergo perpetuo durat character, & eſt indelebilis, cum non poſsit deleri, niſi ex eo, quod Deus non facit.

13 Sexto, Character imprimitur per quandam animæ rationalis ſanctificationem, cum ſit ad deputandum aliquem ad rem ſacram, ſed ſanctificatio non amittitur, niſi amittatur ſubiectum, ut in chriſmate, & cum ſubiectum ſit perpetuum, ergo character, & ſanctificatio, per quam character.

16 Septimo, Character eſt participatio quædam ſacerdotij Chriſti, quia per characterem participamus aliquam ſpiritualem poteſtatem reſpectu ſacramentorum, & eorum, quæ pertinent ad diuinum cultum, ſed ſacerdotium Chriſti eſt æternum, iuxta illud pſalmi 109. Tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinẽ Melchiſedech. ergo character eſt indelebilis, & æternus.

17 Octauo, Extat Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 9. in quo determinatur hæc characteris indelebilitas.

SOLV-

Digitized by Google

SOLVTIO.

VNiuerſalis eſt concluſio, quod character eſt perpetuus, & indelebilis, ex rationibus, quas attulimus pro hac indubitata veritate. Argumenta vero contrarium demonſtrantia, ſic tolluntur.

18 Ad primum, & ſecundum, Character beſtiæ non eſt aliquod ſignaculum in anima impreſſum, ſed eſt culpa per voluntatem perpetrata, quæ diſponit animam per obſtinationem ad perpetuitatem unde huiuſmodi characteres ſunt diuerſi, & diuerſam reſpiciunt rationem, non eſt inconueniens, ut quis utrumq. habeat, ut dicitur

19 in exiſtente in peccato mortali, & ſic unus non diſtinguit alterum.

Ad tertium, & ad ſeptimum; Non procedit argumentum de

20 gratia ad characterem, quia diuerſimode utrumq. reperitur ſecundum formam, quæ perficitur iuxta conditionem animæ, quæ pro-

21 pter liberum arbitrium eſt variabilis, ſed character reperitur in anima ſecundum conditionem principalis agentis æterni, quia indelebiliter à Deo ſua diuina, & infinita virtute imprimitur, ergo diuerſa ratio.

22 Ad quartum, Conſenſus non eſt in cauſſa aliqua characteris, non enim concurrit de neceſsitate cum materiali, non cum formali, non cum efficiente, non cum finali; neq. in illo mirabili opere principalis, & ęterni agentis Dei ad imprimendum concurrit, quia ſolus Deus imprimit, ſed non contradicenti, vel ſubtrahenti, ſed obicem contrariæ voluntatis non habenti. c. cum maiores. §. fin. de baptiſm. & ideo argumentatio non procedit.

23 Ad quintum, Character habilem reddit ad gratiam; ſed ſi damnatos ad eandem diſponere nequeant non natura ſua, ſed ex incapacitate damnatorum procedit, qui habiles amplius fieri non poſſunt.

24 Ad ſextum, Imperfectio characteris non repugnat gloriæ perfectioni, ut repugnat fides, quæ habet ænigma, & rei creditæ abſentiam; character enim dicit lumen, quod non extinguitur per magnitudinem luminis in gloria, neque per obſcuritatem tenebrarum in pœnis, quia non ſunt oppoſita.

Ad octauum, & nonum, Licet quis poſsit tranſire ad alium cultum, itaut apud ipſum non remaneat cultus, tamen remanet finis cultus; unde bonis datur gloria, malis pœna ſempiterna.

Articulus

Articulus decimus.

Vtrum character in tribus tantum, an in aliis quoq. ſacramentis imprimatur.

S V M M A.

1 *Character eſt ſignum configuratiuum.*
1 *Per virtutes configuramur Deo, quomodo intelligatur. n. 19.*
2 *Character eſt ſignum diſtinctiuum.*
2 *Tempore legis diſtinguebatur populus Dei, & quomodo. n. 18.*
3 *Sacramenta nouæ legis conferunt gratiam. & n. 5.*
4 *Effectus, & proprium ſacramentorum nouæ legis eſt diſtinctiuum effectum operari inter habentem, & non habentem, cum differentia tamen. n. 20.*
9 *Sacramenta omnia noua legis tria habent.*
6 *Character eſt res, & ſacramentum, non tamen è contra. n. 22.*
7 *Sacramenta noua legis faciunt nos participes ſacerdotij Chriſti Domini. & n. 23.*
8 *Character ſe habet ad animam, ſicut conſecratio ad rem conſecratam.*
8 *Sacramentum quodlibet confert gratiam ſanctificantem, diuerſimode tamen. n. 24.*
9 *Sacramenta, quæ non iterantur ſunt diuerſa reſpectu materiæ, & reſpectu formæ, non autem reſpectu finis. n. 25.*
10 *Sacramentum, per quod imprimitur character, non poteſt iterari.*
11 *Omnia ſacramenta, præter tria, poſſunt iterari.*
12 *Character eſt ſignum diſtinctiuum, & unitiuum multorum in uno ſtatu fidei.*
13 *Sacramenta illa imprimunt characterem, in quibus configuramur ſacerdotio Chriſti per participationem alicuius poteſtatis ſpiritualis ad actiones ſacras ſuſcipiendas.*
14 *Character imprimitur in illis ſacramentis, in quibus ordinatur homo ad cultum diuinum per modum agentis, & recipientis, non per modum actionis ſacramentalis.*
15 *Character quod ſolum in baptiſmo, confirmatione, & ordine imprimatur, eſt de fide determinatum, & omnes Doctores ſequuntur. n. 16.*
17 *Finis virtutis non eſt ad ſignificandum, ut finis characteris.*
18 *Virtute, & charactere diuerſimode configuramur Deo.*
22 *Characteris proprium non eſt diſponere ad gratiam.*
24 *Sacramenta, in quibus imprimitur character faciunt participes poteſtatis ſuſcipiendi, & adminiſtrandi.*

Quod non ſolum in tribus, ſed in aliis ſacramentis imprimatur character, ſic poteſt demonſtrari.

1 PRimo, Character eſt ſignum configuratiuum, ſed per virtutes configuramur Deo, ergo per virtutes imprimitur character.& ſic per alia.

2 Secundo, Tempore veteris legis Deus habebat populum diſtinctum, ſed character eſt ſignum diſtinctiuum. ergo illa diſtinctio fiebat per characterem, & ſic per alia, quam per illa tria.

3 Tertio, Quod poteſt magis, poteſt & minus, d.l.nec in ea, ſed omnia ſacramenta nouæ legis conferunt gratiam, quæ eſt maior charactere, ergo poſſunt & minus, nimirum characterem, & ſic non ſolum in tribus, ſed etiam in aliis.

4 Quarto, Omnia ſacramenta ſunt ſufficientia ad agendum in anima bene diſpoſita effectum, ſed hic effectus eſt diſtinguere habentem â non habente, quod eſt proprium characteris, ergo in omnibus ſacramentis character imprimitur,& non tantum in illis tribus.

5 Quinto, Omnia ſacramenta nouæ legis gratiam conferunt, ſed character diſponit ad gratiam, ergo in omnibus imprimitur,& non in tribus tantum.

6 Sexto, In omnibus ſacramentis, vel eſt ſacramentum, vel res, vel ſacramentum, & res ſimul, ſed character eſt res, & ſacramentum, ergo in omnibus imprimitur character, & non in tribus tantum.

7 Septimo, Per omnia ſacramenta nouæ legis fit paaticipatio ſacerdotij Chriſti Domini, ſed character ſacramentalis non eſt aliud, quam participatio Chriſti Domini ſacerdotij,ergo per omnia,&non per illa tantum tria imprimitur,

8 Octauo, Character ſe habet ad animam, ſicut conſecratio ad rem conſecratam, ſed per quodlibet ſacramentum confertur gratia ſanctificans, ergo per quodlibet, & non per tria tantum imprimitur.

9 Nono, Si Characteris impreſſio in tribus tantum fit, neceſſe eſt,ut illud contingat ex aliqua communi natura, ſed hæc communis ratio non colligitur reſpectu materiæ, non reſpectu formæ, non reſpectu finis, cum ſint penitus diuerſa, ergo aut non imprimitur in tribus,aut ſi imprimitur, in omnibus etiam aliis fiet impreſsio.

Quod vero in tribus tantum, & non in aliis ſacramentis imprimatur character,ſequentibus demonſtratur.

10 Pri-

10 Primo, Vt in nono articulo deciſum fuit, character eſt ſignum indelebile, ergo ſacramentum, per quod imprimitur, non poteſt itera-
11 ri, ſed tantum tria ſacramenta non iterantur, ut tot. tit. de ſacram. non iter. & alia ſacramenta iterari poſſunt, ergo in illis tribus, & non in aliis imprimitur character.

12 Secundo, Character eſt ſignum diſtinctiuum, & unitiuum multorum in ſtatu fidei, ſed illa tria tantum videntur reſpicere determinatum fidei ſtatum, ergo in illis tribus, & non in aliis imprimitur character.

13 Tertio, Character eſt ſignum configuratiuum, & illa ſacramenta imprimunt characterem, in quibus configuramur ſacerdotio Christi per participationem alicuius ſpiritualis poteſtatis ad actiones ſacras ſuſcipiendas, vel recipiendas, ſed illa tria tantum ſunt, in quibus prædicta fiunt, ergo illa tantum tria imprimunt, & non alia.

14 Quarto, In illis ſacramentis imprimitur character, in quibus ordinatur homo ad cultum diuinum per modum agentis, & recipientis, & non per modum actionis ſacramentalis, ſed hæc ſunt tantum tria, baptiſmus confirmatio, & ordo, ergo in his tantum imprimitur.

15 Quinto, Confirmatur Concilij Florent. auctoritate de ſacram. in quo determinatum eſt, ſolum in illis tribus characteris impreſsionem fieri, & non in aliis.

SOLVTIO.

16 Quod tantum in tribus illis ſacramentis, nimirum in baptiſmo, in confirmatione, in ordine, & non in aliis ſacramentis imprimatur character, eſt veritas indubitata, quam omnes ſine diſcrepantia complectuntur; & omiſsis auctoribus, qui hanc rem pertractarunt, ad argumenta veniamus, quæ ad probandum contrarium obiiciuntur, hæc autem ſic diſſoluuntur.

17 Ad primum, Non configuramur virtute, per aliquod ſignum, ut in ſacramentis per characterem, ſed voluntate, & conformitate charitatis, ex qua omnes virtutes, & ſic diuerſimode.

18 Ad ſecundum, Tempore legis veteris diſtinguebatur populus carnalis per ſignum carnale, nihil interius operans, ſed diſtinctio ſacramentalis eſt ſignum exterius interiorem characterem producens ſola diuina virtute.

19 Ad tertium, Non eſt generaliter verum, quod virtus creaturæ potens ad generandum maius, generat minus; homo enim poteſt generare hominem, & nón feſtucam.

20 Ad quartum, Omnia ſacramenta operātur effectum diſtinctiuum inter habentem, & non habentem, ſed differenter, quia aliqua ſacramenta operantur hunc effectum perpetuo duraturum, ut eſt indelebilis character, qui imprimitur in illis tribus; alia vero hunc effectum producunt delebilem, & ceſſabilem, & ſic argumentum diluitur.

21 Ad quintum, Negatur ſequela; non enim verum eſt proprium characteris eſſe ad gratiam diſponendum, ut late declarat Sot. diſt. 1.q.5.art.4.

22 Ad ſextum, Eſto characterem eſſe rem, & ſacramentum, non tamen e contra; omne quod eſt res, & ſacramentum eſt character, & ſic ſoluitur argumentum.

23 Ad ſeptimum, Sacramenta in quibus imprimitur character, non ſolum faciunt aliquem participem ſacerdotij Chriſti, ut omnia alia ſacramenta, ſed ulterius faciunt participem poteſtatis ſuſcipiendæ, & miniſtrandæ, quod eſt proprium characteris, & eſt in tribus, & non in aliis.

24 Ad Octauum, Per quodlibet ſacramentum conſecratur, & ſanctificatur anima, ſed diuerſimode, per aliqua enim mediante gratia emundatur quis à peccato, per aliqua non ſolum hoc modo, verum etiam ulterius deputatur ad ſuſcipiendum,& ad miniſtrandum, quod ultimum conſequimur in illis tribus per impreſsionem characteris, quod in aliis non conceditur.

25 Ad nonum, Ratio, & cauſſa imprimendi eſt communis illis tribus ſacramentis, quæ licet, & ratione materiæ, & formę ſint illa tria etiam diuerſa, ad finem tamen imprimendi, ideſt ad determinatum fidei ſtatum conueniunt, & ſic corruit argumentum.

Articulus undecimus.

Vtrum in ſacramento ordinis conferatur gratia gratum faciens,necne.

S V M M A.

1 *Gratia gratum faciens non poteſt eſſe cum peccato.*

2 *Ordo, & peccatum poſſunt eſſe ſimul.*

3 *Ordo proprie non datur ad expellendam ignorantiam ſuſcipientis, ſed plebis,n.12.*

3 Ordo

3 *Ordo dicit diſtinctionem.*
3 *Populus chriſtianus non diſtinguitur per gratiam gratum facientem,ſed per gratiam gratis datam.*
4 *Cauſſa non præſupponit effectum ſuum.*
5 *Character diſponit ad gratiam, quomodo intelligendum.n.15.*
6 *Sacramenta noua legis efficiunt quod figurant.*
6 *Ordo per ſeptenarium numerum ſignificat ſeptem Spiritus ſancti dona.*
7 *In ſacramentis confertur gratia, & quare.*
8 *In baptiſmo datur gratia gratum faciens, & quare.*
9 *Cui datur potentia, dantur ea, quibus congrue peruenitur ad executionem potentiæ.*
10 *In ſacramento ordinis quod conferatur gratia gratum faciens eſt de fide.*
11 *Gratiæ gratum facientis collatio dupliciter conſiderari poteſt.*
13 *Dona, quibus diſtinguitur populus digne ſine charitate exerceri non poſſunt.*
14 *Ordinis ſacramentum ante ſui collationem requirit gratiam, & quare.*

Quod in ſacramento ordinis non conferatur gratia gratum faciens, hæc obiiciuntur.

1 PRimo, Gratia gratum faciens non poteſt ſtare cum peccato,ſed ordo poteſt ſtare cum peccato;ſuperius enim deciſum eſt,pecto obnoxios eſſe capaces ordinis, ergo non confertur ſemper gratia gratum faciens.

2 Secundo, Ordo proprie eſt contra ignorantiam,ſed contra ignorātiam non datur gratia gratum faciens,ſed gratia gratis data, ergo.

3 Tertio, Ordo dicit diſtinctionem,ſed populus Chriſtianus non diſtinguitur per gratiam gratum facientem,ſed per gratiam gratis datam.iuxta.illud Apoſt.I.ad Corinth.12. Diuiſiones gratiarum ſunt.

4 Quarto,Nulla cauſſa præſupponit effectum ſuum, ſed antequam conferatur ordo ſupponitur gratia in ordinante ad effectum executionis,ergo in collatione ordinis non confertur.

5 Quinto, Character diſponit ad gratiam,ſed non eſt, ut quis diſponatur ad id, quod habet; ergo dicendum eſt,ut in collatione ordinis, in qua imprimitur character,non conferatur.

Quod vero conferatur, hæc præcipua ſunt, quibus ſuadetur.

6 PRimo, Sacramenta nouæ legis efficiunt id quod figurant, ſed per numerum ſeptenarium ordo ſignificat ſeptem ſpiritus ſancti do-

cti dona, ut inquit Mag. ſent. in 4. ergo id efficit, & ſic gratia gratum faciens confertur.

7 Secundo, In ſacramentis confertur gratia, quia eſt inuiſibilis gratiæ viſibilis forma, ſed ordo eſt ſacramentum, ut ſupra determinatum fuit, ergo confertur gratia.

8 Tertio, In baptiſmo, in quo quis aliorum ſacramentorum fit capax, datur gratia gratum faciens, ut ſit idoneus ad ſuſcipiendum; ergo idem in ordine, per quem quis poteſt diſpenſare ſacramenta, ut digne diſpenſare valeat.

9 Quarto, Cuicunq. datur aliqua poteſtas diuinitus, dantur ea, quibus congrue peruenitur ad executionem potentiæ. l. fin. ff. de officius, cui mand. eſt iur. l. 3. ff. de pecul. leg. l. veteris, & ibi Gloſſ. Bart. & Doct. ff. de itin. act. priu. quia Dei opera ſunt perfecta. Deut. 32. ſed ad executionem ordinis non congrue quis perueniret ſine gratia gratum faciente, ergo illa confertur.

SOLVTIO.

10 NVllo modo eſt dubitandum, an gratia gratum faciens conferatur in ſacramento ordinis; pro parte enim affirmatiua ſtat veritas uniuerſalis, ut habetur in Conc. Trid ſeſſ. 7. can. 6. ubi hæc habentur. Septem ſacramenta nouæ legis conferunt gratiam ex opere operato. S. Thom. in 4. diſt. 24. q. 1. art. 3. Sot. ibid. art. 4.

Ad argumenta vero in contrarium ſic reſpondetur.

11 AD primum, Huiuſmodi gratiæ collatio dupliciter conſiderari poteſt, primo reſpectu ſacramenti, & hoc modo ſemper confertur, ſecundo reſpectu ſuſcipientis ſacramentum, & hoc modo non ſemper recipitur gratia, quæ confertur, quia ſuſcipiens poteſt obicem ponere, & peccato aliquo gratiam recuſare.

12 Ad ſecundum, Ordo proprie non eſt ad repellendam ignorantiam ſuſcipientis, ſed ad deijciendam plebis ignorantiam, & ſic argumentum tollitur.

13 Ad tertium, Dona, quibus diſtinguitur populus digne ſine charitate exerceri non poſſunt; ergo ut congrue diſtinguatur, neceſſaria eſt gratia, ſine qua non eſt caritas, & ſic argumentum non obſtat.

14 Ad quartum, Ante collationem ordinis communis requiritur gratia,

gratia, ut ſit iuſtus, & ſine peccato, ſed quia ordo eſt quid excellens, & præeminens, requiritur munus gratiæ, qua præſtantior, atq; excellentior ſit aliis; & hoc confertur in collatione ordinis.

Ad quintum, Character diſponit ad gratiam, qua quis in dies ſit habilior in exercendo munere ſuo, & ſic intelligendo non obſtat argumentum.

Articulus duodecimus.

Vtrum in omnibus ordinibus, unus, vel plures, ac diuerſi characteres imprimantur, necne.

S V M M A.

1 *Character eſt quædam ſpiritualis poteſtas.*
1 *Ordines aliqui ſunt tantum ad quoſdam actus corporeos, licet omnes tendant ad ſacramentum continens ſpirituale. n. 25.*
2 *Ordines minores habentes poſſunt ad laicatum redire.*
3 *Character adſcribit ad aliquod ſacramentū dandum, vel ſuſcipiendū.*
3 *Character baptiſmalis, & ſacerdotalis ad quid ſint, & n. 27.*
4 *Character eſt ſignaculum, quod imprimitur per imaginem, & quare.*
5 *Character eſt ſignaculum perpetuum.*
5 *Actus quorundam ordinum eſt miniſterialis, & non perpetuus, quomodo intelligendum, n. 29.*
6 *In epiſcopatu, & in prima tonſura non imprimitur character, & quare. n. 30.*
7 *Ex diuerſis ſecundum formam ſpecificam non poteſt unum conſtitui in naturalibus, in ſupranaturalibus vero ſic, & quare n. 33.*
8 *Qualitates contrariæ ſumma intentionis non poſſunt ſtare in eodem ſubiecto eodem tempore. & n. 32.*
9 *In baptiſmo imprimitur tantum unus character, ut in confirmatione, non autem in ordine, & quare. n. 34.*
10 *Character imprimitur tantum in ſacramentis, non in ſacramentalibus.*
11 *Sacramentum ordinis eſt unum.*
11 *Character eſt reſpectu ſacramenti, quomodo intelligendum n. 35.*
12 *Quod fieri poteſt per unum, per plura fieri non debet, quando procedat, num 36.*
13 *Per ſacramenta imprimentia characterem traditur poteſtas accipiendi, vel adminiſtrandi.*
14 *Ordinis ſacramentum ſecundum completam rationem eſt in ſacerdotio.*
15 *Sacramentum, in quo imprimitur character, non poteſt iterari.*
16 *In ordine quolibet eſt diſtinctio.*
17 *Character eſt ſignum, quo configuramur Chriſto Domino.*

18 *Ordines ſunt plures.*
19 *Ordinum poteſtates ſunt diuerſæ.*
19 *Poteſtates diſtinguuntur per ſignacula diſtinguentia diuerſos actus.*
20 *Signum debet reſpondere ſignato.*
21 *In quolibet ordine imprimitur character. Character ordinis ſecundum aliquos in ſacerdotio tantum imprimitur. n. 22. ſecundum alios in tribus maioribus ordinibus. n. 23. ſecundum vero alios, & verius, in omnibus. n. 24.*
26 *Characteris indelebilitas non ponit aliquem in ſtatu perpetuo, & permanente, & quare.*
28 *Ordines omnes ad ſacerdotium tendunt.*
29 *Actus ordinis duplex.*
31 *Characteres in ordine ſunt diuerſi numero, & ſpecie.*
35 *Ordinis ſacramentum quamuis ſit unum, & character ſit reſpectu ſacramenti, non conuenit eſſe diuerſos characteres, & quare.*
37 *Character dupliciter ſe agit circa actum officij ordinati.*
38 *Ordines omnes quomodo participent ſacerdotium.*

Quod non diuerſi, neq. ullus imprimatur character, ſequentibus probatur rationibus.

1 PRimo, Character, ut ſupra dictum eſt, eſt quædam ſpiritualis poteſtas, ſed quidam ordines, ut oſtiariatus, & acolythatus, non ſunt niſi ad quoſdam actus corporeos, ergo non in omnibus imprimitur character.

Secundo, Si in omnibus imprimeretur character, ſequeretur, quod habentes ordines minores non poſſent recedere à ſtatu clericorum, quia cum character ſit indelebilis, ille, cui imprimitur conſtituitur in ſtatu, à quo remoueri non poſſit, ſed conſequens eſt fal-
2 ſum, quia habentes ordines minores ad laicatum redire poſſunt, ergo & antecedens, & ſic non imprimitur in omnibus.

3 Tertio, Per characterem, quis adſcribitur ad aliquod ſacramẽtum dandum, vel ſuſcipiendum, ſed character baptiſmalis eſt ad ſuſcipiendum, character ſacerdotalis ad diſpenſandum, ergo in aliis non imprimitur.

4 Quarto, Character eſt ſignaculum, quod per imaginem imprimitur, ut configuremur Deo, ſed multi ordines tendunt ad hæc inferiora, ergo non in omnibus imprimitur.

5 Quinto, Character eſt ſignaculum perpetuum, unde non poteſt imprimi, niſi ad cultum perpetuum, ſed actus quorundam ordinum eſt miniſterialis, & non perpetuus, ergo in omnibus nõ imprimitur.

6 Sexto

6 Sexto, Sicut Epiſcopatus,ita, & prima tonſura dicitur ordo, & tamen in neutro imprimitur character, ergo non in omnibus.

Septimo, Si in omnibus imprimeretur character, aut eſt idem in omnibus,aut diuerſi ;non idem, quia non poſſet ſine corruptione imprimi ; non diuerſi,quia aut ſunt diuerſi numero, aut ſpecie, non
7 ſpecie, quia diuerſi ſecundum formam ſpecificam conſtituerent unum, quod eſt impoſſibile,neq. eſſet unum ſacramentum contra
8 veritatem catholicam, ut inferius demonſtrabitur; non diuerſi numero, quia ſic diuerſæ qualitates ineſſent ſimul, & uno,eodemque tempore alicui ſubiecto, quod dicere eſt abſurdum, ergo non imprimitur in omnibus.

9 Octauo, In baptiſmo non imprimitur,niſi unus character, & ſic in confirmatione,ergo idem in ordine,& ſic non diuerſi in omnibus.

10 Minores ordines,ex ſententia quorundam, non ſunt ſacramenta, ſed ſacramentalia, ſed character non imprimitur, niſi in ſacramento,ergo non in omnibus.

11 Decimo, Sacramentum ordinis unum eſt, ſed character eſt reſpectu ſacramenti, ergo unus character;ſi unus ergo non in diuerſis, & in omnibus, alias non conueniret unitati ſacramenti.

12 Vndecimo, Quod fieri poteſt per unum, per plura fieri non debet, ſed ordinati per unum characterem,poſſunt diſtingui, ut baptizati,ergo non per plures, & ſic non in omnibus.

13 Duodecimo, Per ſacramenta imprimentia characterem traditur quædam poteſtas accipiendi, vel adminiſtrandi, itaut ſi quis ſine dicta poteſtate acciperet, vel adminiſtraret, nihil faceret, ut in non baptizato, & non ſacerdote; ſed ſi quis non ordinatus diaconus, officio diaconatus fungeretur, euangelium legendo, vel alia faciendo,licet peccaret, factum tamen non dicitur irritum, ergo non in omnibus imprimitur character.

14 Decimo tertio,Ex ſententia S. Thomæ in 4. ſacramentum ordinis ſecundum completam rationem eſt in ſacerdotio, in aliis eſt quædam participatio, & collectio reſpectu unius, & non diuerſorum, ergo non in omnibus imprimitur, ſed tantum in ſacerdotio.

Quod vero in omnibus imprimatur character, & quod diuerſi ſint characteres, his poteſt oſtendi.

15 **PRimo, Quodlibet ſacramentum,in quo imprimitur character eſt irreiterabile,ſed nullus ordo reiterari poteſt, ergo in omnibus imprimitur character.**

16 Se-

16 Secundo, Character eſt ſignum diſtinctiuum, ſed in quolibet ordine eſt diſtinctio, ergo in quolibet ordine imprimitur character.

17 Tertio, Character eſt ſignum, quo configuramur Chriſto Domino, ſed Chriſtus Dominus in omnibus præbuit exemplum, ut probat Mag. ſent. in 4. ergo in omnibus imprimitur.

18 Quarto, Ordo propriè loquendo, & habità ratione uſus eſſentiæ, eſt ſignaculum, ſed plures ſunt ordines, ergo plura & diuerſa ſignacula, quæ ſignacula characteres appellantur.

19 Quinto, Poteſtates ordinum ſunt diuerſæ, alia eſt enim poteſtas Oſtiarii, alia Acolythi, & ſic de ſingulis, ſed poteſtates diſtinguuntur per ſignacula diſtinguentia diuerſos actus, ergo characteres plures, & diuerſi imprimuntur.

20 Sexto, Signum dicitur reſpondere ſignato, ſed diuerſa ſunt exteriora ſigna, iuxta diuerſitatem ordinum, ergo, & characteres ſunt diuerſi, qui ſunt ſignata interiora ex exterioribus ſignis.

21 Septimo, In quolibet ordine imprimitur character ex ſupradictis rationibus; ſed ſi idem character imprimeretur, iteraretur neceſſario, quod non eſt dicendum, ergo non idem, ſed diuerſi.

SOLVTIO.

22 TRes ſunt opiniones in hoc articulo, prima eſt illorum, qui ſentiunt characterem ſolum imprimi in ſacerdotio, & quod omnes alii ordines uniuntur in uno charactere ſacerdotali, quam opinionem ex pluribus ſuperius pro hac parte deductis, defendit Durandus loco ſuperius citato, cuius argumenta doctiſsimo confutat S. Bonau. in 4. diſt. 24. q. 2. & nos inferius repetemus.

23 Secunda opinio eſt illorum, qui opinati ſunt ſolum in illis tribus ordinibus imprimi characterem, qui dicuntur ſacri, & maiores appellantur, conſequenter negant in minoribus imprimi characterem, hanc opinionem defendit Sotus in 4. diſt. 24. q. 1. art. 4. quam approbaſſe Caietanum, idem Sotus teſtatur, ſed hæc opinio magis communiter reprobatur ex pluribus, quæ congerit S. Thomas, S. Bonau. Turrecrem. & alii.

24 Tertia eſt illorum, qui ſentiunt in omnibus imprimi characterem, & diuerſos diuerſis, quam opinionem tanquam veriſsimam communem comprobauit S. Thom. in 4. S. Bonau. ibid. Turrecrem. in c. epiſcopi diſt. 23. Io. à Capiſt. de auct. Pap. p. 2. 2. p. princip. num. 10. Tab. verb. ordo. n. 6. pro cuius opinionis veritate faciunt ea omnia, quæ pro hac parte deduximus.

Ad

Ad contraria vero ſic reſpondetur.

25 AD primum, Licet aliqui ordines ſint ad actus corporales, ſatis eſt, quod omnes tendunt ad ſacramentum continens ſpirituale.

26 Ad ſecundum, Falſum eſt, quod indelebilitas characteris ponat aliquem in ſtatu perpetuo, & permanente, quia poteſt quis ſine præiudicio indelebilitatis mutare ſtatum de bono ad malum, de hoc ſæculo ad aliud, & ſic quod in argumento aſſumitur à veritate eſt alienum.

27 Ad tertium, Baptiſmus eſt ad ſuſcipiendum, ſacerdotium ad conferendum, unde in miniſterio conferendi, & cultus diuini plura in Eccleſia erant officia neceſſaria, quæ ad unum ſacerdotium & ad eundem finem tendunt, ex quo fit, ut plures poteſtates requirerentur, & ſic plures characteres, licet ad unum, quod non contingit in miniſterio baptiſmi.

28 Ad quartum, Licet aliqui ordines reſpiciant inferiora, nihilominus ad ſacerdotium omnes tendunt, & ſublimitatem ſacerdotalem inſtitutam à Chriſto omnes ſequuntur.

29 Ad quintum, Duplex eſt actus; alter reſpectu miniſterii, & hic non eſt perpetuus; alter reſpectu finis miniſterii, & hic eſt perpetuus, qui eſt ad gloriam, & ſupplicium æternum.

30 Ad ſextum, Negatur, quod Epiſcopatus, & prima tonſura ſit ordo, ut infra demonſtrabitur, quia contraria opinio eſt magis communiter recepta.

31 Ad ſeptimum, Reſpondet S. Bonau. loc. cit. quod characteres
ſunt diuerſi numero, & ſpecie, & non ſequitur inconueniens, quia
ſunt diuerſi numero, ut binarius, & ternarius, ſpecie ut binarius,
& ternarius, reſpectu ſenarii, quaſi quod diuerſi integrentur in unitate
unius ſacramenti; verum quia hæc reſponſio patitur non paruam
difficultatem, dicerem, quod contrariæ voluntates ſummæ in-
32 tentionis non poſſunt ſtare in eodem ſubiecto ſimul & eodem tempore,
neq. ullo modo fieri poteſt, quod ex diuerſis differentibus ſpe-
33 cie conſtituatur unum in naturalibus, ſed in ſupranaturalibus non
eſt mirum, ut in caſu, cum impreſſio characterum efficiatur ab
agente infinito, & omnipotente, & in anima, quæ eſt ad imaginem
Dei, unde habet rationem infinitatis.

34 Ad octauum, Baptiſmus, & Confirmatio non habent diuerſitatem graduum, & poteſtatum, ſicut ordo, hinc eſt quod non requiritur, niſi unicus character in illis ſacramentis, ſicut plures requiruntur in ordine.

Ad

Ad nonum, Opinio, quæ ſic ſe habet, ut ponat minores ordines non eſſe ſacramenta, ſed ſacramentalia, communiter eſt reprobata, ut inferius dicetur, ideo non tenet argumentum.

35 Ad decimum, Licet unum ſit ſacramentum, & character ſit reſpectu ſacramenti, non ſequitur inconueniens, quando diuerſi uniuntur in unitate ſacramenti, ut plures lineæ ad unicam ſcripturam, in caſu diuerſi characteres imprimuntur, correſpondentes unitati ſacramenti, diuerſæ enim poteſtates integrantur, ut partes poteſtatiuæ, non ſubiectiuæ ad completam ſacerdotii poteſtatem, & unitatem ordinis ſacramenti, & ſic nullum inconueniens.

36 Ad undecimum, Tunc procedit illud, quando poteſt fieri aliquod per unum, non debet fieri per plura, quando per unum commode impleri poteſt, ſed ordo ſacramenti non ſolum diſtinguere debet quoad alios, ſed quoad ſe, ergo non poteſt commode fieri diſtinctio, niſi per plura.

37 Ad duodecimum, Character dupliciter ſe agit circa actum officii ordinati, quandoq. eſt ad bene, & digne exercendum, & tunc poteſt remanere actus, licet non congrue, & digne ſit adminiſtratus, & ſic procedit quod de Diaconatu dictum eſt, quandoque eſt ad eſſe, non ad bene eſſe, ideſt ſine quo non poſſit fieri actus, vel nihil fieret, ut in ſacerdotio, quod ſine ordine non adminiſtratur, & hoc non continetur in argumento.

38 Ad ultimum, Licet alii ordines participent ſacerdotium, non intelligitur tamen de participatione partis, reſpectu totius, ut character ſacerdotalis diuidatur inter omnes, abſit; eſt enim hoc abſurdum admittere, ſed participant ratione reintegrationis, & unionis integrantur omnes, & tendunt ad ſacerdotium, & ad illud uniuntur.

Articulus decimustertius.

Vtrum ordo debeat diſtingui in plures, necne.

S V M M A.

1 *Virtutis magnitudo pendet ab unitate, non diuerſitate.*
2 *Ordo ponit ſuſcipientes in gradu ſupra alios.*
3 *Ordo non diſtinguitur in partes integrales, nec ſubiectiuas, & n. 16.*
4 *Monarchia eſt nobilior Ariſtocratia.*
5 *Sacramentum ordinis eſt unum, & non plura.*
6 *Diſtinguere in plures eſt ſeparare, quomodo intelligatur.*
6 *Eccleſia intendit fideles omnes unire cum Deo,*

7 Eccle-

7 *Eccleſia eſt corpus myſticum Chriſti Domini.*
8 *Miniſterium noui teſtamenti, eſt dignius veteris miniſterio.*
9 *Plura, & diuerſa quanto magis ſub diſtinctione ordinata*, ***tanto magis* reluce ſapientia, & potentia diuina.**
10 *Ordo diſtinguitur in plures, & quare.*
11 *Via Domini eſt ampla in hominibus proficiendo.*
12 *Credens ſolum ſacerdotium eſſe ſacramentum ordinis, eſt* ***anathema ex*** *Conc. Trid.*
13 *Eccleſia militans eſt exemplata à cæleſti.*
14 *Ordinis ſacramentum in plures diſtingui eſt de fide.*
15 *Potentia diſtinguitur per actus.*
17 *Monarchia non excludit pluralitatem, & diuerſitatem miniſtrantium.*

Quod ordo in plures non ſit diſtinguendus, ſequentibus demonſtrari poteſt.

1 Primo, Magnitudo virtutis pendet ab unitate, non diuerſitate, tanto enim maior eſt virtus, quanto magis eſt unita, ſed hoc ſacramentum ordinis dignius videtur aliis, & maioris virtutis, cum po-
2 nat ſuſcipientes in gradu ſupra alios, & magis debet eſſe unitum, quam alia, at alia non diſtinguuntur in plures, ergo multo minus hoc debet diſtingui.

3 Secundo, Si diſtinguitur, aut diſtinguitur in partes integrales, aut ſubiectiuas, non integrales, quia ſic prædicatio non eſſet totius, non ſubiectiuæ, quia ſic in plurali reciperent prædicationem, quod eſt falſum in caſu, non enim dicimus, quot eſſe ordines tot eſſe ſacramenta, ergo dicendum eſt non diſtingui in plures.

4 Tertio, Monarchia, qua unus regit, nobilior eſt Ariſtocratia, qua diuerſi in diuerſis officiis adminiſtrant, ſed regimen eccleſiæ eſt nobiliſſimum, ergo non in plures, ut in Ariſtocratia, ſed unicus, ut in Monarchia.

5 Quarto, Si in plures etiam plura eſſent ſacramenta, ſed conſequẽs eſt falſum, quia unum eſt, & non plura ſacramenta ordinis, ergo & antecedens, & ſic non diſtinguitur.

6 Quinto, Eccleſia aliud non intendit, niſi unire fideles cum Deo, ſed diſtinguere in plures eſt ſeparare, & ſic contra intentionem Eccleſiæ, ergo non in plures.

Quod vero in plures ſit diſtinguendus, his probatur.

7 Primo, Eccleſia eſt corpus myſticum Chriſti Domini., quod à S. Paul. ad Rom. 12. æquiparatur corpori naturali, ſed corpus naturale

turale diſtinguitur in plura membra ; ergo pariter Eccleſia , & eius ordo .

8 Secundo, Miniſterium noui teſtamenti eſt dignius veteris miniſterio, ſed in veteri in plura diſtinguebatur, ergo multo magis in nouo.

9 Tertio , Quanto magis plura , & diuerſa ſunt ſub diſtinctione ordinata, tanto magis relucet ſapientia , & potentia diuina , tam in naturalibus , quam in ſpiritualibus , ſed ſi non diſtingueretur in plura, non ita reluceret , ergo congruum fuit, ut in plures diuideretur .

10 Quarto , Si non in plures, difficillime Eccleſia auxilium præſtaret humanæ infirmitati, cum per unum non ita commode poſſit impleri , quod ad diuina myſteria pertinet.

11 Quinto, Via Domini eſt ampla in hominibus proficiendo, ut omnes poſſint eſſe Dei coopèratores ; ſed ſi non in plures ; non ita eſſet ampla , ergo diſtingui debet.

12 Sexto, Extat Conc. Trid. ſeſſ. 23. can. 3. ubi anathematizatur credens ſolum ſacerdotium eſſe ordinis ſacramentum ; ergo in plures.

13 Septimo , Eccleſia eſt exemplata à cæleſti , ſed illa in plures diſtinguitur ; ergo & militans in plures debet diſtingui.

SOLVTIO.

14 NON eſt dubitandum plures eſſe ordines , & in plures diſtingui ; & de hoc dubitare , manifeſtam ſaperet hæreſim , iuxta determinationem dicti ſacri Concilij.

Contraria vero ſic refelli poſſunt.

15 Ad primum , Magnitudo virtutis huius ſacramenti conſiſtit in pluribus actionibus peragendis, quia per actus diſtinguitur poteſtas, ut ait Philoſophus. 2. de anim. text. 33. ergo fuit neceſſaria diſtinctio in plures, ſecus in aliis ſacramentis, quæ verſantur circa aliquos effectus, ſed non circa plures actus.

16 Ad ſecundum & quartum , Diſtinctio ordinis non eſt totius integralis in partes, neq. uniuerſalis in ſubiectiuas, ſed poteſtatiua, cuius natura eſt, ut totum ſecundum completam rationem in uno reſideat ; & partes participes ſint ipſius totius; unde omnes per participationem ſunt ſacramenta , & unum eſt, & totum completum in ſacerdotio , & ſic in aliis per participationem , & omnes ahi ſunt unum ſacramentum ;

17 Ad tertium , Monarchia non excludit pluritatem miniſtrantium ſub uno , ſicuti eſt Eccleſia.

18 Ad quintum, Licet diſtinctio ſonet ſeparationem, non propterea impeditur unitas, immo fortior euadit, quia ordo diſtinguitur in plures in uno Eccleſiæ corpore.

Articulus decimus quartus.

Vtrum ordines ſint ſeptem, an plures, vel pauciores.

S V M M A.

1 *Hierarchiæ actus ſunt tres, ſecundum S.* Dionyſ.
1 *Eccleſia militans eſt exemplata à cæleſti, non tamen in omnibus. n. 22.*
2 *Gradus in Eccleſia ſunt nouem, quomodo intelligatur. n. 23.*
3 *Ordines inſtituti ſunt à Chriſto Domino.*
4 *Sacramenta ſunt ſeptem, quorum unum eſt ordo.*
5 *Per ſacramentum ordinis, quis ſit diſpenſator aliorum ſacramentorum. quomodo intelligatur. n. 30.*
6 *Angelorum ordines ſunt nouem.*
7 *Pſalmorum prophetia nobilior eſt alijs prophetijs.*
8 *Quanto maior eſt receſſus à principio, tanto magis proceditur in multitudinem, quomodo intelligatur. n. 32.*
9 *Prima tonſura, & Epiſcopatus dicuntur ordines, & quomodo. n. 21. & num. 33.*
10 *Ordines omnes attingunt ſpiritualem effectum ſacramenti, & quomodo. n. 35.*
11 *Sacerdotium attingit ſpiritualem effectum ſacramenti magis complete, quam alij. n. 35.*
13 *Dona Spiritus ſancti ſunt ſeptem.*
14 *Ordinis ſacramentum proprie eſt ad ſeptem, & quare num. 15.*
16 *Prima tonſura, & Epiſcopatus non ſunt ordines characterem imprimentes.*
16 *Ordines minores, & maiores ſunt ſacramenta characterem imprimentia, & num. 28.*
17 *Ordines dupliciter poſſunt conſiderari.*
18 *Sacerdotium tantum ſecundum Durand. eſt ordo, & ſacramentum. alij vero non, & quare dicuntur ordines, quæ opinio reijcitur.*
19 *Ordines maiores tantum, ſecundum Sot. ſunt ordines reſpectu ſacramenti, & impreſſionis characteris, quæ opinio reprobatur.*
20 *Ordines reſpectu ſacramenti, & impreſſionis characteris ſunt ſeptem, & n. 12.*
22 *Eccleſia militans non poteſt eſſe ſimilis in omnibus cæleſti, & quare.*
24 *Ordines plures ſunt præter ſacerdotium, & diaconatum, & omnes inſti-*

tuti

tuti à Chriſto. n.25. licet ſolum de his duobus ſit facta mentio, & quare.
26 *Ordines minores ſunt inſtituti ab eccleſia ſecundum Mag. quomodo intelligendum.*
27 *Chriſtus dominus in vita adminiſtrauit cuncta ordinum officia, & miniſteria ſecundum Mag.*
29 *Ordines licet ſint ſeptem, omnes tamen tendunt ad unum ſacramentum*
29 *Ordines omnes quomodo dicantur ſacramenta.*
31 *Pſalmiſtatus comprehenditur ſub lectoratu, & quare dicatur ordo.*
34 *VVicleſ hæretici error de ordinum numero.*
36 *Ordines maiores quare dicuntur ſacri, & minores non.*

Quod numerus ſit maior, vel minor ſeptenario, his videtur poſſe probari.

1 PRimo, ſecundum Dionyſ. tres ſunt actus hierarchiæ, illuminare, perficere, & purgare, ergo totidem debent eſſe eccleſiaſtici, cum hæc à cæleſti ſit exemplata, ſed ordines tot debent eſſe quot ſunt actus, ergo tres, & non ſeptem.

2 Secundo, Eſt text. in c. cleros. diſt. 21. ubi ponuntur nouem gradus, ergo non ſeptem.

3 Tertio, Ordines inſtituti ſunt à Chriſto Domino, vel auctoritate Apoſtolorum, ſed ab illis non ſit mentio, niſi de presbyteris, & diaconis, ergo non videntur eſſe plures ordines.

4 Quarto, Septem ſunt ſacramenta, quorum unum eſt ordo, ergo non plures, ſed unus eſſe debet, ſicut unum eſt ſacramentum, alias ſequeretur; quod plura alia eſſent ſacramenta præter ſeptem.

5 Quinto, Per ſacramentum ordinis, quis ſit diſpenſator aliorum ſacramentorum, ſed alia ſacramenta excepto ordine ſunt ſex, ergo ſex, & non ſeptem debent eſſe ordines.

6 Sexto, Ordines Angelorum ſunt nouem ſecundum S. Dionyſ. quem ſequuntur omnes, ergo nouem, & non ſeptem debent eſſe ordines Eccleſiæ, alias altior eſſet virtus Eccleſiæ militantis virtute triumphantis, cum illa altior ſit, quæ minus ſit multiplicabilis, ſed conſequens eſt falſum, ergo & antecedens.

7 Septimo, Prophetia pſalmorum eſt nobilior aliis prophetiis, ſed in aliis datur ordo lectoratus, ergo alius ordo debet dari ad legendum pſalmos, ſicuti videtur dari per text. in c. pſalmiſta diſt. 23. ergo plures, quam ſeptem.

8 Octauo, Quanto maior eſt receſſus à principio, tanto magis proceditur in multitudinem, ſed Eccleſia magis diſtat à Deo, quam Angelica,

gelica, ergo plures debent eſſe ordines eccleſiaſtici, quam Angelici, ſed Angelorum ſunt nouem, ergo plures alii, ultra quam ſeptem debent eſſe eccleſiaſtici.

9 Nono, Prima tonſura,& Epiſcopatus ex multorum ſententia, ſunt ordines diuerſi à ſeptem commemoratis, ergo nouem, & non ſeptem.

Decimo, Chriſtus Dominus non videtur inſtituiſſe, niſi duos ordines, Apoſtolorum nempe, & ſeptuaginta diſcipulorum, ergo duo, & non ſeptem.

10 Vndecimo, Si ſeptem eſſent ordines, omnes attingerent effectum ſpiritualem ſacramenti, ſed hoc non videtur verum, quia tantum ſa-
11 cerdotium attingit effectum ſpiritualem, ergo tantum ſacerdotium eſt ordo, alii vero ſacramentalia.

Duodecimo, Minores ordines non ſunt ſacri, ergo non proprie ordines, ergo non ſeptem.

Facile vero his ſequentibus, probatur ſeptem eſſe ordines, nec plures, nec pauciores.

12 Primo, Eſt can. Apoſt. 42. & 43. quod etiam refert Sot. in 4. diſt. 24. q. 1. art. 5. qui aſſerit idē confirmari à S. Clemente epiſtol. 3. & a S. Anacleto c. 3. ſuarum decretal. a S. Ignatio, & à pleriſq. aliis, qui fuerunt coetanei, & proximi Apoſtolis, ex quorum ſcriptis ſatis videtur expreſſus ſeptenarius numerus ſacramenti ordinis.

13 Secundo, Septem ſunt dona Spiritus ſancti, ſed donum ſpiritus ſancti confertur in ſacramento ordinis, ergo ordinis ratio reſpondere debet gratiæ ſpiritus ſancti, cuius cum ſint ſeptem, ordines quoq. ſeptem debent eſſe.

14 Tertio, Sacramentum ordinis eſt ad ſeptem proprie conſiderando, ergo ſeptem, & non plures, vel pauciores eſſe debent; eſt enim
15 ad conſecrandum, ut ſacerdos, ad diſpenſandum, ut diaconus, ad ordinandam ſacramenti materiam, ut ſubdiaconus, ad præſentandum ſacramenti materiam, ut acoly thus, ad excludendum infideles ab Eccleſia, ut oſtiarius, ad inſtruendum ut lector, ad impedimenta diabolica delenda, ut exorciſta.

Quarto, Qui ſentiunt plures eſſe ordines, quam ſeptem, addunt primam tonſuram, & Epiſcopatum, qui vero dicunt eſſe pauciores, delent de numero minores, alii vero duos maiores, ſed ut infe-
16 rius demonſtrabitur, prima tonſura, & Epiſcopatus non ſunt ordines imprimentes characterem, minores vero, & maiores eſſe proprie ſacramenta imprimentia characterem, ergo ſequitur, ut

remaneat illæſus ſeptenarius ordinum numerus.

SOLVTIO.

17 Ordines conſiderari poſſunt dupliciter, primo quatenus habent ſacramentum ordinis, & imprimunt characterem, ſecundo quatenus non ſunt ſacramenta, neq. ullum imprimunt characterem; primo modo accipiendo ordinem, varia Doctores opinati ſunt, ita ut tres colligantur opiniones.

18 Prima, Eſt volentium tantum ſacerdotium eſſe ordinem, & ſacramentum, & imprimi characterem, alios vero neq. ordines eſſe, neq. characterem imprimere, & aſſeuerant ordines ſic vocari, quia tendunt ad ordinem ſacerdotalem, quam opinionem defendit Durand. loco ſuperius cit. ex pluribus, quibus reſpondet Sot. cuius Durandi opinio communiter reiicitur.

19 Secunda opinio, Eſt illorum, qui dicunt tres ordines ſacros ſolummodo eſſe ordines reſpectu ſacramenti, & impreſſionis characteris, quam opinionem amplectitur Sot. ſuperius relatus, ex pluribus, quibus fuit reſponſum ſuperiori articulo, quo loco diximus hanc opinionem fuiſſe communiter reiectam.

20 Tertia opinio, Eſt communis, & uniuerſalis, quod ſunt ſeptem ordines nec plures, nec pauciores, nimirum ſacerdotis, diaconi, ſubdiaconi, acolythi, lectoris, exorciſtæ, oſtiarii, & imprimunt characterem ex pluribus ſuperius deductis, & ultra auctoritatem Apoſtolorum, & illorum, qui coætanei fuerunt, ſeptem poſuit Corn. Papa. ad Fabian. Euſeb. hiſt. lib. 6. c. 33. Conc. Carthag. 4. Vgo de ſacram. p. 3. c. 5. lib. 2. quem ſequitur MAG. ſent. & tota Theologorum ſchola, ut S. Thom. S. Bonau. in 4. Turrecrem. in d. c. cleros. S. Ant. Ang. Tab. & omnes ſummiſtæ.

21 Si vero non reſpectu ſacramenti, & characteris conſideratur ordo, ſed ſecundum nudum officium, & dignitatem, tunc prima tonſura, & Epiſcopatus dicuntur ordines, & ſic nouem, & non ſeptem, & hæc eſt magis communis opinio canoniſtarum. Gloſſ. in proem. ſexti. Hoſt. in ſumm. de ordin. ab epiſc. §. 1. in princ. Archid. in d. c. cleros. n. 17. Io. Andr. & Domin. in c. 1. de filiis presb. Abb. qui dicit eſſe communem in c. cum in cunctis §. cum vero de elect. num. 2. Imol. in clem. dudum de ſepult. infinitos congerit Stephan. de Gaet. in c. ad limina. 30. q. 1. §. 3. n. 16. & Doct. communiter in c. cum contingat de ætat. & qualit. & nouiſſime Nau. c. 22. de ſacram. ordin. n. 22.

Obie-

Obiecta uero ſic delentur.

AD primum,& ad ſextum,Duo continentur falſa in dicta argu-
mentatione, primum eſt quod eccleſiaſtica hierarchia in om-
22 nibus ſit exemplata à cæleſti, quia aſſimilatur quoad fieri poteſt,ſed
in omnibus non poteſt eſſe ſimilis,cum illa ſit altioris ſtatus,hæc ve-
ro longe inferioris; unde non procedit argumentum de uno ad
aliud; alterum eſt, quod iure optimo negari poteſt, ordines toti-
dem eſſe quot actus, cum ſint tres, & Angelorum nouem ſunt or-
dines.

23 Ad ſecundum, Non obſtat text.in c. cleros, quia ibi ponuntur or-
dines ſecundum nomen officij, & dignitatis, non reſpectu chara-
cteris, hinc eſt, ut ſeptem ordinibus duo addantur, ut ſint nouem.

24 Ad tertium, Non valet conſequentia, non eſt facta mentio ab
Apoſtolis, niſi de ſacerdotio, & diaconatu, ergo alii non ſunt ordi-
nes; in illa enim primitiua Eccleſia tempore Apoſtolorum, cum
paruus eſſet numerus fidelium, nec tot miniſtri erant in uſu,nec tot
reperiebantur, ſed paulatim creſcente Eccleſia venit uſus illorum,
quod comprobatur ex eodem argumento, quo Sotus probat diaco-
natum eſſe ordinem,& ſacramentum his verbis: Poſtquam Apoſtoli
fecerunt mentionem de diaconatu, licet Chriſtus non promulgaue-
27 rit,ſed Apoſtoli,certum eſt tamen hoc ab inſtitutione Chriſti habuiſ
ſe. hæc Sot. Vnde non video, cur idem de aliis ordinibus dici non
poſſit, quia licet alios ordines Chriſtus non promulgauerit, ſed Apo-
ſtoli, vel Eccleſia, pro certo tamen habendum eſt ex inſtitutione
Chriſti omnes proceſſiſſe. Nec pugnantia loquitur Mag. ſent. ut re-
præhenditur à Sot. ex quo ſeptem ordines imprimentes characte-
26 rem Magiſter aſſeueret, & poſtmodum fateatur ab Eccleſia mino-
res ordines fuiſſe inſtitutos, quandoquidem illud ſic intelligendum
eſt; quod Eccleſia illorum ordinum uſum recipiendum promulga-
uit, qui ante à Chriſto fuerunt inſtituti, & quod hoc ſentire volue-
rit Magiſter, clariſſime demonſtratur ex eo, quod nititur probare
27 Chriſtum adminiſtraſſe in eius vita cuncta ordinum officia, ac mi-
niſteria, inſtituit ergo promulgando,& uſum recipiendo, quod do-
ctrina Chriſti, eiuſque vita inſtitutum erat,ſicut enim creſcebat Ec-
cleſia, ſic fidelium numerus augebatur, & uſus miniſteriorum fre-
quentabatur; ſic enim defendi poteſt à Sot.argumentationibus, ipſe
vero nullo modo defendi poteſt, quin hoc loco multa pugnantia di-
xerit, quia in art. 3. clare dicit omnes ordines fuiſſe initiatos tem-

pore Apoſtolorũ,quod comprobat auctoritate S, Clementis Papæ,& S.Ignatij, & aliorum,qni fuerunt proximi Apoſtolis,& potiſſimum probat hoc ex can.23.& 24. Apcſtolorum, in quibus fit mentio de ſeptem ordinibus.idem S.Bonau.in 4.diſt.24.art.1.num.67. quod eſt ex ſententia S.Thom.ibid.quomodo igitur ſibi contradicat in art.4. quod Apoſtoli non fecerint mentionem, non poteſt aliquo modo defendi; ex his ſatis conuincitur Sotus de contrarietate; & compro-
28 batur veritas, quod ordines ſunt ſeptem,in quibus omnibns imprimitur character.

28 Ad quartum, Licet ſint ſeptem, tamen tendunt ad unum ſacramentum, & omnes dicuntur ſacramenta, non quod ſint plura, ſed quia unitatem ſacramenti participant omnes tendentes ad unum ſecundum completam rationem.

30 Ad quintum, Solum ſacerdotium eſt ad diſpenſandum,& eſt ſufficiens, & ſic ſecundum vim argumenti unicus deberet eſſe ordo,non ſex,ſed quia non ſolum neceſſaria eſt diſpenſatio, ſed alia miniſteria ſeruientia diſpenſationi, hinc eſt quod præter ſacerdotium ad diſpenſandum, alii ſunt ad coadiuuandum,& ſic tollitur argumentum quod procederet, quando omnes eſſent ad diſpenſandum.

31 Ad ſeptimum, Sub officio lectoratus comprænhenditur pſalmiſta, quia lectio eſt de omui ſcriptura ſacra, & in c. pſalmiſta, ideo vocatur ordo,tum quia continetur ſub ordine lectoratus, tum quia reſpectu nndi officii ordo vocatur, non reſpectu ſacramenti, ut de prima tonſura dicitur.

Ad octauum,Licet Eccleſia magis diſtet, quam Angelica, non propterea indiget pluribus gradibus, cum præcipue ad unum ſit,&
32 Angelica plures, diuerſoſque aſpectus reſpiciat; procedit maior, quando non ad unum tantum, & quando quod minus recedit, plura non habeat obiecta, hinc eſt, quod plures ſunt Angelici ordines, quam eccleſiaſtici.

33 Ad nonum,Illa opinio communiter reprobatur à Theologis, eomodo opinantur Canoniſtæ, qui conſiderant ordines non habita ratione ſacramenti,ſed ratione officii,& dignitatis.

34 Ad decimum, Eſt error Vuiclef hæretici impudentiſſimi, cum nullibi appareat, quinimmo contrarium, quod ſeptuaginta diſcipuli à principio fuerunt diaconi, cuius diaconatus officium Apoſtoli promulgarunt,ut ſuperius dictum eſt.

35 Ad undecimum, Non eſt verum, quod ſacerdotium ſolum attingat ſpiritualem effectum ſacramenti, quia alij quoq. attingunt,

licet

licet ſacerdotium magis complete,cum alii per participationem,& ſic deſtruitur argumentum.

36 Ad duodecimum, Maiores dicuntur ſacri, quia proximiores ſunt fini, & ordini ſacerdotali, minores non dicuntur ſacri, non quod minus ſint ſacri, ſed quia remotiores ſunt a ſacerdotali ordine, ad quem tendunt.

Articulus decimusquintus.

Vtrum minores recte dicantur non ſacri, necne.

S V M M A.

1 *Ordines omnes inter ſe reſpectu gradus, poſſunt dici maiores, & minores, excepto ſacerdotio,& quare num.14.*

2 *Ordines omnes ſunt ſacramenta.*

3 *Ordines omnes ſunt deputati ad diuina officia.*

3 *Deputata ad diuina officia ſunt ſacra,& num.16.*

4 *Ordinibus inferioribus datur poteſtas adminiſtrandi circa altare,& ſacramentum ſacramentorum.*

6 *Ordines minores tendunt ad ſacerdotium,ſicut maiores, ſed differenter. n.16.*

6 *Ordines reſpectu ſacerdotij, ſunt tanquam partes poteſtatiuæ, quæ tendunt ad ſuum totum completum per modum analogiæ, ſec.* S. *Thom.*

7 *Analogica differunt tempore ſecundum prius,& poſterius, non qualitate ſecundum magis, & minus.*

8 *Ordines tam maiores, quam minores dicuntur ſacri, quomodo intelligendum.n.15,& 17.*

9 *Ordines ſacri impediunt matrimonium contrahendum, & dirimunt contractum.*

10 *Sacri illi dicuntur, qui faciunt aliquem actum circa rem conſecratam.*

11 *Ordo eſt ſacramentum perfectionis.*

12 *Sacri ſunt, qui deputati ſunt ad portandum, præparandumque vaſa ſacra propter oblationem ſacrificij.*

13 *Ordinum tres ſunt maiores,& ſacri, & quattuor minores,& non ſacri.*

14 *Ordines dupliciter poſſunt conſiderari.*

15 *Ordines maiores quomodo dicantur ſacri, & minores non ſacri, & quare.*

16 *Ordo, ut poſſit dici ſacer, oportet,ut tangat rem ſacram.*

Quod minores ordines ſacri dici deberent, ſequentibus perſuaderi poteſt rationibus.

1 PRimo, Ordines omnes reſpectiue inter ſe poſſunt dici maiores, & minores,quia diaconatus eſt minor reſpectu presbyteratus

& acolythatus maior reſpectu lectoratus, ergo omnes poſſunt dici maiores, & minores, ergo minus recte dicuntur minores non ſacri.

2 Secundo, Ordines omnes ſunt ſacramenta, ſed ſacramenta ſunt ſacra, ergo omnes ordines ſunt ſacri, ergo non recte.

3 Tertio, Omnes ordines ſunt deputati ad diuina officia, ſed quæ deputantur ad diuina ſunt ſacra, ergo omnes ordines ſunt ſacri, ergo non recte.

4 Quarto, Inferioribus ordinibus datur poteſtas adminiſtrandi circa altare, & ſacramentum, ſicut diacono licet in gradu inferiori, ergo non recte dicuntur minores non ſacri.

5 Quinto, Minores non minus tendunt ad ſacramenta, quam diaconatus, ſed ſacri dicuntur reſpectu ſacramenti, ad quod tendunt, ergo minores ſunt ita ſacri, ſicut maiores.

6 Sexto, Ex ſententia S. Thom. ordines reſpectu ſacerdotii, vel ſacramenti ordinis ſunt tanquam partes poteſtatiuæ, quæ uniuntur, & tendunt ad ſuum totum completum per modum analogiæ, ſed
7 analogica differunt tempore ſecundum prius, vel poſterius, non qualitate ſecundum magis, & minus; ergo licet maiores prius uniantur, non magis ſunt ſacri, quam ſunt minores.

8 Septimo, Eſt text. in c. infamis. 6. q. 1. & in c. nullus 28. q. 1. ubi omnes appellantur ſacri, quod comprobatur auctoritate Franchi in c. 1. de fil. presbyt. in 6. Archid. in c. 1. de temp. ord. Ant. de Butr. in c. veniens de præſcript. in 6.

Quod vero recte dicantur non ſacri, his probatur.

9 Primo, Ordines ſacri impediunt matrimonium contrahendum, & dirimunt contractum c. lectores diſt. 32. ſed minores non ſunt tantæ efficaciæ, quia in minoribus conſtituti poſſunt contrahere matrimonium, ergo non ſacri.

10 Secundo, Illi dicuntur ſacri, qui faciunt aliquem actum circa rem conſecratam, ſed tantum diaconi hoc faciunt, & ſubdiaconi; alii minores nequaquam, ergo recte dicuntur non ſacri.

11 Tertio, Ordo eſt ſacramentum perfectionis, ſed ad ſtatum perfectionis acceditur paulatim per gradus, ergo ſequitur, quod gradus diſtantes ſacri non ſint ſicuti ſunt proximiores.

12 Quarto, Sacri ſunt, qui deputati ſunt ad portandum, præparandumq. vaſa ſacra, propter oblationem ſacrificij, iuxta illud Iſaiæ 52.

Munda-

Mundamini, qui fertis vaſa domini, ſed minores vaſa ſacra non attingunt, ergo non ſacri.

SOLVTIO.

13 VVlgata, & indubitata eſt concluſio, quam omnes profitentur, rationibns pro hac parte deductis, nimirum ordinum tres eſſe maiores, & ſacros, quattuor minores, & non ſacros.

Obiectiones vero pro parte contraria facile refelli poſſunt.

14 Ad primum, & ſextum, Ordines dupliciter conſiderari poſſunt, primo, ut ſunt gradus, & reſpectu alterius, & ſic verum eſt, quod ordines poſſunt dici maiores, & minores, excepto ſacerdotio, ſecundum rationem inferioris, & ſuperioris, ſed non propterea, ergo omnes ſunt ſacri; vel non ſacri, quia ſanctitas ordinis ex actu miniſterii recipitur, & ſic ſecundo modo reſpectu actus adminiſtrationis maiores dicuntur, & ſacri, quia ſacra attingunt, & in ſacris ſe admiſcent, & hoc modo minores non ſunt ſacri.

15 Ad ſecundum, & quintum, Conceditur omnes ordines eſſe ſacros reſpectu uniuſcuiuſque ſuæ ſubſtantiæ, quia omnes ſacramentum participant; ſed maiores duplici modo ſunt ſacri, & reſpectu ſui, & reſpectu materiæ, circa quam habent aliquem actum concernentem rem ſacram, ſed minores licet reſpectu ſui ſint ſacri reſpectu tamen miniſterii, & actus qui nō attingit rē ſacrā, non dicuntur ſacri.

16 Ad tertium, & quartum, Deputata ad diuina officia ſunt ſacra, & ſic ordines omnes, hac ratione ſunt ſacri, ſed hæc inſpectio eſt reſpectu ſui, quia omnes natura ſua ſunt ad diuina officia, ſed quia non omnes deputati ad diuina officia tangunt rem ſacram, ergo non omnes abſolute dici poſſunt ſacri, & ſic bene diſtinguuntur in ſacros, & non ſacros.

17 Ad ſeptimum, Iura de quibus in argumento cum Doctoribus loquuntur de ordinibus inſpecta natura ſui, & ſacramenti, quo omnes participant, hoc enim modo accepta conſideratione de ordine largo modo dicuntur omnes ſacri. late declarat Stephan. de Gaet. in c. ad limina 30.q.1.§.3.num.20.

Articulus decimus ſextus.

Vtrum quis poſſit ordinari ad aliquem ordinem ſuperiorem, ſine ordinatione inferioris, & character unus, alterum de neceſſitate ſupponat, necne.

SVMMA.

1 *Maior eſt conuenientia ordinis ad ordinem, quam ad aliud ſacramentum.*

1 *Ordo ſine baptiſmo recipi non poteſt.*
2 *Ordines ſunt gradus, quibus aſcendimus.*
2 *Aſcenſus poſterioris præſupponit aſcenſum prioris.*
3 Numerus *poſterior præſupponit numerum priorem:*
4 *Ex diuerſis quando unum formaliter inſtituitur, ad illud unum omnia ad inuicem ordinantur.*
2 *Ordinem ſuperiorem ſuſcipere ante inferiorem eſt iure prohibitum.*
6 *Omiſſio alicuius ſubſtantialis ſacramenti facit reiterari ſacramentum.*
6 *Ordinatio ad ſuperiorem ordinem, omiſſo inferiori, non eſt iteranda.*
7 *Non requirens aliquod, ut in aliquo ſubiecto permaneat poteſt ſine illo in eodem permanere.*
8 *Ordinem ſuperiorem recipere, omiſſo inferiori dupliciter intellegi poteſt.*
9 *Ordinis unius character non ſupponit characterem alterius ordinis de neceſſitate, ſed tantum de congruitate. n. 10.*
11 *Ordinatus ad ſuperiorem, omiſſo inferiori, peccat, & eſt ſuſpenſus, licet ordinatio ſit valida.*
12 *Ordinatus per ſaltum ex ſententia multorum ſit irregularis.*

Quod ad ſuperiorem nemo aſcendat, quin inferiorem habeat, & character unus alterum ſupponat hæc faciunt.

1 PRimo, Maior eſt conuenientia ordinis ad ordinem, quam ad aliud ſacramentum, ſed ſi quis non recipit ordinem ſine baptiſmo, ergo fortius non recipit ſuperiorem ſine inferiori.

2 Secundo, Ordines ſunt gradus, quibus aſcendimus, ſed nemo poteſt aſcendere ad poſteriorem, niſi prius aſcenderit priorem, ergo.

3 Tertio, Magis competit ordini hæc neceſſitas, quam numero, qui in ordine eſt natura, ſed poſterior numerus præſupponit priorem, tria enim duo præſupponunt, & duo unum, ergo à fortiori gradus ſuperior ſupponit inferiorem.

4 Quarto, Quando ex diuerſis conſtituitur unum formaliter, tunc non poteſt fieri, niſi ut ad illud unum omnia ad inuicem ordinentur, ſed ex ordinibus fit unum completum, nimirum ſacerdotium, ergo omnes ordines ſunt ad illud; ideſt unus ad inuicem poſt alium.

5 Quinto, Eſt text. in c. ſollicitudo diſt. 52. & c. unic. de cler. per ſalt. prom. ubi prohibetur promotio ad ſuperiorem oidinem, donec quis ſuo tempore inferiorem ſuſceperit.

Quod vero quis poſſit ſine inferiori ordinari, & recipere characterem, hæc faciunt.

6 PRimo, Si omittitur aliquid de neceſſitate ſacramenti reiteratur, ſed ſi quis ordinatur omiſſo inferiori, non reiteratur ordinatio, ergo præcedens non eſt neceſſarium, ut quis ſine ipſo ordinari non poſſit.

7 Secundo, Quando aliquid de ſui natura non requirit aliud in eodem ſubiecto, tunc illud poteſt ſtare omiſſo alio, ſed huiuſmodi ſunt ordines, ut unus de ſui natura non requirat alium in eodem ſubiecto, ergo unus omiſſo alio poteſt ſtare.

SOLVTIO.

8 HAec quęſtio, qua quæritur, utrum quis poſſit ordinari ſine inferiori, dupliciter poteſt intelligi; primo, An ita poſſit, ut de neceſſitate requiratur ſuſceptio inferioris ordinis, necne; ſecundo An requiratur de congruitate; primo modo non eſt dubitandum, quin poſſit quis ordinari, omiſſo medio, & ordine inferiori, quia
9 de neceſſitate ſacramenti non requiritur ordo prior, & hoc modo intelliguntur rationes pro hac parte adductæ, quia omiſſo inferio-
10 ri, quis accipit ſuperiorem, & characterem; ſecundo modo de congruitate, non poteſt quis ordinari, niſi prius fuerit ad inferiores promotus; eſt enim hæc ordinatio (quæ per ſaltum vocatur) prohibita de iure, non de neceſſitate, iuxta deciſionem textus in
11 dicto cap. ſollicitudo, & c. unico. unde ſi quis omiſſo medio ordinaretur, peccaret, & eſſet ſuſpenſus, & ex ſententia multorum incurreret irregularitatem, licet ſuſcipiat ordinem, & characterem, & ordinatio non iteretur, S. Thom. & S. Bonau. in 4. Archid. in d.c. ſollicitudo diſt. 52. Turrecrem. in c. epiſcopus diſt. 27. n. 6. Ang. verb. ordo. 1. n. 16. Silu. verb. Irreg. 1. n. 13. Stephan. de Gaet. in d. c. ad limina. §. 53. n. 123.

Articulus decimusſeptimus.

Vtrum prima tonſura ſit ordo, necne.

SVMMA.

1 *Prima tonſura dicitur ordo ex pluribus legibus, & n. 3. 4. & 5. & quomodo intelligantur, n. 29. 33. & 37.*

2 *Pſal-*

2 *Pſalmiſta cum prima tonſura eſt idem ex multorum ſententia, & quomodo n.36.*
6 *Tonſura eſt ſignum rei ſecundum Mag.ſent.& n.38.*
7 *Eccleſia faciendo aliquid exterius, interius quid ſpirituale deſignat.*
7 *Prima tonſura confertur ab Epiſcopo, ut alij ordines.*
9 *Per ordinem quis cõſtituitur in aliquo dignitatis gradu ſuper populum, quomodo intelligatur.n.40.*
9 *Per primam tonſuram quit fit clericus,& quomodo. num.40.*
10 *Tonſurati gaudent priuilegio ordinatorum.*
10 *Tonſurati percuſſor eſt excommunicatus.*
11 *Prima tonſura confertur certa forma Eccleſia, ut alij ordines, ſed differenter.n.42.*
12 *Clericus tonſuratus poteſt deponi à tonſura, non autem ab ordine, quem non habet.n.43.*
12 *Priuatio ſupponit habitum.*
13 *Tonſura dicitur principium ordinis, quomodo intelligatur n.44.*
13 *Principium alicuius rei, videtur de ſubſtantia illius rei.*
14 *Gradus per quos attingimus ſacerdotium, ordines per participationem dicuntur,& quare.*
15 *Baptiſmus dicitur maximum, & principale ſacramentum,& quare.*
16 *Tonſuratus eſt capax beneficij, & iuriſdictionis,& quare.n.45.*
16 *Ius ſpirituale non cadit in laicum.*
17 *Prima tonſura à iure, & à Theologis, non nominatur inter ordines. & n 21.*
18 *Ordo non confertur, niſi in celebratione miſſa, & certo quodam tempore.n.27.*
18 *Prima tonſura poteſt dari, quandocunque & n.27.*
19 *In ordinis cuiuslibet collatione fit mentio de poteſtate.*
19 *In collatione prima tonſura, non fit mentio de poteſtate aliqua.*
20 *Ordines exercentur per quaſdam determinatas poteſtates.*
20 *Prima tonſura exercetur per ſimplicem deputationem ad illud officium non per aliquam poteſtatem.*
22 *Medium inter unum, & alium ſtatum, non dicitur eſſe in aliquo ſtatu,*
23 *Prima tonſura non eſt ſignum de ſubſtantia clericatus, ſed ſignum quoddam extrinſecum.*
24 *Prima tonſura omiſſio non repetitur ſecundum aliquos.*
25 *Ordo proprie eſt, ubi imprimitur character.*
25 *In prima tonſura non imprimitur character ex communi ſententia.*
26 *Ordo regulariter tantum ab Epiſcopo confertur.*
26 *Prima tonſura poteſt conferri ab alio, quam ab Epiſcopo, & n.39.*
28 *Ordo dupliciter poteſt conſiderari.*
30 *Prima tonſura proprie dicitur diſpoſitio, & praparatio ad ordines.*

31 Pri-

31 *Prima tonſura eſt ordo abſolute,ſecundum multos Doctores,contra Theologos, ſed utraq. opinio conciliatur.n.32.*
34 *Pſalmiſtatus eſt officium ordini lectoratus annexum,non ordo, & quare n.35.*
36 *Lectoratus officia duo ſunt.*
38 *Sacramentum non eſt ſignum tantum exterius.*
40 *Eſſe ſuperiorem populo, non eſt quid ſubſtantiale clericatus.*
41 *Priuilegia clericorum extenduntur etiam ad non ordinatos.*
44 *Principium eſt duplex.*
45 *Tonſuratus eſt clericus, non autem ordinatus.*

Quod prima tonſura ſit ordo, non deſunt rationes.

1 PRimo,Eſt text. in.c. cum contingat de ætat.& qualit. ordin. ubi per tonſuram confertur ordo,ergo eſt ordo.

2 Secundo, Eſt text. in c. cleros diſt. 21. ubi inter ordines numeratur pſalmiſtatus, ſed pſalmiſta fit per primam tonſuram, ut inquit ibi Gloſſ. quinimmo multi ſentiunt, idem eſſe cum prima tonſura, ergo eſt ordo.

3 Tertio, Eſt text.in c. cum inter vos de ſent. & re iud.ibi præſentatione ad ordines, & tonſuratione, ex quibus ſecundum deductionem Oſt.in ſumm.de ord.ab Epiſc.§.1.videtur colligi primam tonſuram eſſe ordinem.

4 Quarto, Eſt text. in c. ex litteris de tranſact. ibi in clericum tonſuratum.

Quinto, Eſt text.in c. 1.de cler.coning.ibi tonſura cleri,quaſi de ſubſtantia clericatus ſit.

5 Sexto,Eſt text.in c.Abbates.de priu.in 6.ibi tonſuram clericalem.

6 Septimo,Ex ſententia Mag. ſent.tonſura eſt ſignaculum rei ſacræ, nimirum eleuationis ad cæleſtia,ſed hoc eſt ſacramentum,ergo tonſura eſt ſacramentum, & ſic ordo.

7 Octauo, Eccleſia non eſt ſolita aliquid exterius facere, niſi interius quid ſpirituale reſpondeat,ſed ſi Eccleſia tonſuram introducendo, nihil dictę tonſuræ interius reſponderet, faceret id, quod etiam barbari facere poſſent, quod eſt contra conſuetudinem, & auctoritatem eccleſiaſticam, ergo dicendum eſt,quod coronatione tonſuræ interius aliquid efficiatur, & ſic imprimitur character, & ſic eſt ordo.

8 Nono,Si non eſſet ordo,Epiſcopus non traderet tonſuram,ut alios ordines,ſed Epiſcopus confert ut alios,ergo eſt ordo.

9 Deci-

9 Decimo, Per ordinem quis conſtituitur in aliquo gradu dignitatis ſupra populum, ſed per tonſuram quis fit clericus,& ſic ſupra populum, cum remoueatur à populo,& à laicatu,ergo eſt ordo.

10 Vndecimo, Tonſurati gaudent priuilegio ordinatorum, & ſi percutitur, percuſſor cadit in canonem, ſi quis ſuadente diab. Gloſſ. & Abb. in d.c.cum contingat,ergo eſt ordo.

11 Duodecimo, Exigitur certa forma Eccleſiæ in conferendo tonſuram,ut in aliis ordinibus, ergo eſt ordo.

12 Decimo tertio, Clericus tonſuratus poteſt deponi, ergo eſt ordo, alias non eſſet,ut deponeretur.c.Rainutius diſt.81.quia priuatio ſupponit habitum l decem.ff.de verb.oblig.

13 Decimo quarto, Tonſura dicitur principium ordinis,ſed quod eſt principium alicuius rei, videtur eſſe de ſubſtantia illius rei, cuius eſt principium,ergo ſi eſt de ſubſtantia,eſt ordo.

14 Decimo quinto, Sicuti illi gradus,per quos attingimus ſacerdotium, quod eſt quid completum, dicuntur ordines per participationem, cum per eos perueniamus ad ſacerdotium, ita prima tonſura, qua aſcendimus ad alios ordines, dici debet ordo,cum nulla ſit rationis diuerſitas.

15 Decimo ſexto, Sicuti baptiſmus, quia eſt ianua aliorum ſacramentorum,maximum, & principale ſacramentum dicitur, ita & prima tõſura,quia eſt ianua aliorum ordinum, potiſſimum eſt ordo.

16 Decimo ſeptimo, Si prima tonſura non eſſet ordo, tonſuratus non eſſet capax inriſdictionis,& beneficii,cũ ius ſpirituale non cadat in laicum.c.ex litteris de tranſact. ſed conſequens eſt falſum, ergo & antecedens.

Quod vero non ſit ordo,hæ poſſunt afferri rationes.

17 Primo, Eſt text.in c. feriatim diſt. 32. & c. illud diſt. 77. & c. a ſubdiacono diſt. 93. quibus in locis fit mentio de ordinibus,& prima tonſura non nominatur, ergo non eſt ordo.

18 Secundo, Ordo non confertur, niſi in Miſſæ celebratione, ſed prima tonſura poteſt dari quandocunque,ergo non eſt ordo.

9 Tertio, In collatione cuiuslibet ordinis fit mentio de poteſtate, non ſic in prima tonſura,ergo non eſt ordo.

20 Quarto, Ordines exercentur per quaſdam determinatas poteſtates,ſed prima tonſura non exercetur per poteſtatem,ſed per ſimplicem deputationem ad illud officium,ergo non eſt ordo.

21 Quin-

21 Quintò, Secundum Theologos non aſſignantur, niſi ſeptem gradus, ſed prima tonſura non ponitur in aliquo gradu ordinis, ergo non eſt ordo.

22 Sexto, Quod eſt medium inter unum, & alium ſtatum, non dicitur eſſe in aliquo ſtatu, ut nouitiatus eſt medium inter ſæcularem, & religioſum, & catechumenus inter fidelem, & infidelem, ſed prima tonſura videtur medium inter laicalem, & clericalem, ergo non eſt in clericali, ergo non eſt.

23 Septimo, Prima tonſura non eſt de ſubſtantia clericatus, ſed eſt quodam ſignum extrinſecum, 12.q.1.c.duo genera Abb.in c.Ioannes de cler.coniug. ergo non eſt ordo.

24 Octauo, Quando recipitur aliquis ordo omiſſo primo, omiſſus repetitur, ſed omiſſa prima tonſura, non repetitur ex ſententia Inn. ut refert Archid.in c. nullus Epiſcopus, de ætat.& qualit. ergo non eſt ordo.

25 Nono, Ordo proprie eſt, ubi imprimitur character, ſed in prima tonſura ex omnium ſententia, non imprimitur character, Ioann.de Graſſ.in d.c.cleros, n.23.ergo non eſt ordo.

26 Decimo, Ordo regulariter non confertur niſi ab Epiſcopo, ſed prima tonſura ab aliis. Abb. & alii in d. c.cum contingat, ergo non eſt ordo.

27 Vndecimo, Ordo non confertur, niſi certo tempore, ſed prima tonſura confertur quandocunq.ergo non eſt ordo.

SOLVTIO.

28 Ordo dupliciter conſiderari poteſt proprie, & largo modo; proprie eſt ſacramentum, & imprimitur character, & traditur in ſingulis ſpiritualis poteſtas, ut in ſuperioribus articulis ſatis diſcuſſum eſt, & hoc modo prima tonſura non en ordo, & ſic intelliguntur iura, & rationes pro parte negatiua allatæ, quam amplectuntur Theologi, qui abſolute concludunt no eſſe ordinem. Alio
29 modo large loquendo, & quatenus eſt quædam deputatio ad aliquod officium, & quædam aſſociatio, ut ſunt omnes ordlnes religionum, collegiorum, equitum, & hoc modo prima tonſura poteſt
30 dici ordo, quia per illam quis deputatur, & ordinatur ad officium aſſiſtendi in choro, & connumeratur iner perſonas eccleſiaſticas, & magis proprie diceretnr diſpoſitio, ac præparatorium ad ordines, quam ordo, & ſic intelligenda ſunt iura, & rationes, quas pro parte aſ-

te affirmatiua adduximus, & hæc eſt communis reſolutio, tam Theologorum,quam Canoniſtarum, licet non defuerint grauiſſimi viri, qui opinati ſunt abſolute primam tonſuram eſſe ordinem, ut
31 Oſt.in ſumm.de ordin. ab Epiſc.§.1.Franc.& alii in d.c cum contin gat.de ætat.& qualit.ubi Io. And. Butr. Card. Anchar. Abb. & alii, quos congerit Steph.de Gaet.in d.c.ad lim.§.3.n.10. Archid. Gemin. Præpoſ.in c. pſalmiſta diſt.23.Card.in c.dud. de ſepult. Couarr. in c.quia nos de teſt.de commun.teſtatur.Rot.p 9.deciſ.731.n.5. Dec. in c.cum in cunctis.§.cum vero de elect.hæc communis Doctorum ſententia ſic abſolute recepta eſt,contraria communi Theologorum
32 concluſioni, quæ opiniones ſic ad inuicem pugnantes, rediguntur ad concordiam, ut ſuperius declarauimus, quæ declaratio eſt magis communis;ſic enim S.Thom.Pet.de Palud.& Sot.in 4.diſt.24. q. 3.art.1.locis ſupracitat.Turrecrem.in c.clerici diſt. 23. q.2. Archid. in d.c.cleros,& in c.nullus Epiſcopus.de ætat.& qualit.Card. in clement.dudum de ſepult.S.Antonin.in Summ.de ordin.§. 6. de prima tonſura.Ang.Silu.Tab.verb.ordo.Ioann.de Graſſ.in d.c. cleros. Nau. c. 22.de ordin.16.& licet argumenta omnia pro utraq. parte allegata, hac communi declaratione diluantur, nihilominus pro faciliori declarationis huius communis intelligentia, ad obiectiones, quæ pro parte affirmante magis videntur efficaces, reſpondendum eſſe duximus.

33 Ad primum, quartum, & ſextum; Dicitur,quod in illis iuribus prima tonſura vocatur ordo, non proprie ſumpto vocabulo, ſed ſecundo modo.

34 Ad ſecundum, Pſalmiſtatus ſecundum Theologos non eſt ordo, ſed officium annexum ordini lectoratus, qui non ſolum habet officium legendi, vel cantandi pſalmos, ſed quod eſt de ſubſtantia ordinis habet poteſtatem, quam non habet ſimpliciter deputatus ad
35 officium legendi, vel cantandi pſalmos, ut pſalmiſta, qui cum careat ſpirituali poteſtate, & charactere, non dicitur ordo, neq. ſatis eſt officium ſine ſpirituali poteſtate, & ſic declaratur textus in d. c. cleros.neq. huic declarationi videtur obſtare altera cõmunis Theologorum opinio, quod pſalmiſtatus ſit idem, quod prima tonſura;
36 ut Ang. late ver.ordo.Nam lectoratus officia duo ſunt, alterum eſt legendi, alterum cantandi, quæ duo ſunt reuera annexa lectoratui, ſed quia per primam tonſuram,quis deputatur ad officium aſſiſtendi in choro. ubi legitur, & cantatur, hinc eſt, quod ratione loci, ad quem per tonſuram deputatur, confundi ſolet tonſura cum pſal-

miſtatu

miſtatu, ratione vero officii, quod exercetur in choro, dicitur ad lectoratum pertinere, tanquam illi ordini illud officium ſit annexum. S. Iſidor. rationem habuit loci, in quo exercetur dictum officium, qui locus per primam tonſuram deputatur, & non habuit rationem ordinis, cui eſt annexum officium, & ſic poteſt explicari quæſtio, qua quæritur, an prima tonſura ſit idem cum pſalmiſtatu, vel cum lectoratu.

37 Ad tertium, Videtur text. poſſe retorqueri, quia cum ibi dicatur præſentatione ad ordines, & poſtea ſubiungatur tonſuratione videtur fieri differentia inter ordinem, & tonſuram, quia ſi tonſura eſſet ordo, ſatis erat dicere præſentatione ad ordines, in quibus verbis includeretur tonſura, ſed quia non eſt ordo, additum fuit, & tonſuratione.

38 Ad ſeptimum, Negatur ſequela, tonſura eſt ſignum rei ſacræ, ergo eſt ſacramentum ordinis, quia ultra ſignum exterius, neceſſe eſt, ut aliquid interius conferatur, quod non fit in prima tonſura.

39 Ad octauum, Negatur, quod interius ſignatum in prima tonſura ſit ſpiritualis poteſtas, & character, qui eſt de ſubſtantia ordinis, & ob defectum huius ſpiritualis poteſtatis dicitur tonſura, non ordo.

39 Ad nonum, Si Epiſcopus confert, non propterea prohibetur aliis, quin poſſint conferre, ut aperte dicunt Abb. & Doct. in d. c. cum contingat.

40 Ad decimum, Eſſe ſuperiorem populo, non eſt quid ſubſtantiale clericatus, quia illa præeminentia contingit dupliciter; ſpirituali poteſtate, quæ eſt de ſubſtantia ordinis, & deputatione ad aliquod officium, ut in prima tonſura, & licet tonſurati habeantur pro clericis, non propterea dicuntur proprie ratione poteſtatis, ſed officii, & diſpoſitionis; ſic S. Bonau. in 4. diſt. 24. q. 2. in fine.

41 Ad undecimum, Non valet ſequela, gaudet priuilegiis, ergo prima tonſura eſt ordo, quia priuilegia clericorum extenduntur etiam ad non ordinatos, ut ad ſeruientes, ad nouitios, & ad aliquod officium in Eccleſia, vel monaſterio deputatos, ut ſuo loco dicemus.

42 Ad duodecimum, Licet conferatur tonſura certa forma, non ſequitur, ergo eſt ordo, dummodo ex forma non conferatur poteſtas, ut non confertur in prima tonſura.

43 Ad decimumtertium, Deponitur à tonſura, non ab ordine, quem tonſuratus non habet.

44 Ad decimumquartum, quintum, & ſextum, Duplex eſt principium, eſſentiale, & neceſſarium, & hoc modo procedit argumentum,

tum, alterum non neceſſarium, ſed diſpoſitiuum, ut prima tonſura, & hoc modo non ſequitur, quia ſine ipſo poſſunt recipi ordines.

Ad decimumſeptimum, Tonſuratus eſt clericus, ſed non ordinatus in aliquo ordine, ad beneficia ſufficit prima tonſura, quia appropinquatur clericatui, & ordini.

Articulus decimusoctauus.

Vtrum Epiſcopatus ſit ordo, necne.

SVMMA.

1 *Ordines eccleſiaſtica hierarchia ſunt tres.*
2 *Ordo, & confirmatio ab Epiſcopo ſolum diſpenſari poſſunt.*
3 *Poteſtas ſpiritualis in Eccleſia duplex.*
4 *Epiſcopatus à iure vocatur ordo. & n. 5. & 6.*
7 *Virtus pracipua dicitur, qua alias diſpenſat, & regit.*
8 *In Epiſtopis ordinandis maior requiritur ſolemnitas, quam in ſacerdotibus.*
9 *Epiſcopus remuntians epiſcopatui poteſt ordinem conferre, licet ad executionem non tradat.*
10 *Ordo epiſcopalis præſupponit ordinem ſacerdotij.*
11 *Epiſcopalis dignitas confertur in dominicis diebus.*
12 *Ordines omnes ſunt ad ſacramentum Euchariſtia adminiſtrandum.*
13 *Ordines ſunt tantum ſeptem.*
14 *In eodem ordine non reperitur diſparitas dignitatis.*
14 *Epiſcopalis gradus in eodem ordine diſpares habet dignitates.*
15 *Omnis ordo eſt ſacramentum.*
16 *In omni ordine imprimitur character.*
17 *Presbyteri, & Epiſcopi promiſcue appellantur à S. Auguſt. Epiſcopus primus presbyter appellatur.*
18 *Epiſcopatus non eſt alius ordo, quam ſacerdotium, & quare.*
19 *Epiſcopatus ex ſententia Canoniſtarum eſt ordo, quomodo intelligatur n. 23.*
20 *Epiſcopatus ex ſententia Theologorum non eſt ordo, quomodo intelligendum. n. 22.*
21 *Opinio Theologorum, & Canoniſtarum multipliciter conciliatur. n. 24. & 26.*
22 *Ordo dupliciter poteſt conſiderari.*
25 *Epiſcopatus reſpectu identitatis characteris, non poteſt dici ordo, & quare.*
26 *Epiſcopatus poteſt dici ordo, non quatenus eſt diſtinctus à ſacerdotio, ſed quatenus eſt accumulatus cum eo.*

Multa

Multa ſunt, ex quibus probatur Epiſcopatum eſſe ordinem, præcipue ſequentia.

1 PRimo, Ex ſententia S Dionyſij, tres ſunt ordines eccleſiaſticæ hierarchiæ, Epiſcopatus, ſacerdotium, & miniſterium, ergo Epiſcopatus eſt ordo.

2 Secundo, Ordo non eſt aliud, niſi gradus poteſtatis diſpenſandi ſacramenta, ſed Epiſcopus diſpenſat ordinem, & confirmationem, quæ non poſſunt diſpenſari à ſimplici ſacerdote, ergo eſt ordo.

3 Tertio, In Eccleſia non eſt alia poteſtas ſpiritualis, niſi ordinis, & iuriſdictionis, ſed non eſt iuriſdictionis, quia Epiſcopalis poteſtas non committitur, ut iuriſdictio, ergo eſt ordinis.

4 Quarto, Ex ſententia Gratiani diſt. 77. diaconi, presbyteri, & Epiſcopi ſunt ordinandi, ergo ſicuti diaconatus, & presbyteratus eſt ordo, ita, & Epiſcopatus.

5 Quinto, Eſt text. in c. cleros, ubi eſt regiſtrata ſententia S. Iſidori lib. 7. ethym. in illis verbis. Ordo Epiſcoporum quadripartitus eſt. ergo eſt ordo.

6 Sexto, Infinita iura ſcripta leguntur, in quibus Epiſcopos ordinari, & de ordine Epiſcopali fit mentio, ergo ordo; inter alia hæc iura præcipue extant c. 2. & c. Epiſcopus diſt. 22. c. ſi ſeruis diſt 54. c. 1. & 2. diſt. 63. c. non debet. c. non placet. & c. fin. diſt. 65. c. ſi porro diſt. 66. c. fin. diſt. 89. c. diaconos. diſt. 93 c. poſt tranſlationem de renunt. c. ſi Archiepiſcop. de temp. ord. c. ſane de conuerſ. coniug. c. fin. de presb. non bapt. c. 2. de cleric. percuſſ. Auth epiſcopalis ordo. C. de epiſc. & cler. in quibus iuribus, & multis aliis legitur Epiſcopos ordinari, & conſtat ordinem Epiſcopalem reperiri.

7 Septimo, Illa dicitur virtus præcipua, quæ alias diſpenſat, & regit, ſed Epiſcopus diſpenſat alios ordines, ergo Epiſcopalis præcipuus eſt ordo.

8 Octauo, Maior ſollemnitas requiritur in ordinandis Epiſcopis, quam ſacerdotibus, ſed hæc maior ſolemnitas non poteſt eſſe vacua ſignificatione, ergo maioris efficaciæ; ergo ſi ſacerdotium eſt ordo, multo magis Epiſcopatus.

9 Nono, Eſt text. in c. 1. de ordin. ab Epiſcop. ubi ſi Epiſcopus renunciat Epiſcopatui, illumq. alicui aſsignat, nihilominus poteſt conferre ordines, etſi non executionem tradit, quod fieri ab ipſo nullo modo poſſet, niſi expreſſum haberet characterem Epiſcopalis ordinis.

L Quod

Quod vero non ſit ordo, non deſunt argumenta, quibus probetur.

10 Primo, Nullus ordo pendet à præcedenti, ut ſuperius determinatum fuit; de neceſsitate ſacramenti, ſed Epiſcopalis de neceſsitate præſupponit ordinem ſacerdotii. c. ex litteris de exceſſ. prælat. quia ſi non eſt ſacerdos, non poteſt eſſe Epiſcopus, ergo non eſt ordo.

11 Secundo, Maiores ordines non conferuntur, niſi in ſabbato, ſed dignitas Epiſcopalis confertur in Dominicis, ergo non eſt ordo.

12. Tertio, Omnes ordines ſunt ad ſacramentum Eccleſiæ admniſtrandum, ſed non ſic Epiſcopatus, ergo non eſt ordo.

13 Quarto, Septem eſſe ordines ſuperius concluſum fuit, ſed ſi Epiſcopatus eſſet ordo, ultra numerum ſeptenarium, alius adderetur, ergo non eſt ordo.

14 Quinto, In eodem ordine non reperitur diſparitas dignitatis, ſed gradus Epiſcopalis in eodem ordine diſpares habet dignitates, ergo non ordo, ſed dignitas dici debet.

15 Sexto, Omnis ordo eſt ſacramentum, ſed Epiſcopatus non eſt ſacramentum, ergo non eſt ordo.

16 Septimo, In ordinibus imprimitur character, ſed in epiſcopatu non imprimitur character, ergo non eſt ordo.

17 Octauo, Ex ſententia S. Auguſt. qui promiſcue presbyteros, & Epiſcopos appellauit in qq. vet. & noui teſtam. c. 101. & Epiſcopus primus presbyter appellatur; ergo non eſt alius ordo, quam ſacerdotalis, licet ſit alia dignitas, & aliud officium longe præſtantius.

18 Nono, Eſt text. in c. nouo. diſt. 21. ubi S. Petro fuit ſacerdotalis ordo collatus, quando eidem datus fuit Pontificatus, ergo non eſt alius ordo, quia ſi eſſet, ſicuti ſacerdotium ibi dicitur ordo, ſic diceretur Pontificatus.

Decimo, Eſt text. in c. ſicut pro certo de ſimon. & in c. unico in fin. de ſacr. unct. in quibus expreſſe cauetur clericos ordinari, Epiſcopos conſecrari, ergo non eſt ordo.

SOLVTIO.

19 Duæ ſunt opiniones in hoc articulo ex diametro oppoſitæ, & contrariæ. Altera eſt Canoniſtarum, qui concludunt Epiſcopatum eſſe ordinem ex iuribus, & rationibus allatis pro parte affirmatiua.

matiua.Gloſſ.in c.periculoſum de ſent.ex comm.& in c.de his de conſ.diſt.5.Oſt. in ſumm. de ordin.ab Epiſc. §. 1.Io. Andr in c.1.de conſecr. Eccleſ Archid in c.diaconus diſt.93.Butr.in c.unic.de purg. can & in clem.pleriſq. de elect. Franc. in clem.2 de ætat. & qualit. Card.in d.clem.pleriſq.Domin.in d.c,cleros poſt Gloſſ.diſt.21.Abb. & Felin.qui teſtatur de comm.in d. c.ſi pro certo de ſimon.Henric. Boich in c.quoties de purg can. Ang.verb.ordo, qui dicit eſſe communem . Stephan. de Gaet. late congerit in d.c.ad limina §. 3.num. 27.Nau,c.22.de ord.

20 Altera opinio eſt Theologorum , contra communem ſententiam Canoniſtarum , dicunt enim ex argumentis pro parte negatiua adductis Epiſcopatum non eſſe ordinem . ita S. Thom. S. Bonau. Scot. Sot. in 4.locis , & quæſtionibus hanc rem tangentibus . Idem ſentiunt Goffr. Pictau. Alb. Mag. Richardus. S. Anton. Silu. verb.ordo Turrecrem.in d.cleros. Vuald.de ſacram.lib.2.

21 Non defuerunt multi ex grauiſſimis viris, qui nixi fuerunt huiuſmodi inter ſe pugnantes opiniones ad concordiam redigere.

S.Tho.S. Bonau.ſic declarare videtur , conſiderant enim ordinem
22 dupliciter,primo modo quatenus eſt ſacramētum,& hoc modo non eſt ordo Epiſcopatus; non enim ratione ordinis Epiſcopus dicitur maior ſacerdote , & hoc modo conſiderant Theologi , & propterea
23 dicunt non eſſe ordinem , nimirum ſacramentum ; alio modo ordo accipi poteſt pro gradu, in quo quis conſtituitur ratione officii , & dignitatis , & hoc modo eſt ordo, quia habet poteſtatem in actionibus hierarchicis , quam non habet ſacerdos , & in corpore myſtico eccleſiæ Epiſcopus dicitur eſſe in ordine longe ſuperiori, ac præſtantiori ordine ſacerdotali, & hoc modo conſiderantur, atq.intelliguntur ea , quæ afferuntur pro communi opinione Canoniſtarum .
24 Alij vero alio modo conantur difficultatem delere,conſiderāt enim duo , ampliationem,& extenſionem characteris ſacerdotalis in Epiſcopo;nolūt enim Epiſcopo aliquem nouum imprimi characterem, ſed eundem ſacerdotalem extendi,atq.ampliari in Epiſcopo ; unde
25 reſpectu identitatis characteris non poteſt dici ordo , quia non imprimitur nouus character, reſpectu ampliationis, & extenſionis characteris dicitur ordo , non ſimpliciter, ſed ſecundum quid ſcilicet ampliatus , ſic Petrus de Palud. de ſacram. & refert Stephan, de Gaet.loco ſup.cit.& S.Ant.

26 Alij dicunt , & iudicio meo eſt idem . quod ordo Epiſcopalis poteſt dupliciter conſiderari ; primo , quatenus eſt diſtinctus à ſacer-

L 2 dotio,

dotio, & hoc modo non eſt proprie ordo, ſed eſt officium, vel gradus, ſecundo quatenus eſt accumulatus cum ordine ſacerdotali, & hoc modo eſt ordo,& hac ultima declaratione ſatis defenditur opinio Canoniſtarum, neq.eſt,ut reſpondeamus ad argumenta utriuſq. partis, cum diluantur his tribus declarationibus.

Hactenus diſſeruimus de eſſentiali, & ſpecifica qualitate clericorum, ex qua ſatis quæſtionem ſuperiorem explicatam eſſe cenſemus,ex omnibus enim ſuperioribus diſcuſſis articulis clara concluſio, & quæſtionis reſolutio colligi poteſt, nimirum, ut qui ordine eccleſiaſtico caret, clericus dici non poſſit, quia de ſubſtantia, & de neceſſitate clericatus, & ut quis clericus ſit, proprie requiritur ordo eccleſiaſticus, quo à laicis differat, populoq. præſit; unde non immerito loco ſpecificæ differentiæ in definitione noſtra particula illa poſita eſt, ubi diximus, aliquo ordine eccleſiaſtico inſignitus, quia ſi tali ordine quis inſignitus non reperitur, clericus proprie non eſt, licet multi, & qui carent huiuſmodi ornamento ordinis, ratione officii, & dignitatis, ſic habeantur pro clericis, ut clericorum priuilegijs gaudeant.

Quæſtio ſexta.

Tertio loco quærendum remanet de poteſtate, ac de ſollemnitatibus, quibus hoc ſacramentum ordinis confertur, quod conſiderauimus in verbis illis noſtræ definitionis, ubi dictum fuit, legitime inſignitus; qui enim à non habente poteſtatem, neq. in forma Eccleſiæ promouetur, legitime clericatus ordine non dicitur inſignitus, unde parum fuiſſet id ſcire, quod de ſubſtantia clericatus requiritur, niſi de poteſtate, vel de perſonis illam habentibus, nec non de modo, ſollemnitatibuſq. conferendi ordinem notitiam habuerimus, de perſonis in hac ſexta quæſtione agendum eſt; de ſollemnitate inferius quæſtio habebitur.

Quæritur igitur num poteſtatem conferendi ordinem omnes teneant, necne, cuius quæſtionis deciſionem à diſputatione infraſcriptorum articulorum pendere credimus.

Articulus primus.

Vtrum alii, quam Epiſcopi ordines conferre poſsint, necne.

S V M M A.

1 *Baptiſmi ſacramentum eſt ianua aliorum ſacramentorum.*

1 *Baptiſmus poteſt conferri à quocumq. etiam muliere, & quare. n. 37.*

2 Manus

2 *Manus impoſitio ab Epiſcopo, & ab alijs ſacerdotibus, quare adhibeatur, & n.38*
3 *Ordo confertur in traditione materiæ pertinentis ad officium.*
4 *Ordinandi facultatem Papa poteſt alijs, quam Epiſcopis committere, quomodo intelligatur.n.40.*
5 *Cui committitur principale, committitur acceſſorium, quando verum. num.41.*
6 *Sacerdos, plus diſtat à* Diacono*, quam Epiſcopus ab Epiſcopo.*
7 *Impoſitio manuum presbyterorum in* Timotheo*. quid effecerit.n.38.*
8 *Perfectum poteſt in tale, quale ipſum eſt, quomodo intelligatur. n.43.*
8 *Sacerdotij ſtatus eſt perfectus.*
9 *Qui poteſt plus, poteſt & minus, quomodo intelligatur.n.44.*
10 *Pſalmiſtatum poteſt tradere ſacerdos, quomodo intelligatur.n.45.*
11 *Abbates, & Correpiſcopi poſſunt conferre ordines ex priuilegio, non ordinaria poteſtate n.46.*
12 *Epiſcopatui renuntians, non eſt amplius Epiſcopus, quomodo intelligatur.n.47.*
12 *Sacerdotes, ſi olim conferebant ordines, id non ex ordinaria poteſtate, ſed ex commiſſione Papæ faciebant.n.48.*
14 *Cuius eſt prohibere, eſt etiam dare.*
15 *Abbates poſſunt ſui tantū monaſterij monachos ordinare, ex Conc. Trid. & n.29.*
16 *Epiſcopalis poteſtas in* Eccleſia *ſe habet ſicut politica in ciuitate.*
17 *Vaſorum conſecratio pertinet ad ſolum* Epiſcopum.
18 *Ordinis ſacramentum eſt excellentius confirmationis ſacramento.*
19 *Virgines per benedictionem non conſtituuntur in aliqua ſpirituali poteſtate.*
19 *Virgines benedicere eſt ſolius* Epiſcopi.
20 *Ordinandi poteſtas Apoſtolis tantum fuit data, non diſcipulis.*
21 *Tradere aliquid, ut quis poſſit, duo requiruntur.*
21 *Nemo dat, quod non habet.*
22 *Epiſcopus eſt ſponſus* Eccleſiæ.
23 *Cuius eſt Eccleſiam gubernare, eius eſt ordines conſtituere.*
24 *Ordinare eius eſt, cuius eſt iudicare.*
25 *Poteſtas conferendi ordines dupliciter alicui conuenire poteſt.*
26 *Sacerdos ſimplex iure ordinario poteſt conferre primam tonſuram, ex ſententia multorum, & quomodo intelligendum.n. 27.*
26 *Abbates & Cardinales poſſunt iure ordinario conferre minores ordines, ex ſententia multorum & n.28.*
30 *Ordo poteſt conferri à quocumq. ex commiſſione Papæ, ex ſententia aliquorum, quæ communiter reprobatur, & quare.n.31.*
32 *Sacerdotes omnes, & Clerici ordines, quos habent, ex commiſſione Papæ poſ-*

pa poſſunt conferre ſecundum aliquos, quæ ſententia non ſimpliciter recipitur à Doctoribus.
33 *Sacerdotes omnes, & ſoli ex commiſſione Papæ poſſunt ordines minores, & maiores conferre, ex ſententia aliquorum Canoniſtarum.*
34 *Sacerdotes ſoli ex commiſsione Papæ ordines minores tantum conferre poſſunt ex ſententia communi Theologorum, & quare. n. 35. quæ eſt ſecurior. n. 36.*
37 *Baptiſmus eſt ſacramentum neceſsitatis, ordo vero voluntatis.*
38 *Manus impoſitio in ordine non requiritur ad imprimendum characterem, ſed ad gratiam obtinendam.*
39 *Archidiaconus materiam ordinis Epiſcopo miniſtrat, ſed non ordinem confert.*
42 *Ad communicandum alijs ſacramenta non ſufficit propinquitas ad illa, ſed requiritur perfectio poteſtatis conferendi.*
43 *Perfectio eſt duplex.*
47 *Epiſcopatus poteſt reſignari quoad officium, non autem quoad poteſtatem.*
49 *Papa poteſt officij exercitium prohibere.*
50 *Papa poteſt ſuſpendere effectum characteris, in delegato tamen.*

Quod alii, & non ſolum Epiſcopi ordines conferre poſsint, ſequentibus ſuaderi poteſt rationibus.

1 PRimò, Sacramentum baptiſmi ianuam aliorum ſacramentorum non ſolum Epiſcopi, & ſacerdotes, quinimmo in caſu neceſsitatis clerici, laici, & mulieres conferunt, ergo idem dicendum videtur de ordine.

2 Secundo, Si per ſolum Epiſcopum traderetur ordo, fruſtra fieret illa manus impoſitio, quæ adhibetur, & ab Epiſcopo, & ab aliis adſtantibus ſacerdotibus, ſed conſequens eſt falſum, quia manus impoſitio non videtur eſſe ſine cauſſa c. presbyter. diſt. 23. ergo & antecedens.

3 Tertio, Ordo tunc confertur, quando fit actus traditionis alicuius materiæ præſentis ad officium, ſed huiuſmodi actus non ſolum fiunt per Epiſcopum, verum etiam per alios, nimirum per Archidiaconum datur ſubdiacono urceolus cum vino, & aqua, & bacile cum mantili, ergo ab alijs, & non ſolum ab Epiſcopis confertur ordo.

4 Quarto, Si ſolus Epiſcopus conferret ordines, hæc ordinandi facultas aliis committi non poſſet, ſed aliis à Papa committitur, nimirum

rum ſacerdotibus, Abbatibus, & Cardinalibus, ergo collatio ordinum non eſt ſolum Epiſcoporum, ſed aliorum.

5 Quinto, Cui committitur principale, committitur acceſſorium, arg. leg. cum princ. ff. de reg. iur. c. acceſſorium eod. in 6. ſed ſacerdoti eſt commiſſum ſacramentum Euchariſtiæ, cui accedit ordo, ut acceſſorium, ergo ſacramentum ordinis eidē commiſſum videtur.

6 Sexto, Plus diſtat ſacerdos à diacono, quam Epiſcopus ab Epiſcopo, ſed Epiſcopus poteſt conſecrare alium Epiſcopum, ergo ſacerdos diaconum ad ſacerdotium promouere poſſe videtur.

7 Septimo, Facit illud Apoſtoli. 1. ad Timoth 4. ubi dicitur: Noli negligere gratiam, quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum presbyteri, ſed ibi intelligitur de Epiſcopatu, quem Timotheus obtinuit per impoſitionem manuum presbyterorum, ergo ſi presbyter poterat Epiſcopum conſecrare, multo magis poteſt ordinare.

8 Octauo, Quod eſt perfectum, poteſt in tale, quale ipſum eſt, ſed ſtatus ſacerdotii eſt perfectus, ergo ſacerdos poteſt id, quod ipſe eſt, ergo alium ſacerdotem ordinare poterit.

9 Nono, Si ſacerdos poteſt conficere Euchariſtiam, quod eſt plus, ergo ordinem conferre, quod eſt minus, arg. text. in Aut. quod magis C. de ſacroſanct. Eccleſ. ergo non ſolum Epiſcopus, ſed alii.

10 Decimo, Pſalmiſtatus eſt ordo c. cleros diſt. 21. ſed illum ſacerdos tradere poteſt c. pſalmiſta diſt. 23. ergo alii, quam Epiſcopus ordines conferre poſſunt.

11 Vndecimo, Abbates, & Correpiſcopi poſſunt conferre primam tonſuram, & ordines c. 1. diſt. 69. c. ſtatuimus de ſuppl. negl. prælat. c. cum contingat de ætat. & qualit. ſed Adbates, & Correpiſcopi non ſunt Epiſcopi, ergo non ſolum Epiſcopi ſed alii poſſunt cōferre.

12 Duodecimo, Qui renunciat Epiſcopatui, à ſe Epiſcopatum abdicat, & ſic non habens amplius Epiſcopatum, Epiſcopus non eſt amplius, ſed ſic renuntians poteſt ordines conferre. c. requiſiuit. extr. de renunt. c. 1. §. 2. de ord ab Epiſc. ergo alii, qui non ſunt Epiſcopi poſſunt ordines conferre.

13 Decimo tertio, Olim Epiſcopi, & presbyteri indifferenter ordines conferebant. Abb. in c. quanto de conſuet. ſed quod olim licebat, hodie videtur licere, præcipue de commiſſione Papæ, ergo.

Decimo quarto, Papa poteſt per legem Epiſcopis collationem ordinis prohibere, & ſi contra prohibitionem aliquid attentaretur,

14 nihil fieret Doct. in d. c. quanto. de conſuet. ſed cuius eſt prohibere,

eſt etiam dare, ergo poteſt committi ordinis collatio non ſolum Epiſcopis, quinimmo dubitatur an laico committi poſſit. Abb. ibidem.

15 Decimo quinto, Conc. Trident.ſeſſ.23.c.10. prohibet Abbatibus ne conferant ordines, niſi monachis ſui monaſterii, ergo & alii, qui non ſunt Epiſcopi.

Quod vero ſolus Epiſcopus, & non alii, his probari poteſt.

16 PRimo, Poteſtas Epiſcopalis in Eccleſia ſe habet, ſicut politica in ciuitate, ſed politica diſtribuit officia ſingulis artibus, & legem conſtituit, ut quid ſupremum inferioribus. Ariſt. 1. Ethic. ergo ſolus Epiſcopus, tanquam in Eccleſia ſuperior habet.

17 Secundo, Nobiliori modo applicantur miniſtri diuino cultui per ordines, quam per vaſa ſacra; ſed conſecratio vaſorum pertinet ad ſolum Epiſcopum, ergo & ordinatio.

18 Tertio, Sacramentum ordinis eſt excellentius ſacramento confirmationis, ſed ſolum Epiſcopus poteſt confirmare, ergo à fortiori ſolus poteſt ordinare.

19 Quarto, Virgines per benedictionem non conſtituuntur in aliquo gradu poteſtatis ſpiritualis, ſed benedicere virgines eſt ſolius Epiſcopi, ergo multo magis ordinare.

20 Quinto, Ex inſtitutione Domini, Apoſtoli, quibus ſucceſſerunt Epiſcopi, habuerunt poteſtatem manum imponendi, & conſecrandi, non autem ſeptuaginta diſcipuli, quibus ſucceſſerunt ſacerdotes Act.8. & c.in nouo teſtamento diſt.21. ergo ſoli Epiſcopi.

21 Sexto, Duo requiruntur, ut quis poſſit tradere aliquid; primum ut habeat, quod tradit, cum nemo det, quod non habet; alterum, poteſtas, qua poſſit tradere, ſed ſoli Epiſcopi habent utrumq. nimirum ordinem, & poteſtatem conferendi, alij vero ſolum ordinem, ergo ſoli Epiſcopi, & non alii.

Septimo, Si plures alii poſſunt conferre, plures ordinarentur, ſed ex multitudine ordinatorum poſſet confundi ordo, ergo ne ſequatur confuſio, melius eſt, ut Epiſcopi ſoli, & non alii ordinare valeant.

22 Octauo, Epiſcopus eſt ſponſus Eccleſiæ, ſed ordinare eſt generare filios, ergo ad Epiſcopos, tanquam ſponſos, non ad alios pertinet ordinatio.

Nono, Eſt text. in c.cleros diſt.21. ibi omnes eccleſiaſticos ordines diſponit, & loquitur de Epiſcopo.

23 Decimo, Cuius eſt, Eccleſiam gubernare, eius eſt ordines conſtituere

ſtituere, ſed Epiſcopus gubernat Eccleſiam, non alii, ergo ipſe ſolus poteſt ordinare, non alii.

24 Vndecimo, Cuius eſt iudicare, eius eſt ordinare c. nullus de paroch. ſed ſolus Epiſcopus iudicat, & non alii, ergo ipſe ſolus poteſt ordinare.

SOLVTIO.

25 Poteſtas ordines conferendi, dupliciter alicui conuenire poteſt; primo, ex poteſtate ordinaria; ſecundo, ex generali, vel ſpeciali conceſsione; primo modo conſiderando plures reperiuntur opiniones.

26 Prima opinio, Eſt illorum qui credunt iure ordinario ſimplicem ſacerdotem poſſe primam tonſuram conferre, cui ſententiæ adſtipulati ſunt Gloſſ. Hug. Rain. Ioann. Inn. Oſt. in c. cum contingat de ætat. & qualit, Archid. in c. nullus de temp. ord. in 6. ubi Doctores dicunt, quod Abbates iure ordinario, & Cardinales de conſuetudine, non ſolum primam tonſuram, ſed alios minores ordines poſſunt confer-

27 re, quod intelligendum eſſe de ſacerdotibus curam habentibus, quoad ſubditos, & non quoad alios, dicit Abb. in d. c. quanto de conſuet. Henr. Boich in d. c. cum contingat; quæ opinio quibuſdam rationibus fulcitur, quas adduximus ad probandum, quod alii, quam Epiſcopi hanc conferendi habeant poteſtatem.

28 Secunda opinio, Eſt impugnantium primam relatam opinionem, dicunt enim uſum Eccleſiæ eſſe contrarium, voluntq. primam opinionem habere locum tantum in Abbatibus, & Cardinalibus circa collationem minorum ordinum, Goffred. Bart. Brix. Laur. & alii, quos refert Henr. Boich in d. c. cum contingat. Ang. & Silu. verb. ordo; à qua opinione non abhorret Sot. in 4. loco ſuperius relato.

29 Tertia opinio, Eſt illorum, qui ſentiunt Abbates habere collationem minorum ordinum non iure ordinario, ſed ex priuilegio, & non quoad omnes, ſed quoad monachos ſui monaſterii; hanc opinionem ſequitur Abb. in d. c. quanto, cui ſentẽtiæ adſtipulari videtur Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 10. ubi Abbatibus prohibetur hæc collatio, & tantum permittitur quoad monachos ſui monaſterii.

Secundo modo conſiderando, nimirum, quando ex commiſsione generali, vel ſpeciali, tunc ſunt plures opiniones.

30 Prima, Eſt illorum, qui temere dixerunt, omnes ex commiſsione Papæ poſſe, quoſcumq. ordines conferre, ſiue ille ſit Abbas, ſiue

ſit

ſit ſacerdos ſimplex, ſiue clericus, ſiue etiam laicus, ſiue committatur habenti, vel non habenti eundem ordinem, quæ opinio communiter reprobatur, ut de communi teſtatur Abb. in d. c. quanto, & refert Compoſtell. ibid. Ang. & Silu. locis ſuperius
31 commemoratis. Et eſt duplex ratio, una, quia nemo dat quod non habet, neq. committitur poteſtas ordinis, ſed poteſtas iurisdictionis, & conferendi, unde non habens ordinem eſt incapax delegationis effectus; altera eſt, quia ſic ſtatus uniuerſalis Eccleſiæ perturbaretur, quod non eſt tolerandum.

32 Secunda opinio, Eſt illorum, qui volunt ex commiſſione Papæ omnes clericos, ne dum ſacerdotes, ordines, quos habent, poſſe conferre, ut ſacerdos ſacerdotium, diaconus diaconatum, & ſic de ſingulis. Hanc opinionem ſequitur Gloſſ. in d.c. quanto, & ibidem Hugo. refert ibi Abb. & Henric. Boich, ſed hanc opinionem Doctores non ſic ſimpliciter, & indiſtincte amplectuntur.

33 Tertia opinio, Eſt magis communis, quod omnes ſacerdotes de commiſſione Papæ poſſunt omnes ordines, nedum minores, ſed etiam ſacros conferre, & non alii, qui non ſunt ſacerdotes. Inn. Oſt. Abb. & alii magis communiter in d.c. quanto, & in c. peruenit. diſt. 95. refert Henric. Boich in d.c. quanto.

34 Quarta eſt opinio communis Theologorum, qui aſſerunt ſacerdotem ex commiſſione Papæ, non poſſe conferre, niſi minores ordines, ſacros vero, & maiores nullo modo poſſe, etiam ex commiſſione Papæ, & ſic Theologi, quoad minores adhærent communi Canoniſtarum opinioni, quo ad maiores vero diſſentiunt, & ratio eſt, quia Theologi non admittunt commmunem illam Doctorum ſententiam, quia maiores immediate ſunt ad confectionem Euchariſtiæ, quam poteſtatem non habet homo, cum de iure diuino ſit, & ex inſtitutione Dominica, tum quia ordinandi facultas fuit tradita à Domino ſuis Apoſtolis, quibus ſucceſſerunt Epiſcopi; hanc opinionem defendit S. Thom. contra communem Canoniſtarum, quem ſequitur S. Bonau. Turrecrem. in c. pſalmiſta diſt. 23. Sot. Petr. de Pa-
36 lud. locis ſupra relatis. Silu. Henric. Boich dicunt hanc opinionem ſecuriorem eſſe, ſed communem Canoniſtarum probabiliorem.

Ego vero Theologorum ſequor opinionem, ut tutiorem, quæ ut clarior appareat, conabor diluere iura, & argumenta, quibus Canoniſtarum communis fulcitur.

37 Ad primum, Sacramentum baptiſmi eſt neceſsitatis, ideo permittitur omnibus, etiam laicis in caſu neceſsitatis, ſecus eſt in ſacramento

cramento ordinis, quod eſt voluntatis, & non videtur poſſe dari caſus neceſsitatis.

38 Ad ſecundum, & ſeptimum, Manus impoſitio non requiritur ad imprimendum characterem, ſed ad obtinendam gratiam, qua ordinandus poſsit digne conſequi poteſtatem, vel exequi officium ſuum, & illa manus impoſi io dicitur potius imploratio, quia actus ille multitudine implorantium, & interceſſorum indiget.

39. Ad tertium, Archidiaconus eſt princeps miniſterii in officio, & in munere Epiſcopali miniſtrat, ſed non confert, Epiſcopus vero, cui per Archidiaconum miniſtratur, eſt miniſter ſacramenti ordinis, qui prolatione verborum, uti forma confertur.

40 Ad quartum, De plenitudine poteſtatis, poteſt Papa committere officium Epiſcopale ſacerdoti tantum, & reſpectu minorum ſecundum opinionem S.Thom. quem communiter ſequuntur Theologi, & tunc non dicuntur conferre ex perſona ſua, ſed ex perſona delegantis Papæ. c. ſane. de off. deleg. l. 1. ff. de off. eius cui mand. eſt iur. & ſic non tanquam ſacerdos, ſed tanquam delegatus à Papa.

41 Ad quintum, Argumentum de acceſſorio ad principale, tunc valet, quando eſt eadem ratio, ſecus quando eſt diuerſa, ut in caſu; ſacramentum enim Euchariſtiæ, licet præcipuum, tamen neminem in officio collocat, ut ordo, & ſic diuerſa ratio.

42 Ad ſextum, Ad communicandum non ſufficit propinquitas, ſed requiritur perfectio poteſtatis conferendi, non enim minor, vel maior diſtantia eſt cauſſa poteſtatis conferendi, ſed perfectio ipſius poteſtatis; in ſacerdote licet ſit completa poteſtas ordinis circa confectionem Euchariſtiæ, tamen ipſe caret poteſtate conferendi ordinem, & hoc reſpectu in ipſo non reperitur poteſtatis perfectio, ut in Epiſcopo.

43 Ad octauum, Duplex eſt perfectio ex ſententia S. Bonau. altera ſufficientiæ, altera redundantiæ; perfectio redundans facit ſibi ſimilem, non illa ſufficientiæ; ſacerdos habet tantum perfectionem ſufficientiæ, non redundantiæ, quæ eſt in Epiſcopo.

44 Ad nonum, Argumentum non procedit, quando minus non continetur ſub maiori, hoc enim modo, qui poteſt plus, non poteſt minus, ad not. in §. præterea, ſi quis generaliter. de act. Din. in d. reg. plus. de reg. iur. Card. in c. ne Romani. de elect. late congerit Euer. arg. à minori ad maius. n. 4. ſed ordo non continetur ſub ſacramento Euchariſtiæ; ergo qui poteſt unum non poteſt alird.

45 Ad decimum, Negatur, quod pſalmiſtatus ſit ordo, ut ſuperius

ſatis

ſatis demonſtrauimus, ſed eſto; text. enim in c.cum contingat non dicit, quod ſacerdos poſſit conferre, ſed eius iuſſu pſalmiſta iam ordinatus officium in Eccleſia ſuſcipere.

46 Ad undecimum, & decimumquintum, Cardinales, & Abbates non habent poteſtatem ordinariam, & iure proprio conferendi minores ordines, ſed ex priuilegio, & ex quadam generali conſuetudine, ſic Doctores intelligunt illa iura, refert, & ſentit Abb. in d.c. quanto.n.9 verſ. ibi, plus mihi placet, quod habeat ex priuilegio.

47 Ad duodecimum, Epiſcopatus poteſt reſignari quoad officium, & exercitium, non autem quoad poteſtatem epiſcopalem, quæ acquiritur indelebiliter in conſecratione, per ampliationem characteris ſacerdotalis, hinc eſt, quod de facto poteſt ordinare, ſed male, ſine licentia Epiſcopi, vel Papæ, ordinati tamen ab illo recipiunt characterem. Sot.in 4.locis ſup. relatis.Ang. & Silu.verb.ordo.

48 Ad decimumtertium, Sunt nonnulli ex grauiſſimis Theologis, qui contra Abb.ſentiunt poteſtatem conferendi reſediſſe penes Apoſtolos ex inſtitutione diuina, non autem penes ſeptuaginta diſcipulos. S.Bonau.Sot.Turrecrem.in d.c.Pſalmiſta diſt.23.ſed quidquid ſit. ſi ſacerdotes tunc poterant, ex commiſſione S. Petri Apoſtolorum Principis non ex ordinaria poteſtate.

49 Ad decimumquartum, Papa poteſt prohibere officii exercitium, ſed num poſſit ſuſpendre effectum characteris, eſt maxima quæſtio inter Doctores in d.c.quanto, qua de re quærere, & diſputare non eſt
50 hic locus. Reſolutio communis eſt, quod ſententia illorum, qui tenent Papam illud efficere poſſe habeat locum in delegato, cuius delegatione ſublata, vel per prohibitionem, vel per conſtitutionem impedita, quidquid ſit poſtmodum, nihil fieri aſſeritur, ſic Henr.Boich d.c.quanto.& alii.

Articulus ſecundus.

Vtrum ſi hæretici, ſchiſmatici, excommunicati, & alii quouis modo ab Eccleſia ſeparati in forma Eccleſiæ ordinando ordinem conferant, necne.

1 Ordinationes ab hæreticis factæ ſunt irritæ, & iterandæ, & n. 2. & 3. & quomodo intelligatur, n.34. 35. & 36.
3 Qui nihil habet, nihil dare poteſt.
4 Permiſſio alicuius mali, ſit ad euitandum maius malum.
4 Ordinandus potius debet permittere ſe excommunicari, quam ab hæretico,

tico, & excommunicato, etiam occulto ordinari.

5 *Simoniaci non poſſunt ordinare, quomodo intelligatur. n.38.*

6 *Plus eſt dare ordines, quam abſoluere, & ligare.*

6 *Hæretici non poſſunt abſoluere, & quare. n.39.*

7 *Sacerdos ab Eccleſia ſeparatus poteſt de facto conficere ſacramentum.*

7 *Epiſcopus in ſua promotione, non recipit nouum characterem, ſed ampliatum. n.40.*

8 *Expulſus ab aliqua communitate, non poteſt illius officia diſponere, quomodo intelligatur. n.41.*

9 *Sacramenta habent efficaciam ex paſſione Chriſti Domini.*

9 *Hæretici non perſeuerant adhærendo paſſioni Chriſti, quoad ſe, ſed ſic quoad formam. n.42.*

10 *In ordinis collatione requiritur benedictio.*

10 *Hæreticus benedicendo, non benedicit, quomodo intelligatur. n.43.*

11 *Qui dignitatem amittit, dignitatem dare non poteſt.*

12 *Poteſtas inferior nihil poteſt agere ſine continuatione cum ſuperiori.*

12 *Plenitudo poteſtatis eſt in ſummo Pontifice.*

13 *Ordinati ab hæreticis non cenſentur ordinati in forma Eccleſiæ, quomodo intelligatur. n.46.*

14 *Miniſtri macula non poteſt lædere ſacramenta.*

15 *Sacerdotis malitia non impedit quominus ſacramentum adminiſtratum non ſit ſacramentum.*

16 *Excommunicatus non eſt priuatus collatione ſacramentorum, licet illorum participatione ſit priuatus.*

17 *Ordinati ab hæreticis redeuntes ad Eccleſiam remanent in ſuis ordinibus.*

18 *Lapſus in hæreſim non tollit poteſtatem.*

19 *Poteſtas conferendi ordinem, maior eſt, quam poteſtas ordinum.*

19 *Ordinum poteſtas non amittitur propter hæreſim.*

20 *Baptizandi poteſtas non amittitur propter hæreſim.*

21 *Datum cum aliqua conſecratione tamdiu durat, quamdiu durat ipſa conſecratio.*

21 *Epiſcopalis poteſtas datur cum conſecratione.*

22 *Epiſcopus ſe habet ad ordinandum, ſicut ſacerdos ad conficiendum.*

23 *Character imprimitur omnibus, tam malis, quam bonis.*

24 *Ordinatio dupliciter conſideratur.*

25 *Hæretici ordinantes citra formam Eccleſiæ nullum conferunt ordinem ex communi Theologorum, & Canoniſtarum ſententia.*

26 *Epiſcopi ſecundum aliquos recedentes ab Eccleſia nullam ordinis conferendi poteſtatem habent, quæ opinio reprobatur.*

27 *Epiſcopi ſecundum aliquos, ordinati in Eccleſia catholica, à catholico, ſi in hæreſim labantur, retinent facultatem ordinandi, ſecus ſi*

ſi ab

Digitized by Google

ſi ab hæretico, quæ opinio reijcitur.

28 *Hæretici, & ab Eccleſia præciſi, ſecundum alios, poſſunt conferre ſacramentum, & effectum gratiæ ſacramenti, quæ opinio etiam reſpuitur*

29 *Hæretici, & ab Eccleſia præciſi, vera ſacramenta conferunt, licet gratiam conferre nequeant, ex communi ſententia, & quare.*

30 *Schiſmatici dupliciter conſiderantur.*

31 *Schiſmatici proprie ſumpti poſſunt conferre ordines, quoad habitum, & quoad actum executionis, dum ſunt occulti.*

32 *Schiſmatici large ſumpti poſſunt conferre ordines quoad characterem, & quoad executionem, & quoad gratiam, & quare.*

33 *Ordinati à ſchiſmaticis proprie ſumptis occultis probabiliter ignorantes recipiunt executionem quoad habitum, & quoad actum, licet quoad actum ſuſpendantur, ſi ordinantes ſiunt notorij.*

36 *Reiteratio dupliciter poteſt conſiderari.*

36 *Quod nunquam fuit, reiterari non dicitur.*

37 *Ordinatio hæreticorum dicitur deteſtabilis, ſed eſt valida*

44 *Epiſcopus hæreticus amittit dignitatem, non autem poteſtatem.*

45 *Ordinis executio pendet a plenitudine poteſtatis ſummi Pontificis.*

Quod hæretici, ſchiſmatici, & excommunicati, & alii ordinando, nihil faciant, ex ſequentibus fit probabile.

1 PRimo, Eſt text. in c. unic. de ſchiſm. ubi ordinationes factæ ab hæreticis irritæ ſunt, ac ſi factæ non fuerint, ergo ordinando hæretici, nihil agunt; non enim irritæ eſſent, ſi ordinem vere conferrent.

2 Secundo, Eſt text. in c. 1. & 2. 9. q. 1. ubi ordinatio hæreticorum non eſt vocanda conſecratio, neq. ordinatio, quia carent ordinationis virtute, quinimmo venit reiteranda, & ſic non confertur ordo, neq. imprimitur character, quia ubi fit impreſſio, reiteratio amplius non cadit.

3 Tertio, Eſt text. in c. ſi quis, & c. Daibertum. 1. q. 7. ubi ordinatio hæreticorum reiteratur, & redditur ibi ratio, quia, qui nihil habet, nihil dare poteſt. arg. l nemo. ff. de reg. iur. ergo hæretici non conferunt, cum non habeant conferendi poteſtatem.

4 Quarto, Quando à iure permittitur aliquod malum ad euitandum aliud, quod euitatur eſt maximum, & deteſtabile, ſed permittitur, ut quis potius ſinat ſe excommunicari, quam ab hæretico, & excommunicato ordinari, etiam ſi ille ſit occultus c. inquiſitioni. de ſent. excõm. Oſt. de temp. ord. §. à quo. n. 7. ergo hæreticorum ordinatio

dinatio ab omni iure deteſtabilis, & prohibita eſt, ergo ordinare non poſſunt, & ſi ordinant, pro non ordinato haberi debet.arg.l.2.§. fin.ff.de pœn.l.unic.C. qui pro ſua iuriſd.

5 Quinto, Simoniaci ordinare non debent, cum dare non poſſint, quod non acceperunt. c.1.& ſeqq. 1.q.1. ſed ſimoniaci ſunt hæretici c.eos.1.q.1.ergo hæretici ordinem conferre non poſſunt.

6 Sexto, Plus eſt dare ordines, quam abſoluere, & ligare, ſed hæreticus non poteſt abſoluere, ergo neq. ordinare.

7 Septimo, Ideo ſacerdos ab Eccleſia ſeparatus poteſt de facto conficere ſacramentum, quia habet indelebilem characterem; ſed Epiſcopus non recipit nouum characterem in ſua promotione, ergo nihil habet,ut ordinare valeat.

8 Octauo, Qui expellitur ab aliqua communitate, non poteſt officia communitatis diſponere, ſed ordines dicuntur officia Eccleſiæ, ergo ab Eccleſia expulſi illos conferre non poſſunt.

9 Nono, Sacramenta habent efficaciam ex paſſione Chriſti, ſed hæreticus non perſeuerat adhærendo paſſioni Chriſti, nec per propriam fidem, cum ſit infidelis, nec per fidem Eccleſiæ, à qua eſt ſeparatus, ergo ordinis ſacramentum conferri non poteſt.

10 Decimo, In ordinis collatione requiritur benedictio. 1.q.1. ſed hæreticus non benedicit, cum ſua benedictio vertatur in maledictionem, ut multa congerit Mag. ſent.in 4.diſt.25.ergo hæretici non ordinant.

11 Vndecimo, Qui dignitatem amiſit, dignitatem dare non poteſt, talis eſt hæreticus, ergo dignitatem ordinis dare non poteſt.

12 Duodecimo, Inferior poteſtas nihil agere poteſt ſine continuatione cum ſuperiori, ſed plenitudo poteſtatis, à qua cæteræ poteſtates, eſt in ſummo Pontifice, à quo hæreticus eſt diſiunctus, ergo nihil agere poteſt, quod ad eccleſiaſtica miniſteria pertinet, & ſic neq. ordines conferre.

13 Decimo tertio, Si hæretici poſſent ordines conferre, ſequeretur, quod etiam ordinati ab hæreticis poſſent conferre, ſed hoc non videtur verum, quia ordinati ab hæreticis non cenſentur ordinati in forma Eccleſiæ, cum forma Eccleſiæ ſit, ut quis à Catholico, non ab hæretico ordinetur,ergo.

Quod vero in forma Eccleſiæ ordinans ordinem conferat, & imprimatur character,facile probatur.

14 PRimo, Eſt text. in c. ſecundum.diſt.19. ubi pluribus probatur maculam miniſtri nullo modo lædere poſſe ſacramenta, & inter

ter alia omnia à Iuda adminiſtrata fuiſſe rata conſtat, ergo ſi in forma Eccleſiæ hæretici adminiſtrant, conferunt.

15 Secundo, Eſt text. in c. declarauit. 1. q. 1. ubi malitia ſacerdotis non impedit, quominus ſacramentum adminiſtratum non ſit ſacramentum.

16 Tertio, Eſt text. in c. fin. de cler. excomm. ubi expreſſe dicitur, quod excommunicatus, licet ſit priuatus participatione ſacramentorum, tamen non eſt priuatus collatione.

17 Quarto, Eſt text. in c. maximum cum duobus ſequentibus 1. q. 7. ordinati ab hæreticis, ſi redeunt ad Eccleſiam, remanent in ſuis ordinibus.

Quinto, Eſt text. in c. quod quidam. 1. q. 1. ubi auctoritate S. Auguſt. probatur neminem amittere, quod habuit; unde redeuntium ordines non iterantur.

18 Sexto, Si hæreticus non poſſet conferre ordines, hoc aliunde non procederet, niſi ex amiſſione poteſtatis, ſed lapſus in hæreſim non tollit poteſtatem, cum in conuerſione non iteretur, ergo poteſt conferre.

19 Septimo, Maior eſt poteſtas conferendi ordines, quam poteſtas ordinum, ſed ordinum poteſtas non amittitur propter hæreſim, ergo neq. illa conferendi ordinem, & ſic hæretici poſſunt.

20 Octauo, Baptizandi poteſtas non amittitur propter hæreſim, ergo nec poteſtas conferendi ordinem, cum nulla ſit diuerſitatis ratio inter utramq. reſpectu amiſsionis ex delicto hæreſis.

21 Nono, Quando aliquid cum aliqua conſecratione datur, tamdiu durat, quamdiu durat conſecratio, ſed poteſtas epiſcopalis datur cum conſecratione, ergo ſicut conſecratio tolli non poteſt, ſic poteſtas conferendi, & ſic in quocumq. ſtatu ſemper hæreticus poteſt ordines conferre, cum nunquam ab eo remoueatur poteſtas conferendi.

22 Decimo, Sicut ſe habet ſacerdos ad conficiendum, ita ſe habet Epiſcopus ad ordinandum, ſed ſacerdos lapſus in hæreſim conficit, ſic Epiſcopus hæreticus poteſt ordinare.

23 Vndecimo, In ordine eſt eadem ratio ſuſcipientis, & conferentis, ſed character imprimitur tam malis, quam bonis, ergo pariter dabitur tam à malis, quam à bonis.

S O L V T I O.

24 ORdinatio dupliciter poteſt conſiderari; primo quoad characterem; ſecundo quoad exercitium, & executionem; quoad characterem

racterem, tunc eſt ſubdiſtinguendum; aut hæretici ordinant in for-
25 ma Eccleſiæ, aut citra; ſi citra, tunc abſolute dicendum eſt, nullum ordinem conferri, neq. in tali ordinatione aliquem imprimi characterem, c.detrahe. 1.q.1.& c.1.cum ibi adnot. de baptiſm. omnes tam Theologi, quam Canoniſtæ conſentiunt. Abb.& Doct. in c.1.de ſchiſm.ſi vero in forma Eccleſiæ fit ordinatio, tunc quattuor colliguntur opiniones, quas refert Mag.ſent.in 4.diſt.25.

26 Prima opinio eſt illorum, qui ſentiunt hæreticos habita Epiſcopali unctione, recedentes poſtmodum ab Eccleſia, nullam poteſtatem habere ordines conferendi, licet ab ipſis retineatur ius baptizandi, ſed hæc opinio communiter reprobatur, quia quod conſecratione fit, amitti non poteſt, S.Thom.& S.Bonau.

27 Secunda opinio, eſt dicentium, quod ordinati in Eccleſia catholica à catholico, ſi in hæreſim labantur, retinent facultatem ordinandi, ſed non ordinati ab hæreticis, quos putant nullam habere facultatem, quæ opinio pugnantia continet, admittit enim hæreticos ab Eccleſia ordinatos habere facultatem, ab hæreticis vero nullam habere, quæ inter ſe ſic ſunt pugnantia, ut opinio nullo modo ſtare poſſit.

28 Tertia opinio eſt illorum, qui opinati ſunt, quod hæretici, & ab Eccleſia præciſi poſſunt conferre ſacramentum, & effectum gratiæ ſacramenti; ſed hæc opinio eſt adeo falſa, quam quę falſiſsima, quia excedit terminos; hæretici vere conferunt efficaciam ſacramenti, ſed non effectum gratiæ; ſolummodo enim ordinatus ab hæretico recipit nudum characterem ſine gratia, non ex defectu ſacramenti, ſed ex defectu conferentis hæretici, & ſuſcipientis ab hæretico, quia in hæreſi conferens, & ſuſcipiens in peccato confert, & ſuſcipit, quod peccatum eſt impedimentum, quominus gratia conferatur.

29 Quarta opinio, & ultima eſt communis, vera, & catholica, quod hæretici, quantumuis præciſi ab Eccleſia, vera conferunt ſacramenta, ſed non gratiam, non propter inefficaciam ſacramentorum, ſed propter prohibitionem Eccleſiæ, contra quam facere, peccatum eſt; hanc concluſionem ſequuntur omnes S. Thom. S.Bonau. Sot. in 4. Turrecrem. in c.qui perfectionē 1.q.1. Doctores in c.1. de ſchiſm. & alibi paſsim. Si verò conſiderabimus hanc quæſtionem, quoad exercitium, & executionem, tunc aut loquimur de perſonis ſchiſmaticis largiſsime, ſicut Doctores declarant in rubr. de ſchiſm. & alii ibid. in c.1. aut de ſchiſmaticis, ſtricte, ut ſunt ab Eccleſia præciſi, & maiori excommunicatione irretiti.

31 Schiſmatici, aut ſunt ſtricte, & proprie loquendo, ut hæretici præciſi ab Eccleſia, & ex maiori excommunicati, depoſiti, vel degradati, & tunc, aut quærimus, ſi iſti conferunt quoad habitum executionis, vel quoad actum, quoad habitum conferunt, quia ſuſcipientes ab iſtis ſuſcipiunt in habitu, licet præceptis iuris impeditam habeant manum executionis actualis, ſic Inn. Oſt. in d.c. unico de ſchiſm. Archid. in c. de his, diſt. 5. & ibidem Gloſſa, refert Henr. Boich in d. c. vnico de ſchiſm. quoad actnm, tunc, aut ignoranter ſuſcipitur, aut ſcienter; ſi ignoranter, & ignorantia ſit probabilis, tunc ſunt duæ opiniones; prima eſt Inn. in d.c. unic. de ſchiſm. qui ſentit executionem ordinis conferri; altera eſt Oſt. qui ſentit, quod
32 tamdiu ſuſcipientes habent ordinum executionem, quamdiu hæretici conferentes ſunt occulti, ſed facti notorij, ſuſpenditur executio, donec fuerit diſpenſatum, & hanc opinionem Oſt. tanquam ſecuriorem tenet Abb. ibid. ſi vero ſcienter recipitur, tunc ſuſcipientes non habent executionem, licet characterem habeant, per text. in d.c. unic. de ſchiſm. & ib. Inn. Oſt. Abb. & alij, quos refert Henric. Boich ibid.

33 Aut ſchiſmatici ſunt largiſsime, & minori excommunicati, & tunc licet ſint priuati participatione, non tamen collatione; ſunt enim quoad ſe impediti propter peccatum, ſed poſſunt conferre aliis, & quoad characterem, & quoad executionem, & effectum gratiæ, Abb. in c. 1. de ſchiſm. & c. fin. de cohab. cleric. c. ſi celebret. de cler. min. excomm. ſupereſt, modo ut ad argumenta, quæ pro parte negatiua adduximus, reſpondeamus.

34 Ad primum, Dupliciter reſpondetur, primo, quia in d. c. unico de ſchiſm. dicuntur irritæ ordinationes illæ, quoad executionem, non quoad characterem, ſic Gloſſ. & Inn. ibid. ſecundo dicuntur irritæ, quoad utrumq. quia citra formam Eccleſiæ, ſic Oſt. & Abb.

35 Ad ſecundum, Ideo dicuntur in dictis iuribus ordinationes reiterari, quia non fuerunt factæ in forma Eccleſiæ, unde nihil actum, ut ibid.

36 Ad tertium, Dupliciter conſideratur reiteratio; primo, reſpectu ordinis vere in forma Eccleſiæ collati, & hæc eſt proprie reiteratio, & prohibita omni iure; ſecundo, reſpectu ordinis citra formam Eccleſiæ collati, & hæc improprie dicitur reiteratio, quia quod non fuit, reiterari non dicitur, arg. l. eius qui ff. ſi cert. pet. ſed eſt potius reaſſumptio ordinationis in forma Eccleſiæ faciendæ, & de hac loquuntur dicta iura, ubi dicitur eſſe ordinandum aliquem in eodem

dem ordine, in quo hæreticus ordinauit citra formam Eccleſiæ, nihil agendo.

37 Ad quartum, Eſt deteſtabilis ordinatio hæreticorum, ſed non propterea ſequitur, quod de facto fieri non poſſit, & ſi fit non imprimatur character, licet in hæreſi conferre, & ſuſcipere maximum ſit peccatum.

38 Ad quintum, Simoniaci non poſſunt ordinare de præcepto, ſed ſi de facto ordinant, imprimitur character, nec poſſunt dare, quod non acceperunt, nimirum gratiam, & executionem, ſed nudum characterem, ſicut ipſi ſuſceperunt ita ordinando in forma Eccleſiæ valent conferre.

39 Ad ſextum, Hæretici non poſſunt abſoluere, quia carent iurisdictione, ſine qua nulla eſt abſolutio, ſed non carent poteſtate ordinandi.

40 Ad ſeptimum, Dupliciter reſpondetur; primo ſi non habet Epiſcopus nouum characterem idelebilem, habet tamen poteſtatem fundatam in conſecratione, quæ deleri non poteſt; ſecundo, ſi non habet nouum, habet ſacerdotalem ampliatum, & indelebilem.

41 Ad octauum, Executio ſpectat ad Eccleſiam, quæ illam ſuſpendere, & impedire poteſt; unde expulſus ab Eccleſia non poteſt diſponere circa executionem, ut argumentum ſtringit, nec nos negamus.

42 Ad nonum, Licet hæreticus non perſeueret adhærendo paſſioni Chriſti quoad ſe, perſeuerat tamen quoad formam.

43 Ad decimum, Hæreticus non benedicit quoad effectum gratiæ, ſed benedicit quoad effectum collationis.

44 Ad undecimum, Amittit dignitatem, ſed non poteſtatem, unde primam non confert, cum ſit illa priuatus, aliam confert, cum ſit indelebilis.

45 Ad duodecimum, Executio pendet à plenitudine poteſtatis ſummi Pontificis, ſed non character, ſuper quem Papa non poteſt; hinc eſt, quod diſiunctus à Pontifice non habet executionem, ſed habet, & retinet characterem, & poteſtatem conferendi.

46 Ad decimumtertium, Conſtitutio prohibens, ne quis ſuſcipiat ordines ab hæreticis non continet formam conferendi ordines, quæ requiritur de ſubſtantia ſacramenti, ſed forma dictæ conſtitntionis requiritur de præcepto Eccleſiæ, ita contraueniens non recipit aliquid, quod ad Eccleſiam ſpectat, ut eſt executio, ſed character, qui ad Eccleſiam non ſpectat recipitur, dummodo in forma eccleſiæ

M 2 recipia-

recipiatur, quæ eſt de ſubſtãtia ſacramenti, non de ſubſtãtia præcepti.
Hæc credimus ſufficere pro abſolutione huius ſextæ quæſtionis, in qua demonſtrauimus, quod ſoli Epiſcopi habent hanc conferendi ordines poteſtatem, etiam ſi ſint hæretici; quod ultimum ſic intelligendum eſſe declarauimus, ut in forma Eccleſiæ fiat ordinatio illudq. reſpectu nudi characteris, non executionis procedere probauimus.

Quæſtio ſeptima.

DIſſernimus quæſtione ſexta de perſonis, quæ poſſunt ordinare, nunc in ſeptima hac quæſtione eſt diſputandum de actibus, qui interuenire debent in ordinatione. Quærimus igitur hoc ſeptimo loco, An aliquis reperiatur actus, ſine quo ordo clericalis conferri poſſit, necne. Quæ quæſtio venit explicanda ex conſideratione multarum actionum, quarum aliquæ requiruntur de ſubſtantia collationis, aliquæ de ſollemnitate tantum, aliquæ ſine quibus non poteſt fieri ordinatio, aliquæ ſine quibus non bene fit ordinatio, quæ omnia, ut intelligenti a conſequamur, diſcutiendi ſunt nonnulli articuli iuxta noſtrum inſtitutum.

Articulus primus.

Vtrum benedictio de ſubſtantia ordinationis requiratur, necne.

S V M M A.

1 *Conſecratio non poteſt fieri ſine benedictione.*
2 *Ordinandus conſecratur ſicut veſtes, cum differentia tamen. n 13.*
3 *Ordinis ſacramentum ſanctificat ſuſcipientem.*
3 *Benedictio eſt ad ſanctificandum, quomodo intelligatur. n. 14.*
4 *Benedictio eſt effectus ordinis.*
5 *Cuius eſt effectus, eiuſdem erit cauſſa,*
6 *Actus ſubſtantialis ordinis qui.*
7 *Ordinis ſubſtantiale eſt, quod interuenit circa impreſſionẽ characteris.*
8 *Benedictionem in ordine non conſtat fuiſſe adhibitam.*
9 *Quod eſt de ſubſtantia ordinis ſymbolum habet cum charactere interiori.*
10 *Subſtantiale omiſſum eſt iterandum, alias nihil fieret.*
11 *Benedictio in ſacramento ordinis non eſt de ſubſtantia, ſed tantum de ſollemnitate, ex communi ſententia.*
12 *Benedictio eſt quid præparatorium ordinis, non ſubſtantiale.*

14 San-

14 *Sanctificatio in ordine non procedit à benedictione, ſed à ſacramenti natura.*

15 *Benedictio duplex.*

Benedictio, quod ſit de ſubſtantia, ſic poteſt probari.

1 PRimo, Ordinatio fit quadam conſecratione, ſed conſecratio non fit ſine benedictione, ergo benedictio eſt de ſubſtantia ordinationis.

2 Secundo, Ordinandus conſecratur ſicut veſtes, ſed veſtes conſecrantur benedictione, ergo & ordinandus, & ſic eſt actus ſubſtantialis.

3 Tertio, Ordinis ſacramentum ſanctificat ſuſcipientem, ſed benedictio eſt ad ſanctificandum, ergo benedictio eſt actus ſubſtantialis.

4 Quarto, Benedictio eſt effectus ordinis, Doct. in c. aqua de conſecrat. Eccleſ. & in c. deniq. diſt. 23. & nemo poteſt benedicere, quin ſit

5 benedictus, & ſic effectus benedicendi procedit à benedictione, tanquam à ſua cauſſa, ſed cuius eſt effectus eiuſdem erit cauſſa, ergo ſi benedictio eſt effectns ordinis, eiuſdem erit benedictio, ut cauſſa, & ſic erit actus ſubſtantialis.

Quod vero benedictio non ſit de ſubſtantia, ſed tantum de ſollemnitate, ſic probatur.

6 PRimo, Actus ſubſtantialis ordinis eſt ille, qui ſpectat ad traditionem poteſtatis, quæ eſt de ſubſtantia ordinis, ſed benedictio verſatur circa præparatoria, non circa rem ſubſtantialem, ergo non eſt actus ſubſtantialis, cum præparatoria ſint ad bene eſſe, non ad abſolute eſſe, ſine quo non.

7 Secundo, Illud dicitur ordinis ſubſtantiale, quod interuenit circa impreſſionem characteris, qui eſt quid ſubſtantiale ordinis, ſed benedictio non eſt huiuſmodi, cum ſine benedictione imprimatur character, ergo non eſt ſubſtantiale, ſed potius de ſollemnitate.

8 Tertio, Si benedictio eſſet de ſubſtantia, fuiſſet adhibita in primitiua Eccleſia, ſed tunc id non conſtat, ergo non eſt de ſubſtantia.

9 Quarto, Quod eſt de ſubſtantia ordinis, ſymbolum habet cum charactere interiori, ſed benedictio non dicit aliquam poteſtatem, ſed potius ſanctitatem, ergo non eſt de ſubſtantia.

10 Quinto, Quod eſt de ſubſtantia, ſi omittitur, nihil fit, ſed iteratur, & quod de ſollemnitate eſt ſuppletur. adnot in c. presbyter. de

ſacr, non iter.ſed ſi omittitur benedictio non iteratur, ſed tantum ſuppletur. ergo non eſt de ſubſtantia.

SOLVTIO.

11 NON eſt dubitandum de hac veritate, quod benedictio non eſt de ſubſtantia ordinis, ſed tantum de ſollemnitate, & ad bene eſſe, non ad ſimpliciter eſſe, ſine quo non, ex quo fit, ut ſi omittatur, impleri, non iterari debet, ita omnes tam Theologi, quam Canoniſtę ſentiunt. S. Thom. in 4. diſt. 24.q 3.art.3.S Bonau. ibid.diſt.24.q.4.Turrecrem.in d.c.presbyter.diſt. 25, Inn. Oſt.Abb. Henr.Boich in d.c.presb.de ſacr.non iter.Ang.Silu.Tabien. verb. ordo, & nemo reperitur, qui contradicat.

Obiectiones vero ſic tolluntur.

AD primum, Tunc argumentum procederet, quando benedictio eſſet de ſubſtantia in conſecratione ordinis, ſed hoc eſt de
12 quo quæritur, & dicimus eſſe præparatorium, non quid ſubſtantiale, & conſecratio fieri poteſt ſine benedictione; ſatis enim ex impreſſione characteris dicitur quis conſecratus.

13 Ad ſecundum, Differt conſecratio ordinis à conſecratione veſtium, hæc enim eſt ad mancipandum, vel dedicandum veſtes diuino cultui, illa vero eſt ad ſpiritualem poteſtatem ſuſceptam exercendam.

14 Ad tertium, Licet benedictio ſit ad ſanctificandum, tamen hoc eſt potius excitando, quam cauſſando, ſed in ordine ſanctificatio non procedit à benedictione, ſed à natura ſacramenti, & à gratia, quæ in illo confertur.

15 Ad quartum, Duplex eſt benedictio, altera hominis, & eſt actus ille exterior benedicendi, altera eſt interior, diuina. & ſpiritualis, quæ confertur in quolibet ſacramento cum gratia; unde licet ab Epiſcopo omittatur in ordinatione benedictio, non propterea dicitur, quin ordinatus ſit benedictus ſuſcipiendo ſacramentum, quod eſt plenum diuina benedictione.

Articulus ſecundus.

Vtrum unctio ſit actus ſubſtantialis, necne.

SVMMA.

1 *Character in ſacramento confirmationis imprimitur in unctione.*

2 *Euchariſtia contrectari non poteſt manibus non conſecratis de congruitate, non de neceſſitate.n.11.*

3 Vnctio

3 *Vnctio eſt ſignum viſibile, ſignum inuiſibile indicans.*
4 *Vnctio dicitur ſacramentum ſecundum Oſt. & quare, & quomodo intelligatur n.12.*
5 *Vnctionis effectus eſt conſumatio matrimonij inter Epiſcopum, & Eccleſiam, & conſecratio Euchariſtiæ per ſacerdotem, quomodo intelligatur n.13.*
6 *Paſſio aliqua quando ineſt ſecundum commune ineſt.*
7 *Qualis eſt cauſſa, talis eſt effectus.*
8 *Subſtantialia alicuius ſacramenti omiſſa debent iterari, ut fiat ſacramentum.*
9 *Vnctio in ſacramento ordinis non eſt de ſubſtantia, ſed de ſollemnitate, & omiſſa debet ſuppleri ex communi omnium ſententia.*
10 *In confirmatione non datur officium operandi ſupra aliquam materiam, ſicut in ordine.*

Vnctio quod requiratur de ſubſtantia, ſequentibus probari poteſt.

1 PRimo, Conſecratio ſacerdotis fit unctione, ſicuti confirmatio, ſed in confirmatione imprimitur character in unctione, ergo in unctione imprimitur in ſacramento ordinis, ergo quid ſubſtantiale.

2 Secundo, Non videtur poſſe contrectari Euchariſtia manibus non conſecratis, ſed manus conſecrantur unctione, ergo unctio eſt actus ſubſtantialis, ſine quo non.

3 Tertio, Vnctio eſt ſignum viſibile, ſignum inuiſibile indicans, nimirum unctionem interiorem ſignificans, quod dicitur ſacramentum. c. unic. de ſacram. unctionis, ſed ſignum hoc exterius eſt tale, ſine quo ſacramentum non eſſet, ergo eſt quid ſubſtantiale.

4 Quarto, Ex ſent. Oſt. in ſumm. de ſacr. unct. Vnctio dicitur ſacramentum, quia eſt ſacramentalis character, ſed character eſt quid ſubſtantiale, ergo unctio eſt ſubſtantialis.

5 Quinto, Effectus unctionis eſt conſummatio matrimonij, inter Epiſcopum, & Eccleſiã, & conſecratio Euchariſtię per ſacerdotem, ſed huiuſmodi ſunt neceſſaria, ergo & unctio, ut cauſſa neceſſaria.

Quod vero non requiratur de ſubſtantia, his probatur.

6 PRimo, Quando aliqua paſſio ineſt, ſecundum commune ineſt ſed commune eſt, ut in omnibus ordinibus imprimatur character, ergo ſi unctione imprimitur, in omnibus fieri debet unctio

M 4 ſed

ſed tantum fit in ſacerdotio, ergo per unctionem non imprimitur, & ſic non eſt quid ſubſtantiale.

7 Secundo, Qualis eſt cauſſa, talis eſt effectus, ſed cum in Epiſcopi conſecratione fiat noua unctio, & tamen non imprimitur nouus character, ergo character non eſt effectus unctionis, & conſequenter non eſt ſubſtantialis.

8 Tertio, Ea, quæ ſunt de ſubſtantia, ſi omittuntur, iterari debent, ut communis habet Doctorum ſententia in c. presb. de ſacr. non iter. ſed ſi omittitur unctio, non reiteratur, ſed ſuppletur. Inn. & Oſt. in c. 1. de ſacr. unct. ergo unctio non eſt ſubſtantialis.

SOLVTIO.

9 Communis opinio, tam Theologorum, quam Canoniſtarum eſt pro hac parte negatiua, nimirum, quod unctio non ſit actus ſubſtantialis, ſed requiritur de ſollemnitate, qui, ſi omittitur, debet ſuppleri, ita S. Thom. S. Bonau. loc. ſupra cit. Inn Abb. Henr. Boich in d. c. presb. de ſacram. non iter. Oſt. in d. c. 1. de ſacr. unct. & in ſumm. ibid. Stephan. de Gaet. in d. c. ad lim. §. 3. n. 40. S. Ant. de ord. Ang. Silu. Tab. verb. ordo. Contra hanc communem opinionem ſolus Vg. dicere audet. refert Turrecrem. in c. præterea diſtinct. 23.

Contraria vero, quæ obiiciuntur, ſic diluuntur.

10 Ad primum, In confirmatione non datur officium operandi ſupra aliquam materiam, ſicut in ordinatione, in qua aliud pro materia requiritur, in quo oſtenditur poteſtas operandi.

11 Ad ſecundum, Conſecratio manuum eſt de congruitate, non de neceſſitate, ut bene, digniuſq. contrectetur Euchariſtia, ideo argumentum corruit.

Ad tertium, Non procedit ſequela, ubi character imprimitur, alio modo, quam per unctionem, ut in ordine; verum eſt tamen in confirmatione, ubi imprimitur mediante unctione.

12 Ad quartum, Num ſit vera hæc interpretatio Oſt. quod ideo unctio ſacramentum dicitur, quia eſt ſacramentalis character, non eſt hic locus; ſed eſto, ſine veritatis præiudicio, ut ita ſit, nihilominus eſt animaduertendum, ut non procedat, ubi per unctionem non imprimitur, ut ſuperius dictum eſt.

13 Ad quintum, Multa poſſunt eſſe ſine executione, & finali effectu, ut in terminis ordinis; quem quis obtinere poteſt abſq. eo, quod

execu-

executionem habeat, poteſt eſſe ſacerdos, & uti ſuſpenſus, & non conficere Euchariſtiam, executio non eſt neceſſaria ad eſſe alicuius, & ſic corruit argumentum, quod procedit, ubi de neceſſitate ſubſequitur effectus ad poſitionem cauſſæ.

Articulus tertius.

Vtrum manus impoſitio ſit actus ſubſtantialis, necne.

S V M M A.

1 *Presbyter & Diaconus, tunc ordinantur, quando ſuper eorum capita imponuntur manus ab Epiſcopo, & n. 2. quomodo intelligatur. n. 15.*

3 *Diaconi ſeptem ordinati fuerunt ab Apoſtolis per manus impoſitionem.*

4 *Spiritus ſanctus datur per manus impoſitionem.*

5 *Ordinandi formam tempore Apoſtolorum legitur ſolam fuiſſe manus impoſitionem, per traditionem tamen hoc habetur, & alia. n. 16.*

6 *Diaconus dicitur miniſter per excellentiam. & n. 18.*

6 *Manus dicitur organum organorum.*

7 *Manus impoſitio duplex conſecratoria, & ordinatoria, quomodo intelligatur. n. 19.*

8 *Manus impoſitio in duobus tantum ordinibus fit.*

9 *Ordo confertur, quando imprimitur character.*

10 *Manus impoſitio omiſſa non debet iterari, ſed ſuppleri, ex communi.*

11 *Per manus impoſitionem, ſecundum aliquos, traditur tantum poteſtas ligandi, & ſoluendi, & per traditionem calicis poteſtas conficiendi ſacramentum, quæ opinio reprobatur.*

12 *Character in diaconatu imprimitur per manus impoſitionem ſecundum aliquos, quæ ſententia communiter reijcitur.*

13 *Per manus impoſitionem confertur poteſtas ſoluẽdi, tanquam per actum ſecundarium, non principalem, qui eſt traditio materiæ, quæ opinio reprobatur.*

14 *Manus impoſitio eſt tantum ſollemnitas Eccleſiæ, declaratoria poteſtatis abſoluendi ſacerdoti collata, ſimul, & ſemel per traditionem calicis ex communi ſententia, & quare ſit adhibita.*

17 *Poteſtas abſoluendi, & conficiendi ſacramentum, quando data fuit Apoſtolis.*

19 *Actus ordinatorius dupliciter conſideratur.*

Quod manus impoſitio ſit actus ſubſtantialis, ſequentibus demonſtrari poteſt.

1 PRimo, Eſt text. in c. presb. diſt. 25. ubi dicitur, quod tunc ordinatur ſacerdos, quando ſuper eius caput ab Epiſcopo, & presbyteris

ſbyteris præſentibus imponuntur manus, ergo impoſitio manus eſt neceſſaria, ſine qua non ordinatur ſacerdos.

2 Secundo, Eſt text.in c.Diacon.diſt.23.ubi dicitur, quod tunc ordinatur Diaconus, quando ab Epiſcopo ſupra caput eius manus imponitur, & ſic neceſſaria, ſine qua non ordinatur Diaconus.

3 Tertio, Ex ſent. Mag. in 4.diſt.24.Diaconatus tunc celebratus eſt, quando ab Apoſtolis fuerunt electi ſeptem viri pleni gratia, & Spiritu ſancto, ut legitur Act.6. ſed tunc non fiebat ordinatio, niſi per manus impoſitionem, ergo videtur imprimi character in diaconatu per manus impoſitionem.

4 Quarto, Tunc cenſetur data poteſtas à Domino, quando dixit diſcipulis ſuis: Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, &c. Io.20. ſed ſpiritus ſanctus datur per manus impoſitionem, ergo eſt de ſubſtantia.

5 Quinto, Tempore Apoſtolorum non legitur alia forma ordinandi ſacerdotes, quam per manunm impoſitionem. S. Paul. 1. ad Timot.1.Noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi per manuum impoſitionem.& c.5. Manus cito nemini impoſueris.

6 Sexto, Diaconus dicitur miniſter per excellentiam. unde rationi conſonum eſt, ut per manus impoſitionem conferatur poteſtas in Diaconatu, cum manus ſit organum organorum.ſic S.Bonau. in 4.

7 Septimo, Multiplex eſt manus impoſitio, & inter alias duæ ſunt præcipuæ, prima ordinatoria, altera conſecratoria Oſt.in ſumm.de ſacr.non iter.verſ.qualiter.Abb.in c.Paſtoralis.ibid.ſi ordinatoria, ergo ſubſtantialis, per quam ordinantur Clerici.

Quod vero non ſit de ſubſtantia, hoc modo probatur.

PRimo, Si per manus impoſitionem imprimeretur character, ita ut actus imponendi manus eſſet de ſubſtantia, ſequeretur alterum de duobus abſurdis, aut manus impoſitio omnibus ordinibus competeret, aut tantum imprimeretur character in ſacerdotio,
8 & diaconatu, in quibus imponitur manus, ſed utrumq. eſt falſum, cum tantum duobus imponatur, & in omnibus imprimatur, ergo non eſt de ſubſtantia.

9 Secundo, Ordo confertur, quando imprimitur character, quod à ſolo Epiſcopo fit, & ſic ſi per manus impoſitionem daretur, ſolus Epiſcopus imponeret manus, ſed alii aſſiſtentes hoc faciunt, ergo non eſt de ſubſtantia.

10 Ter-

10 Tertio, Eſt communis opinio Doctorum, quod ſi omittitur manus impoſitio non iteratur, ſed ſuppleri debet, ſed quod ſuppletur non dicitur de ſubſtantia, ergo manus impoſitio non eſt ſubſtantialis.

SOLVTIO.

Circa materiam huius articuli plures ſunt opiniones.

11 Prima eſt illorum, qui dicunt per impoſitionem manus ſolummodo tradi poteſtatem ligandi, ac ſoluendi, & per traditionem calicis tribui poteſtatem conficiendi ſacramentum, quaſi diuiſim huiuſmodi poteſtates ex diſiunctis illis duobus actibus tradantur. hanc opinionem refert Abb in c. presb. de ſacr. non iter, quam ſequitur Card. Bellarm. tom. 2. de ord. ſed hanc cõmuniter reprobãt Doct. ut eſt videre Sot. in 4. q. 1. art. 4. verſ. at vero.

12 Secunda eſt illorum, qui opinati ſunt characterem in diaconatu imprimi per manus impoſitionem, quam opinionem videtur ſequi S. Bonau. in 4. Card. Bellarm. ubi ſup. Henr. lib. 10. c. 5. & 6. quæ opinio pariter reiicitur, ut eſt videre Turrecrem. in c. Diacon. diſt. 23.

13 Tertia opinio eſt, quod per manus impoſitionem confertur poteſtas abſoluendi, & eſt quidam actus ſecundarius in ſacerdotio, non principalis; principalis enim eſt calicis traditio, per quem actum imprimitur ſacerdotibus character, quaſi quod manus impoſitio conſequens ſit, & procedat à traditione calicis, & ibi reſideat, ita ut ſi deficit calicis traditio, nihil tradatur per manus impoſitionem, & ſi omittitur manus impoſitio, licet amittatur quid eſſentiale, tamen non reiteratur totum ſacramentum, ſed tantum ſuppletur, ſecus ſi omittitur traditio calicis, cum ſit actus principalis, & totum vitietur; hanc opinionem multi videntur amplecti, ex eo maxime, quod ab ea S. Thom. abhorrere non videtur, hanc ſequuntur Io. Andr. in c. presb. de ſacram. non iter. Pet. de palud. q. 15. refert Stephan. de Gaet. in d. c. ad limina §. 3. n. 33. ſed hæc pariter communiter reprobatur, ut eſt videre Sot. in 4. loc. ſup. cit.

14 Quarta opinio eſt communis, quod per manus impoſitionem nihil conferatur, ſed eſt tantum quædam Eccleſiæ ſollemnitas declaratoria poteſtatis abſoluendi, quæ ſimul, & ſemel ſacerdoti confertur per traditionẽ calicis, & patenæ, cũ poteſtate conficiendi Euchariſtiã; non ita enim cõmode declarari poterat utraq. poteſtas per ſolam calicis, & patenæ traditionem, ſicut utraq. per ſolum illum actum traditionis calicis, & patenæ confertur, hinc factum eſt, ut adhibe-

adhiberetur manus impoſitio, non quod per illam poteſtas abſoluendi iam tradita tradatur, ſed per calicis traditionem tradita declaretur; ſic Sot.declarat in 4.q.1.art.3. & hinc eſt, ut Doctores omnes dicunt eſſe actum de ſollemnitate, non de ſubſtantia. ſic Inn.Oſt. Io.Andr. Abb.Henr. Boich, & alii magis communiter in d. c. presb. refert Steph.de Gaet.in d.§.3.n.33& ſeqq. Archid.& Turrecrem.in d. c.presb.diſt.23.quos ſequuntur ſummiſtæ.

Ad argumenta vero in contrarium, ſic reſpondetur.

15 AD primum, & ſecundum, Non negatur neceſſitas manus impoſitionis, ſed hæc neceſſitas eſt præcepti, non ſacramenti, ita ut ſi omittatur, reiterari non debeat, quia perfectum eſt ſacramentum, ſed tantum ſuppletur,ut in ordinatione adhibeatur ſollemnitas eccleſiæ, ſic procedit text.in d.c.presbyter.

Ad tertium, & quintum, Licet nullibi legatur in ſacra ſcriptura Apoſtolos nulla alia uſos fuiſſe forma,excepta manus impoſitione, nihilominus non licet dubitare, quin formam tradendi calicem, quam Eccleſia ab Apoſtolis habuit,à Chriſto domino edocti fuerint, non enim omnia, quæ fiunt ſcribuntur, ut legi poſſint, ſatis eſt, ut de his doctrina tradatur, & uſus relinquatur.

17 Ad quartum, Illa verba: Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis &c. non tribuunt aliquam nouam poteſtatem, ſed primam, iam collatam ante paſſionem, quando dixit: Quotieſcunq. hoc feceritis, data fuit utraq poteſtas, quæ, cum tunc per illam formam non commode explicaretur, addita fuit declaratio, mediante manus impoſitione.

18 Ad ſextum, Maximum miniſterium eſt Diaconatus, ita ut per excellentiam Diaconus recte miniſter vocetur, ſed non ſequitur,ergo per impoſitionem manus imprimitur character, quaſi per illam declaretur excellentia miniſterii, quia actus declaratorius differt ab ordinatorio; aliud eſt declarare, aliud efficere, & conferre; admittimus per manus impoſitionem excellentiam magiſterii declarari,negamus vero per eundem actum poteſtatem ordinis conferri.

19 Ad ſeptimum, Ordinatorius actus dupliciter conſiderari poteſt, aut ordinatorius, quia confertur ordo,& hoc modo non dicitur manus impoſitio ordinatoria, quia per illam nullus confertur ordo.

Alio modo, quia de præcepto Eccleſiæ in ordinatione adhibetur ad aliquid declarandum,& tunc licet proprie declaratorius dici debeat.

beat, tamen quia eſt ſollemnitas requiſita in ordinatione, non immerito ordinatorius appellari poteſt, quaſi ſollemnitas ordinationis.

Articulus quartus.

Vtrum calicis traditio cum patena ſit actus ſubſtantialis in ordinis ſacramento, nimirum in ſacerdotio, necne.

SVMMA.

1 *Character in ſubdiaconatu imprimitur per traditionem calicis, & quomodo. n. 12.*
2 *Character diſtinguitur diſtinctione formæ, & materiæ.*
3 *Vini, & hoſtia materia eſt proximior Euchariſtia, quam calix, & patena.*
4 *Calicis porrectio ſi ommittatur, debet ſuppleri ſec. Inn. Oſt. & Abb. quomodo declaretur. n. 15.*
5 *Actus ſacerdotis principalis eſt conſecrare corpus Chriſti.*
5 *In traditione calicis traditur poteſtas conſecrandi corpus Chriſti.*
6 *In traditione calicis ſignantur actus ſacerdotij, & ſubdiaconatus.*
7 *Inſtrumentum illud dicitur de ſubſtantia ſacramenti, quod ſpectat ad principaliorem actum ſacramenti.*
8 *Actus in ſacerdotio, quot interueniant.*
9 *Traditio calicis cum vino, & patenæ cum hoſtia eſt de ſubſtantia in ſacerdotio ex Conc. Florent. & n. 14. & ex communi Doctorum ſententia. n. 10.*
11 *Calix cum patena dupliciter porrigitur.*
13 *Materia ordinandi ſacerdotem, differt à materia ordinandi ſubdiaconum.*

Quod calicis traditio non ſit actus ſubſtantialis, ſic demonſtrari poſſet.

PRimo, Si traditio calicis eſſet ſubſtantialis, quo imprimeretur character, ſubdiaconatus eſſet magis conformis ſacerdotio,
1 quam Diaconatus, quia in ſubdiaconatu pariter imprimitur character per traditionem calicis, ſed conſequens eſt falſum, ergo & antecedens.

2 Secundo, Character diſtinguitur diſtinctione formæ, & materiæ, ſed materia non diſtinguitur inter ſacerdotium, & ſubdiaconatum, quia eodem actu traditionis calicis in utroq. imprimitur character, ergo aut in utroq. imprimitur idem character, quod eſt abſurdum dicere,

dicere, aut in traditione calicis non imprimitur, quod eſt aſſumptum, quod probare nitimur.

3 Tertio, Vinum,& hoſtia videntur eſſe de ſollemnitate ſecundum Steph. de Gaet. in d. c. ad lim. §. 3. n. 32. ſed materia panis, & vini eſt proximior Euchariſtiæ, quam calix, & patena, cum ex pane,& vino fiat tranſubſtantiatio, ergo ſi panis, & vinum ſunt de ſollemnitate, multo magis calix, & patena, tanquam remotior, ergo ſi panis non eſt de ſubſtantia, multo minus erit calix.

4 Quarto, Ex ſent. Inn. Oſt. & Abb. in d. c. presb. de ſacr. non iter. porrectio calicis eſt de leuibus, ita ut nonnulli dubitarint, ſi omittatur, debeat ſuppleri necne. licet tutius eſſe ſupplendum dicant præfati Doctores, ſed quod ſuppletur non eſt de ſubſtantia, ergo porrectio calicis non eſt ſubſtantialis

Qnod vero ſit ſubſtantialis, his probatur argumentis.

5 PRimo, Principalis actus ſacerdotis eſt conſecrare corpus Chriſti Domini, ſed in traditione calicis datur hæc poteſtas, ergo in traditione calicis imprimitur character,& ſic eſt actus ſubſtantialis.

6 Secundo, Illa materia eſt de ſubſtantia, in qua ſignatur principalis actus alicuius ordinis, ſed in traditione calicis duo principales actus ſignantur, alter ſacerdotii, alter ſubdiaconatus, ergo traditio calicis eſt ſubſtantialis.

7 Tertio, Illud inſtrumentum dicitur de ſubſtantia ſacramenti, quod ſpectat ad principaliorem actum ſacramenti, ſed traditio calicis ſpectat ad principaliorem actum Euchariſtiæ, cum per huiuſmodi actum quis ordinetur immediate ad conficiendum ſacramentum Euchariſtiæ, ergo traditio calicis eſt ſubſtantialis.

8 Quarto, Quattuor actus principales ex ſententia S. Bonau. interueniunt in ſacerdotio, benedictio, unctio, manus impoſitio, & calicis traditio, ſed tres primi non ſunt actus ſubſtantiales, ſed de ſollemnitate ſecundum omnes in c. presb. de ſacr. non iter. ergo traditio calicis eſt ſubſtantialis, alias perperam diceremus in ſacerdotio deficere actum ſubſtantialem.

9 Quinto, Huius articuli deciſio habetur in Conc. Flor. in decret. Eugenii prope finem, ibi: ſextum ſacramentum eſt ordinis, cuius materia eſt illud, per cuius traditionem confertur ordo, ſicuti presbyteratus confertur per traditionem calicis cum vino, & patenæ cum hoſtia, & ſic non eſt, ut aliquo modo dubitemus.

SOLVTIO.

10 Veritas eſt pro affirmatiua, ſicuti fuit determinatum in d. Conc. à quo nullo pacto eſt recedendum; hanc veritatem omnes Theologi amplectuntur, Alb. Petr. S. Thom. S. Bonau. Scot Durand. Rain. Pet. de Palud S. Ant. Ang. Silu. ſuis locis, & de communi teſtatur teſtatur Sot. in 4. q. 1. art. 3, verſ. at vero. Archid. & Turrecrem. in cap. presb. diſt. 23. dicit etiam eſſe communem Stephan. de Gaet. in d. c. ad lim. §. 3. n. 117. hanc etiam opinionem, ut magis communem ſequuntur Canoniſtæ, licet confundant terminos, & aliquis potius contrariæ ſententiæ adhærere videatur in c. presb. de ſacr. non iter.

Ad argumenta vero in contrarium, ſic reſponderi poteſt.

11 AD primum, Dupliciter porrigitur calix, & patena, primo cum pane, & vino, & talis porrectio fit ſacerdoti, eiq. per ta-
12 lem porrectionem imprimitur character ſecundum omnes; ſecundo porrigitur calix, & patena ſine pane, & vino, & hoc modo porrigitur ſubdiacono, eique per talem vacuam porrectionem imprimitur character; tunc ſequeretur abſurdum, quod ſubdiaconus eſſet proximior quam diaconus, quando non vacue, ſed cum pane, & vino porrigeretur, nec Diacono porrigitur, ut diſtinguatur materia ſacerdotij à materia diaconatus, quæ eſt liber Euangeliorum.

Ad ſecundum, Non eſt verum, quod in utroq. eodem actu im-
13 primatur character, materia enim ordinandi ſacerdotem, differt à materia ordinandi ſubdiaconum; cum hic porrigatur calix vacuus, & patena vacua, ibi calix cum vino, & patena cum hoſtia.

14 Ad tertium, Non eſt verum, quod ex ſententia Steph. de Gaet. proponitur, eſt enim contra Concil. Florent. expreſſe, ubi determinatur poteſtatem presbyteratus tradi in porrectione calicis cum vino, & patenæ cum hoſtia, nec poſſunt verba Concilij tergiuerſari, ita ut omiſſo uno de illis, nimirum hoſtia, vel vino, calice, vel patena totum vitietur, & nihil fiat; unde poteſt, & debet reiterari, ſecundum communem ſententiam in d. c. presb. neq. argumentum c. 2. de pœn. eſt alicuius momenti, quia ibi non ſolum ſubſtantialia, ſed etiam ſollemnia ponuntur, & ſic potius contrarium colligitur, neq. Archid. dixit, quod aſſumitur; unde ex falſo aſſumpto diluitur totum argumentum.

Ad quartum, Non eſt credendum, quod tam præclari Doctores volue-

voluerint calicis porrectionem, & patenæ eſſe de leuibus, & non de ſubſtantialibus, tum quia ipſi expreſſe dicunt, tali porrectione imprimi characterem, & ſic eſſet maxima contradictio, quod in grauiſſimis, & doctiſſimis viris non eſt dicendum, tum quia eſt contra communem doctrinam, & Theologorum, & Canoniſtarum. Vnde pro defenſione tantorum viuorum, exiſtimamus errorem eſſe potius in verbis, quam in ſenſu, namq. reprobant præfati Doctores illorum opinionem, qui dicunt ſufficere porrectionem calicis cum hoſtia, ſine patena, quæ ſi omittatur, non eſſe ſupplendnm, dicunt, tanquam leuis omiſſio; dicunt igitur hanc reprobantes ſententiam, tutius eſſe ſuppleri, quaſi dicere voluiſſent, tutius eſſe iterari; ſic animaduertit Silu. quidquid ſit argumentum, nullius enim momenti eſt, quia eſt fundatum in falſa opinioue, contra communem ſententiam, & contra Concilium Florentinum.

Articulus quintus

Vtrum actua tradendi librum Euangeliorum ſit ſubſtantialis in Diaconi ordinatione, necne.

S V M M A.

1 *Actus ille dicitur in ordinatione ſubſtantialis, qui ſimilitudinem habet ad actum principaliorem, & proximiorem Euchariſtiæ.*
2 *Poteſtas diaconi eſt miniſtrare ſacerdoti in altari immediate.*
3 *Diaconus latine dicitur miniſter.*
4 *Diaconi tempore Apoſtolorum ſine libris Euangeliorum fuerunt ordinati, non tamen ſine aliquibus ſcriptis fidei. n 15.*
5 *Actu, principalis, quando non poteſt exprimi, tunc licet adhiberi actus minus principalis.*
6 *Diaconatus poteſtas, & officium, non poteſt exprimi, niſi porrectione Euangeliorum, & quare.*
7 *Euangeliorum liber non indicat actum proximiorem ſacramento, ſed doctrinam ipſius ſacramenti.*
8 *Actus primarius, quando continetur in ſecundario, uterq. dici poteſt principalis.*
8 *Calicem ferre in ſacramento eſt actus principalis.*
9 *Medium debet habere qualitates medietatis, non extremorum.*
10 *Character in diaconatu imprimitur in traditione libri Euangeliorum ex communi ſententia.*
11 *Actus tradendi Euangeliorum librum eſt ſecundarius in diaconatu.*
12 *Lectoratus officium eſt circa vetus teſtamentum, non nouum.*

12 Au-

12 *Auctoritas legendi Euangelium ſpectat ad diaconum.*
13 *In ordinatione duplex actus interuenire poteſt.*
14 *Manus impoſitio non adhibetur ad exprimendum magiſterium officij, ſed ad exprimendum aduentum Spiritus ſancti.*

Quod actus tradendi librum Euangeliorum non ſit de ſubſtantia, ſequentibus affirmari poteſt.

1 PRimo, Ille actus dicitur ſubſtantialis in ordinatione, qui ſimilitudinem habet ad actum principaliorem, & proximiorem ſacramento Euchariſtiæ, ſed inter alia, quæ in ſuo officio agit Diaconus, eſt portare in calice, & patena ſacramentum, illudq. diſpenſare, quod ait Mag. ſent. in 4. & habetur c. cleros diſt. 21. ergo actus tradendi librum Euangeliorum, cum ſit remotus, nec dicatur actus principalis, non eſt ſubſtantialis, ita ut in ipſo imprimatur character.

2 Secundo, Actus porrigendi librum Euangeliorum videtur potius exprimere poteſtatem Lectoris, quam Diaconi, quæ eſt immediate miniſtrandi Sacerdoti, & altari, ergo non eſt ſubſtantialis, cum non congruat poteſtati, quæ confertur in ordinatione Diaconi.

Tertio, Facit text. in c. diacon. diſt. 25. ubi manus impoſitione ordinatur, & ſic non imprimitur character in porrectione libri Euangeliorum, ergo non ſubſtantialis.

3 Quarto, Diaconus latine dicitur miniſter, & per excellentiam ſic intelligitur, ſed ad exprimendum tale miniſterium, nihil facit porrectio libri Euangeliorum, ſed manus impoſitio, cum manus dicatur organum organorum, ergo non eſt ſubſtantialis.

4 Quinto, Tempore Apoſtolorum fuerunt ordinati Diaconi, ſed tunc temporis non reperiebantur libri Euangeliorum, ergo tunc alia erat materia, & ſic porrectio libri Euangeliorum non eſt ſubſtantialis.

Quod vero ſit ſubſtantialis, mouent infraſcripta.

5 PRimo, Quando non poteſt exprimi actus principalis, tunc li-
6 cet adhiberi actus minus principalis, ſed Diaconatus poteſtas, & officium, non poteſt exprimi, quia actus porrigendi calicem vacuum indicat Subdiaconatus officium, actus vero porrigendi calicem cum vino, & patenam cum hoſtia indicat poteſtatem ſacerdotalem, porrectio vero calicis cum ſacramento tranſcenderet di-

gnitatem ſacerdotalem, ergo per actum minus principalem debet fieri characteris impreſſio, & ſic libri Euangeliorum traditio eſt ſubſtantialis.

7 Secundo, Licet liber Euangeliorum non indicet actum proximiorem ſacramento, demonſtrat tamen doctrinam ipſius ſacramenti, & ſic congruum eſt, ut per illum imprimatur character, & ſic ſubſtantialis.

8 Tertio, Quando in aliquo officio duo ſunt actus, alter primarius, alter ſecundarius, & primarius poteſt contineri in ſecundario, tunc uterq. dicitur principalis, & ſubſtantialis, ſed portare calicem cum ſacramento eſt actus principalis, & legere Euangelium eſt actus ſecundarius, & in ſecundo poteſt contineri primus, ergo ſecundarius poteſt eſſe principalis, & ſic ſubſtantialis.

9 Quarto, Medium debet habere qualitatem medietatis, non extremorum, ſed Diaconus eſt quoddam medium inter Subdiaconum & Sacerdotem, ergo non debet habere actum Sacerdotis, nec Subdiaconi, ſed actus principalis Diaconi non poteſt ſignificari, niſi per actum porrigendi calicem vacuum, quod eſt Subdiaconi, vel calicem cum vino, quod eſt Sacerdotis, vel calicem cum ſacramento, quod eſt ſupra Sacerdotem, ergo ut attingatur medium, factum eſt, ut per librum Euangeliorum tradatur poteſtas Diaconi, & ſic ſubſtantialis.

SOLVTIO.

10 Circa hunc articulum duplex eſt opinio; prima illorum, qui dicunt per manus impoſitionem imprimi characterem, per text. in d.c. Diaconus diſt. 23. cui ſententiæ adhærent Pet. & S. Bonau. ſed hæc opinio communiter reiicitur; altera eſt communis, quod per traditionem libri Euangeliorum imprimatur character, ita S. Thom. Ricch. Pet. de Palud. S. Anton. Ang. Silu. Tab. Turrecrem. in d.c. Diaconus. Steph. de Gaet. in d.c. ad tim. §. 3. n. 117.

Obiectiones vero in contrarium, ſic diluuntur.

11 Ad primum, Licet remotior ſit actus porrigendi librum Euangeliorum, tamen eſt ſecundarius, qui, quando non poteſt commode adhiberi primarius, ſuccedit ſecundarius, in quo continetur.

12 Ad ſecundum, Officium lectoratus eſt circa vetus teſtamentum, non circa nouum, & circa Euangelium, in quo docetur doctrina Chriſti,

Chriſti, cuius legendi auctoritas ſpectat ad Diaconum, ut ad principaliorem miniſtrum.

13 Ad tertium, Duplex poteſt actus in ordinatione interuenire ſubſtantialis, & ſollemnis, ſubſtantialis eſt de neceſſitate ordinis ſacramenti, ſollemnis de neceſſitate præcepti, utroq. actu fit ordinatio; & ſic non ſequitur; Ordinatur manus impoſitione, ergo manus impoſitio eſt ſubſtantialis, quæ eſt de ſollemnitate, & de neceſſitate præcepti.

Ad quartum; Manus impoſitio non adhibetur ad exprimendum magiſterium officii, ſed ad exprimendum aduentum ſpiritus ſancti, & ſic corruit argumentum.

Ad quintum, Tempore Apoſtolorum, quo Spiritus ſanctus clariſſime adueniebat, ſacri Antiſtites non utebantur alia materia, quam manus impoſicione, ſed Eccleſia in poſterum requiſiuit actum porrigendi Euangelia quem habuit ab Apoſtolis à Chriſto Domino edoctis; poteſt etiam reſponderi tempore Apoſtolorum uſos fuiſſe certis ſcriptis, in quibus myſteria fidei continebantur; cum Euangelium nondum in ſcriptis eſſet redactum, ſic Henr. lib. 20. c. 5. & 6.

Articulus ſextus.

Vtrum actus porrigendi calicem, & patenam in Subdiaconatu ſit ſubſtantialis, ita ut imprimatur character ordinis Subdiaconatus, necne.

S V M M A.

1 *Sacerdotalis character imprimitur per traditionem calicis, & patenæ.*

2 *Character in Diaconatu imprimitur per libri Euangeliorum traditionem, & quare. n. 9.*

3 *Subdiacono multa ſunt præparanda in altari circa ſacrificium, præcipue tamen calix. n. 10.*

4 *Character imprimitur per actum nobiliorē, quomodo intelligatur. n. 11.*

5 *Subdiaconatus ordo quando fuit inſtitutus, & quomodo. n. 12.*

6 *Calicis, & patenæ porrectio eſt actus Euchariſtiæ proximior.*

7 *Calicis porrectio non eſt ſubſtantialis ſecundum Hugon. cuius opinio reprobatur.*

7 *Calicis, & patenæ porrectio eſt actus ſubſtantialis in Subdiaconatu, ex communi ſententia, & ex Conc. Florent.*

8 *Actus porrigendi calicem & patenā in Sacerdotio, & in Subdiaconatu, quomodo differant.*

11 *Actus nobilitas in ſacramentis non eſt ratione perſonarum, ſed ſacramenti,*

Quod actus porrigendi calicem, & patenam in Subdiaconatu non ſit ſubſtantialis, hæc demonſtrant.

1 PRimo, In 4.art.deciſum fuit calicis, & patenæ traditione imprimi characterem ſacerdotalem, ergo eodem actu non traditur ordo Subdiaconatus,

2 Secundo, Sicuti Diacono imprimitur character traditione libri Euangeliorum, quia habet poteſtatem legendi Euangelia in Eccleſia, ita per librum Epiſtolarum deberet tradi ordo Subdiacono,ut ille, qui poteſtatem habet legendi epiſtolas in Eccleſia, ergo porrectio calicis non eſt ſubſtantialis.

3 Tertio, Multa ſunt, quæ gratia ſacrificij Subdiaconus in altari præparat, ut de omnibus Mag. ſent. in 4.ſi igitur calicis, & patenæ porrectione imprimitur character, quaſi ſic ſignificetur actus principalior, & proximior ſacrificio, nulla eſt ratio, quare potius calicis traditione, quam urceoli, veſtium, & aliarum rerum, de quibus Mag. ſent.

4 Quarto, Actu nobiliori imprimitur character, ſed Subdiaconus cum urceolo, manutergio, & mantili ſeruit Epiſcopo, & ſacerdoti, cum calice vero Diacono, ergo porrectio urceoli, quæ fit ſacerdoti eſt nobilior porrectione calicis, quæ fit inferiori, ergo non ſubſtantialis.

5 Quinto, Ex ſent. Mag. Chriſtus Dominus,tunc inſtituit hunc ordinem ſubdiaconatus, quando linteo ſe præcinxit, miſitq. aquam in peluim, & lauit, exterſitq. diſcipulorum pedes, ergo per huiuſmodi actus lauandi, extergendiq. debet imprimi character, & ſic non ſubſtantialis calicis porrectio.

Quod vero ſit ſubſtantialis, hoc facit.

6 PRimo, non reperitur actus proximior Euchariſtiæ, quam porrectio calicis, & patenæ, ergo congrue per illum actum imprimitur,& ſic ſubſtantialis,ſecundo eſt text. in c. ſubdiaconus diſt.23. ubi expreſſe hoc dicitur, ergo ſubſtantialis.

S O L V T I O.

7 DVplex eſt opinio circa hunc articulum; prima eſt Hug. qui aſſerit calicis porrectionem non eſſe de neceſſitate,& ſubſtantialem,

lem, quare communiter reprobatur, refert Arch. in d.c. Subdiaconus, ſecunda eſt communis, quod calicis, & patenæ porrectione imprimitur character, & ſic ſubſtantialis, quæ habetur in Concil. Florent. his verbis. Materia ſubdiaconatus eſt traditio calicis vacui cum patena, quam ſequuntur omnes, S. Thom. Ricch. Pet. de Palud. Pet. Albert. Archid. in d.c. Subdiaconus. Turrecrem. ibid. Ang. Silu. Tab. Roſs. & refert Stephan. de Gaet. in d.c. ad lim. §. 3. n. 17.

Ad ea vero, quæ obiiciuntur, ſic reſpondetur.

8 AD primum, Non eſt idem actus, quia in Sacerdotio porrigitur calix cum vino, & patena cum hoſtia, ſed Subdiacono hæc traduntur vacua ſine hoſtia, & vino, & ſic diuerſi actus.

9 Ad ſecundum, Ideo Diacono traditur ordo porrectione libri Euangeliorum, quia per principalem actum tradi non poteſt, ſed ſubdiacono traditur per actum principalem; unde non eſt, ut imprimatur per ſecundarium, ideſt per librum Epiſtolarum, ut in Diaconatu per librum Euangeliorum.

10 Ad tertium, Licet multa ſint, quæ à Subdiacono præparentur, tamen illud eſt præcipuum, quod de calice, & patena dictum eſt, ideo illo actu imprimitur, & non aliis.

11 Ad quartum, Nobilitas actus non eſt ratione perſonarum, quibus miniſterium præbetur, ſed ratione ſacramenti altaris, quod conficitur, ac diſpenſatur; unde actus, qui magis ſacramento adhæret, nobilior dicetur, & ſic retorquetur.

12 Ad quintum, Chriſtus Dominus duos exhibuit actus in cœna ſpectantes ad Subdiaconum, alter fuit præparare panem, & vinum, ut ſacramentum conficeret, & hic fuit principalior, alter fuit pedes diſcipulorum lauare, & hic fuit ſecundarius; a Magiſtro vero fit mentio de eis, quæ ſunt maioris humilitatis, & reliquit quod fuit principalius.

Articulus ſeptimus.

Vtrum in porrectione urceoli cum vino, & aqua in Acolythatu imprimatur character, ita ut ſit actus ſubſtantialis, necne.

S V M M A.

1 *Character imprimitur in principaliori actu.*

1 *Acolythi denominantur à delatione candelabri. & n.6. non ut à digni-*

ri, ſed ut à notiori. n.16.

2 *Epiſcopus eſt, qui habet poteſtatem ordinandi.*

2 *Vrceolus in ordinatione Acolythi traditur per* Archidiaconum, *quomodo intelligatur, n.17.*

3 *Subdiaconi eſt præparare vaſa, & materiam pro ſacrificio.*

4 *Acolythatus officio, quando* Chriſtus Dominus *fuerit functus, & n.18.*

5 *Illud dicitur principalius, quod à principaliori perſona accipitur.*

6 *Ordo quilibet à digniori denominatur actu.*

7 *Actus ille dicitur principalior, per quem magis completur.*

8 *Acolythus candelabri delatione ſeruit* Diacono, *traditione urceoli Subdiacono, quomodo intelligatur, n.19.*

9 *Vrceolorum delatio cum vino, & aqua, eſt vicinior* Euchariſtia *delatione candelabri.*

10 *Acolythatus duo ſunt actus.*

10 *Vrceoli delatio eſt principalior delatione candelabri.*

11 *Acolythatus character imprimitur per traditionem urceoli, & candelabri ſecundum aliquos, quorum opinio reprobatur.*

12 *Acolythatus character imprimitur per traditionem urceoli, & candelabri, ſed magis per traditionem urceoli, ſecundum alios, quorum opinio reijcitur, & quare, n.13.*

14 *Acolythatus character ſecundum alios imprimitur in porrectione candelabri, non urceoli, qua opinio reſpuitur.*

15 *Acolythatus character imprimitur in traditione urceoli, non candelabri, ſecundum communem Doctorum ſententiam.*

Quod urceoli traditio non ſit ſubſtantialis, his defendi poteſt rationibus.

1 PRimo, Character in principaliori actu imprimitur, ſed delatio candelabri eſt principalior, cum Acolythi denominentur, à candelabri delatione, & alias ceroferarii nuncupantur, ergo in porrectione candelabri, & non urceoli debet imprimi.

2 Secundo, Epiſcopus eſt, qui poteſtatem ordinandi habet, ſed urceolus traditur ab Archidiacono, ergo per eius traditionem non debet imprimi character.

3 Tertio, Subdiaconus præparat vaſa, & materiam pro ſacrificio, ergo non eſt, ut Acolythus id ſuggerat, ergo nihil ad eius officium. & ſic per hunc actum nullum ordinem tradi credendum eſt.

4 Quarto, Ex ſent. Mag. in 4. tunc Chriſtus Dominus functus eſt Acolythatus officio, quando dixit: Ego ſum lux vera, & in veteri teſtamento, quando deferebantur lucernæ candelabri ad effugandas tenebras

tenebras Aquilonares, ergo hic eſt principalis actus Acolythatus, ergo per illum debet imprimi, & non per traditionem urceoli.

5 Quinto, Illud dicitur principalius, quod à principaliori perſona accipitur, ſed candelabrum accipitur ab Epiſcopo, urceolus vero ab Archidiacono, ergo principalior eſt actus candelabri, quam urceoli, & ſic per traditionem candelabri, & non urceoli.

6 Sexto, Quilibet ordo à digniori denominatur, ſed Acolytatus eſt denominatus à delatione candelabri, ergo per illum actum, uti digniorem debet imprimi character.

7 Septimo, Ille actus dicitur principalior, per quem magis completur, ſed per actum deferendi candelabrum magis completur, cum urceoli adminiſtratio dicat magis ſubiectionem, quam perfectionem, ergo per candelabrum debet imprimi.

8 Octauo, Delatione candelabri Acolythus ſeruit Diacono, urceoli vero porrectione ſubdiacono, ergo per candelabrum, ut quid dignius, non per urceolum imprimi debet.

Quod vero ſit de ſubſtantia, his fulcitur rationibus.

9 PRimo, Vicinior eſt Euchariſtiæ delatio urceolorum cum vino, & aqua, quam delatio candelabri, ergo per traditionem urceoli imprimitur, non per delationem candelabri.

Secundo, Quando duo ſunt actus in aliquo ordine, tunc per illum imprimitur character, qui eſt altero principalior, ſed Acoly-
10 thatus duo ſunt actus delatio candelabri, & delatio urceoli; & hæc eſt principalior delatione candelabri, ergo per hanc imprimitur, & non per delationem candelabri.

SOLVTIO.

11 PLures ſunt opiniones circa huius articuli materiam. Prima eſt dicentium, characterem Acolythatus imprimi in traditione utriuſq. tam candelabri, quam urceoli copulatiue per text. in c. Acolythus diſt. 23. & c. perlectis diſt. 25. ubi copulatiue requirũtur illa duo in ordinatione Acolythi. Hãc opinionem videtur amplecti Ang. verb. ord. 6. 2. ibi. vel dic, quod utrumq. ſed communiter reprobatur, quia licet multi actus requirantur in aliquo ordine, tamen character imprimitur per ſubſtantialem, non per illos, qui ſunt de ſollemnitate, & ſic intelliguntur illa iura ſuperius relata.

12 Secunda opinio eſt illorum,quod uterq. actus requiritur, ſed magis in urceolo imprimitur, unde ſi omittitur traditio candelabri, nihilominus porrectione urceoli imprimitur, & quando uterq. interuenit, in utroq. imprimitur, ab hac opinione non videtur abhorrere S.Thom.in 4.diſt.25.q.1.ad 2. licet alibi aliam ſequatur opinionem, hanc defendit Silu. ſed communiter reprobatur, quia pu-
13 gnantia continet, volunt iſti, quod ſi uterq. interuenerit actus, in utroq. imprimitur, ſi vero candelabrum omittatur, in urceolo imprimitur, & ſic quandoq. in candelabri porrectione imprimitur character, quandoq. non, & ſic pugnantia.

14 Tertia opinio eſt illorum, qui ſentiunt in actu porrigendi candelabrum, non in urceoli porrectione imprimi characterem, ita ut actus urceoli non ſit ſubſtantialis, ſed de ſollemnitate, ad oſtendendam potius poteſtatem collatam, hanc opinionem referunt eſſe Albert. quem ſequitur Petr.ac defendit S.Bonau.Ricch.Ang.& alii,qui mouentur ex ſupradictis rationibus pro parte negatiua.

15 Quarta opinio eſt magis communis, quod porrectio urceoli ſit de ſubſtantia,& non traditio candelabri,& hanc opinionem ſequuntur S.Thom.in 4.diſt.24.q.2. art.3.ad ult. Durand. ibid.Pet.de Palud. S.Ant.Silu.Roſs.Archid.Turrecrem.in d.c.Acolyth.diſt.23.Steph.de Gaet.in d.c.ad lim.§.3.n.118.& hanc nos ut magis communem ſequimur, & ad argumenta in contrarium allata,ſic reſpondetur.

16 Ad primum, & ſextum, Quandoque denominàtur aliquid non à digniori, ſed à notiori, ut in caſu, magis manifeſtatur à candelabro, quam ab urceolo, ſed non ſequitur, ergo actus portandi candelabrum eſt principalior, ſed bene eſt notior.

17 Ad ſecundum,Archid.eſt princeps miniſterii,unde ille actus conuenit, ſed nihil facit in ordinatione, ſed tantum Epiſcopus, qui verba profert, & materia porrigitur per Archidiaconum.

Ad tertium,Subdiaconus præparat calicē cum vino,Acolythns urceolum, ex quo ſumitur vinum ponendum in calice, & ſic diuerſi actus.

18 Ad quartum, Licet actum candelabri Chriſtus Dominus præſentauerit, non ſequitur, quin etiam & alios, quia in cœna, & hunc, & alios peregit.

Ad quintum, Alii dicunt utrumq. ab Archidiacono tradi, & ſic non obſtat argumentum.

Ad ſeptimum, Non in adminiſtratione aquæ indigemus urceolo, ſed in vini,& ſic non ſequitur argumentum.

19 Ad

19 Ad octauum, Seruit Subdiacono in materia proximiori Euchariſtiæ, & non à digniori perſona, ſed à proximiori Euchariſtiæ colligitur maior, vel minor dignitas.

Articulus octauus.

Vtrum traditio libri exorciſmorum in Exorciſtatu ſit ſubſtantialis, ita ut in ea imprimatur character, necne.

S V M M A.

1 *Ordines omnes directi ſunt ad Sacerdotium,*
1 *Ordinum actus omnes tendunt ad Sacerdotium, ex communi ſent.*
2 *Character in Exorciſtatu imprimitur in traditione libri exorciſmorum, ex communi, & n. 3.*
4 *Ordines omnes ad duo genera miniſteriorum rediguntur.*
4 *Miniſterium ordinis preparatorium triplex.*
5 *Exorciſmi miniſterium traditur ad celebrandam miſſam per modum præparationis.*

Quod libri exorciſmorum traditio non ſit ſubſtantialis, ſic probatur.

1 ORdines omnes directi ſunt ad Sacerdotium, & ſic omnes actus tendunt ad illud ex communi ſententia, ſed actus tradendi librum exorciſmorum, nihil habet cum Sacerdotio, ergo non eſt de ſubſtantia.

Quod vero ſit de ſubſtantia, ſic demonſtratur.

2 ESt text. in c. Exorciſta diſt. 23. ubi expreſſe dicitur, per hunc imprimi characterem, ergo eſt de ſubſtantia.

S O L V T I O.

3 ESt communis omnium ſententia de hac materia ſcribentium, quod traditione libri exorciſmorum imprimitur character, ut de communi teſtatur Turrecrem. in d. c. Exorciſta diſt. 23. in princip unde non eſt dubitandum de hoc.

Ad argumentum, quo videtur uti Io. de Fan. qui allucinatus eſt
4 circa hanc materiam, ſic reſpondetur; ſciendum enim eſt, omnes ordines ad duo genera miniſteriorum redigi, alterum eſt diſpenſationis, & hoc ſpectat ad Acolythum, Subdiaconum, Diaconum, & Sacerdotem; alterum eſt præparationis, & hoc eſt triplex, primum dirigitur contra infideles, & prohibitos Eccleſiam ingredi, & hoc ſpectat ad Oſtiarium, ſecundum eſt reſpectu inſtructionis, & hoc

ſpectat

ſpectat ad Lectorem, tertio dirigitur contra diabolica impedimẽta, ne animæ, corporaq. fidelium vexentur ab immundis ſpiritibus, & hoc ſpectat ad Exorciſtam; modo reſpondendo dicimus, ſi non cuſtodiretur Eccleſia ab Oſtiario, quominus infideles ingrediantur, & niſi per Lectorem inſtruerentur cathecumeni, & niſi deiicerentur immundi ſpiritus à corporibus fidelium, Eccleſia, & illi, qui de Eccleſia ſunt, parum habiles eſſent ad audiendam rem ſacram, &
5 ſacram Euchariſtiam percipiendam, ergo miniſterium iſtud exorciſmi traditur ad celebrandam Miſſam per modum præparationis, & ſic diluitur argumentum.

Articulus nonus.

Vtrum traditio codicis diuinarum ſcripturarum in Lectoratu ſit actus, per quem imprimatur character, necne.

S V M M A.

1 *In miſſarum celebratione, in lectionibus, & aliꝭs legendis non interuenit Lector, ſed tantum Sacerdos, Diaconus, & Subdiaconus miniſterium legendi implent, quomodo intelligatur. n. 4.*

2 *Lectoris eſt inſtruere fideles, & cathecumenos in chriſtiana doctrina.*

3 *Lectoratus character imprimitur in traditione libri diuinarum lectionum, ex communi ſent.*

5 *Lectiones, & Euangelia diuerſimode leguntur à Diacono, & Subdiacono in celebratione miſſarum, & in recitatione diuini officij.*

Quod traditio hæc non ſit ſubſtantialis, argumenta hæc demonſtrant.

1 PRimo, In celebratione miſſarum, in lectionibus, & aliis legendis non interuenit lector, cum ſolum Sacerdos, Diaconus, & Subdiaconus hoc miniſterium legendi impleant, ergo per illum actum non imprimitur, cum officium lectoris parum pertineat ad miſſarum celebrationẽ, & Euchariſtiæ ſacramentum conficiendum.

2 Secundo, Aut traditur codex utriuſq. teſtamenti, aut tantum veteris, ſi veteris, ergo non adimpletur officium Lectoris, quod eſt inſtruere fideles, & cathecumenos in Chriſtiana doctrina, quod adimpletur in nouo, non in veteri; ſi noui, tunc ad hoc non extenditur Lectoris poteſtas, cum Euangelium à Diacono, Epiſtolæ à Subdiacono legantur, ergo huiuſmodi actus non eſt ſubſtantialis.

Quod vero ſit de ſubſtantia eſt text. in c. Lector. diſt. 23. & Magiſt. ſent. in 4.

SOLV-

SOLVTIO.

3 Communis opinio Theologorum, & Canoniſtarũ eſt, ut per traditionem libri diuinarum lectionum imprimatur character, ut de communi teſtatur Turrecrem in d.c. Lector.

4 Ad primum, Cum legendo quis doceat, ſatis pertinet dictum miniſterium ad Euchariſtiam per modum præparationis, ut ſuperius diximus.

5 Ad ſecundum, Diuerſimode leguntur lectiones, & Euangelia à Diacono, & Subdiacono in celebratione miſſarum, & recitatione diuinorum officiorum, ut tam in veteri, quam in nono inſtruantur fideles, cum in veteri legantur figuræ eorum, quæ ſunt in nouo. unde codex utriuſq. ad lectorem pertinet.

Articulus decimus.

Vtrum actus tradendi claues in ordine Oſtiariatus ſit ſubſtantialis ita ut imprimatur character, necue.

SVMMA.

1 *Quis actus dicatur ſubſtantialis.*
2 *In ordine, quando interueniunt duo actus per principaliorem imprimatur character ſecundum communem.*
3 *Cuſtodire Eccleſiam ab infidelibus pertinet ad Euchariſtiam, & quart. num. 8.*
4 *Campanularum ſonus non eſt de ſubſtantia ordinis Oſtiariatus.*
5 *Chriſtus Dominus ejciens ementes, & vendentes de templo repræſentauit hunc ordinem.*
6 *Clauium traditio eſt de ſubſtantia ſecundum communem.*
7 *Quis non ordinatus poteſt cuſtodire Eccleſiam, non tamen ex officio.*
9 *Actus tradendi claues eſt principalior actu pulſandi campanas.*

Quod actus tradendi claues in ordine Oſtiariatus non ſit de ſubſtantia, his poteſt probari.

1 Primo, Ille dicitur actus ſubſtantialis in aliquo ordine, ſine quo non traditur poteſtas operandi in officio, neq. illud exercendi, ſed ſine hoc actu poteſt quis, etiam non ordinatus claudere portam, & ab Eccleſia infideles expellere, ergo per illum actum non imprimitur character.

Secun-

Secundo, Porta Eccleſiæ clauditur, & aperitur, etiam ſi miſſa non celebretur, ergo non eſt actus ſpectans ad confectionem Euchariſtiæ, & conſequenter per illum non imprimitur character.

2 Tertio, Quando in ordine duo interueniunt actus, quorum unus eſt altero principalior, tunc per principaliorem imprimitur character, non per minus principalem, ex communi doctrina in d. cap. presb. ſed in ordine Oſtiariatus duo interueniunt actus, nimirum clauium traditio, & campanularum ſonus, qui eſt principalior traditione clauium, per illum enim ſonum excitantur fideles, & ſignificatur hora celebrandi diuina, ac rem ſacram, ergo per actum ſonandi, & non tradendi claues imprimitur character.

Quod vero ſit de ſubſtantia, hæc faciunt.

3 PRimo, Cuſtodire Eccleſiam ab infidelibus pertinet ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum, ne in tanto miniſterio infideles interueniant, præter quam quod altaria, & alia, quibus offertur ſacrificium, cuſtodiantur, ergo recte per traditionem clauium.

4 Secundo, Ex ſententia omnium, ſi omittatur ſonus campanularum, neq. iterari debet, nec ſuppleri, ergo actus ſonandi non eſt ſubſtantialis, ſicq. traditio clauium eſt de ſubſtantia.

5 Tertio, Chriſtus Dominus, qui fuit ordinum inſtitutor, repræſentauit recte hunc ordinem, quando ab Eccleſia ementes, & vendentes eiecit, ergo per hunc actum recte imprimitur character.

Quarto, Eſt text. in c. Oſtiarius diſt. 23. ubi hoc expreſſe dicitur.

S O L V T I O.

6 COmmunis opinio omnium Doctorum eſt, quod per actum tradendi claues imprimatur character, ut de communi teſtatur Turrecrem. in d. c. oſtiarius; & ad argumenta ſic reſpondetur.

7 Ad primum, Licet aliquis non ordinatus poſſit cuſtodire Eccleſiam, non tamen legitime exercet officium, cum re vera ſpiritualem non habeat poteſtatem.

8 Ad ſecundum, Spectat ad Euchariſtiam, ne infideles in contemptum tanti ſacramenti interueniant.

9 Ad tertium, Negatur minor, quod actus ſonandi ſit principalior actu tradendi claues, iam ſuperius oſtenſum fuit cuſtodiam eſſe magis principalem.

Articulus

Articulus undecimus.

Vtrum materia ſubſtantialis porrigi debeat per manus Epiſcopi, ita ut ſi per alios ordo tradatur, necne.

S V M M A.

1 *Archidiaconus in ordinatione multa porrigit de ſubſtantia, & in qua ordinatione n. 13.*
2 *Porrectio refertur ad ſuum correlatiuum, quod eſt receptio.*
3 *Qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur, quomodo intelligatur n. 15.*
4 *Ordinis poteſtas traditur per porrectionem materiæ, in applicatione verborum.*
5 *Character imprimitur in omnibus ordinibus.*
6 *Poteſtatis traditio exprimitur per porrectionem materiæ.*
7 *In ordinatione, ſicut in qualibet re naturali, duo concurrunt.*
8 *Materia, quod poſſit porrigi ab Archidiacono nullibi cautum reperitur, niſi in Acolythatu, & n. 15.*
9 *Ordinum materia ſi porrigitur ab alio, quam Epiſcopo, an imprimatur character, duplex opinio.*
10 *Materiæ porrectio per manus Epiſcopi in minoribus ordinibus non eſt de ſubſtantia, ſecundum multorum ſent.*
11 *Materia ſecundum communiorem ſententiam debet porrigi per manus Epiſcopi in omnibus ordinibus de ſubſtantia, & quare.*
12 *Materiæ porrectio per manus Epiſcopi eſt de ſubſtantia in omnibus ordinibus, præter quam in Acolythatu, ſecundum Auctoris ſententiam.*
14 *Contactus an ſit de ſubſtantia, duplex opinio.*
16 *Contactus dantis non eſt de ſubſtantia in contractibus, ſecus in ordinatione.*

Quod materia etiam per alios, quam per Epiſcopum porrigi poſſit, his oſtenditur.

1 PRimo, Multa in ordinatione, quæ ſunt de ſubſtantia ab Archidiacono porrigũtur c. Acolythus. diſt. 23. ergo porrectio per manus Epiſcopi non eſt de ſubſtantia.

Secundo, Si porrigitur per alios, non repugnat verbis, quæ ſunt de forma ſacramenti, quia dicitur: Accipe, ſimpliciter, non per me traditum.

2 Tertio, Porrectio refertur ad ſuum correlatiuum, quod eſt receptio,

ptio, ſed non eſt de ſubſtantia ſuſcipientis contactus, ergo in porrectione non requiritur de ſubſtantia Epiſcopi tactus, ut per ſuas manus tradatur.

3 Quarto, Qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur, l. ita autem. §. ita ceſſiſſe ff. de admin. tut. c. mulieres. §. 1. de ſent. excomm. in 6. ergo non refert, an per alios, vel per ſemetipſum porrigatur.

4 Quinto, Hac porrectione traditur poteſtas ordinis in applicatione verborum, ſed poteſt aliquid tradi, & donari, & recipi ſolo nutu abſq. eius tactu, quod traditur, vel ſuſcipitur, ergo non requiritur tactus Epiſcopi, ita ut per alios porrigi non poſſit.

5 Sexto, In omnibus ordinibus imprimitur character, & traditur ſpiritualis poteſtas, ſed in minoribus non refert, an de manu Epiſcopi porrigatur, ergo neq. in aliis, & ſic refert; dicatur diuerſitas rationis.

Quod vero ſit de ſubſtantia, ut de manu Epiſcopi porrigantur hæc probant.

6 PRimo, Porrectione materiæ exprimitur traditio poteſtatis, quam habet tradens, ſed hoc miniſterium, quod tradatur poteſtas, quam habet tradens non poteſt exprimi ſic commode ſi per alios porrigitur, ut exprimitur per proprias manus tradentis, ergo omni ratione factum eſt, ut de ſubſtantia requiratur porrectio per manus Epiſcopi, & non per alios.

7 Secundo, Duo concurrunt in traditione ordinis, ſicuti in quauis re naturali, materia, & forma, ſed forma traditur ex ore Epiſcopi, non per alios, ita de manibus Epiſcopi exire debet materia, non ab aliis.

8 Tertio, De iure debet exprimi, quando de manu aliorum ſit porrigenda materia, ut in Acolytho, quam de manu Archidiaconi accipit, ſed hoc nullibi cautum reperitur, ergo de manu Epiſcopi, & non per alios porrigitur.

S O L V T I O.

9 DVæ ſunt opiniones in hoc articulo; prima eſt Hug. quem ſequitur Archid. in c. ſubd. diſt. 23. quod non ſit de ſubſtantia, an per manus Epiſcopi porrigatur, an per alios, ſicuti non eſt de ſubſtantia, ut ſuſcipiens accipiat, & tangat, ſed hæc opinio communiter
10 eſt reprobata, ut inferius dicetur; altera opinio eſt magis communis,

Digitized by Google

munis, quod in minoribus non ſit de ſubſtantia, ut per manus Epiſcopi porrigatur, quia poteſt de mandato ipſius porrigi per alios, ſed in maioribus de neceſſitate requiritur, ut per manus Epiſcopi porrigatur Rich. Ang. Silu. Tab & alii magis communiter.

11 Sed pace tãtorum virorum, hæc opinio à veritate aliena videtur, tum quia S. Thom. indiſtinčte tenet requiri Epiſcopi porrectionem in 4. diſt. 21. q. 1. art. 1. ad 3. quem ſequitur Sot. ibid. quia hoc de iure cautum non reperitur, niſi in Acolythatu in d. c. Acolyth. tum etiam quia non videtur afferri poſſe ulla rationis diuerſitas, quare in maioribus ſit magis de ſubſtantia, quam in minoribus, & ratio Ricch. quod quando in minoribus per alios porrigitur, principaliter videtur fieri porrectio per Epiſcopum, quæ militat etiam in maioribus.

12 Tertia eſt mea ſententia, quod in omnibus ſit de ſubſtantia præter quam in illis, in quibus de iure expreſſe cautum eſt; ex doctrina communi Doct. in d. c. Presb. ubi illud dicitur eſſe de ſubſtantia, quod de iure requiritur, ſed in omnibus expreſſum eſt de iure requiri porrectionem materiæ de manu Epiſcopi. c. Exorciſta c. Lector. c. Oſtiarius. prçter quã in Acolythatu d. c. Acolyth. diſt. 23. ergo non eſt diſcutiendum an hoc ſit de ſubſtantia, necne, cum determinatum ſit de iure. Alia ratione moueor, quia ex communi doctrina in d. c. Presb quando dubitatur; an aliquid ſit de ſubſtantia, necne, tutior opinio eſt, quod ſit de ſubſtantia. Hac mea opinione non obſtante, non eſt recedendum à communi, ut ſi de manu Epiſcopi non recipiatur materia in minoribus, non eſt ut quis ſubijciat ſe alicui ſcrupulo, licet ex mea ſententia tutius ſit de manu Epiſcopi accipere.

13 Ad primum, Ergo in contrarium allatum, Solum in Acolythatu procedit, quia ſic de iure fuit expreſſum, in aliis vero contrarium cautum eſt, ſupra d. iuribus.

Ad ſecundum, Repugnat in ſignificatu, quia traditur poteſtas quam tenet tradens, ergo efficacius ſignificatur, quando per manus Epiſcopi, & non per alios, quia non habent poteſtatem.

14 Ad tertium, Secundum aliquorum opinionem non eſt de ſubſtantia contactus, ſecundum vero aliorum ſententiam eſt de ſubſtantia, & ſic eſt in dubio, & non ſit argumentum.

15 Ad quartum, Illa regula non habet locum, quando aliquid requiritur ex forma, vel de ſubſtantia, quia tunc per æquipollens non poteſt adimpleri l. qui per ff. de iure iur.

16 Ad quintum, In contractibus non requiritur de ſubſtantia tactus dantis, vel recipientis, ſed mutua voluntas, ſecus eſt in ordinatione

dinatione in qua de ſubſtantia requiritur, & ſic diuerſa ratio.

Ad ſextum, Negatur ſtante mea opinione, nec poteſt commode afferri ratio.

Articulus duodecimus.

Vtrum ſit de ſubſtantia ſacramenti, ut corporaliter tangatur materia à ſuſcipiente, necne.

SVMMA.

1 *Suſcipientis contactus quãdo requiratur. & n.17. & quare. n.2. & n.18.*
2 *Materia non agit in ſuſcipiente, & quare n.19.*
3 *Materia determinat intentionem miniſtri.*
4 *In ordine ſacerdotali duo ſunt de ſubſtantia, & quomodo interueniant. num.20.*
5 *Venditor, licet rem venditam non attingat, illam dicitur poſſidere.*
5 *Contactus non requiritur ad aliquid obtinendum in contractibus ſecus in ordine, & quare. n.21.*
6 *Manus impoſitio omiſſa non iteratur, ſed ſuppletur, & quare. n. 14. & num.22.*
7 *Forma verborum verificatur per contactum.*
8 *Correlatiuorum idem eſt iudicium.*
9 *In forma ordinis:* Accipe poteſtatem, *&c. quid præcipiatur.*
10 *Epiſcopus ſine porrectione materiæ non poteſt proferre formam, & quare.*
11 *Suſcipiens ordinem debet accipere materiam, quæ porrigitur de manu Epiſcopi.*
12 *In baptiſmo, & in chriſmate requiritur contactus.*
13 *In dubijs tutior via eſt tenenda. & n.16.*
14 *Materia, quæ porrigitur in ſacramentis, tripliciter poteſt conſiderari.*
15 *Materia ſi ſit de ſubſtantia ſacramenti, an ſit iteranda, duplex opinio.*
15 *Contactus non eſt de ſubſtantia ſacramenti ſecundum* Abb. *licet ſic ſecundum* S.*Thom. & communiter. n.16.*
20 *In ordinatione, quando interueniunt duæ res, dupliciter poſſunt interuenire.*

Quod contactus non ſit de ſubſtantia, ſic probatur.

1 PRimo, Quando virtus ſacramenti principaliter non conſiſtit in materia, ſed in miniſtro porrigente materiam, tunc non requiritur actus ſuſcipientis, ſed in ordine à Miniſtro principaliter procedit, non à materia, ergo non eſt de ſubſtantia.

2 Secun-

2 Secundo, Aut contactus requiritur, quia ex illo materiali contactu procedit poteſtas, aut quia peractum ſignificatur conſenſus ſuſcipientis, ſed poteſtas non procedit ex materiali contactu, ergo ad ſignificandum conſenſum, ſed conſenſus ſuſcipientis non requiritur, ſed tantum ne ponatur obex, c. maiores. c. fin. de bapt. ergo neq. contactus, per quem exprimitur, quia ubi non ſignatum, neque ſignum.

3 Tertio, Vbi requiritur contactus, materia eſt actiua, agit enim ut cauſſa in ſuſcipientem paſſiuum, ſed in ordine materia nihil agit in ſuſcipientem, ita ut ſuſcipiens dicatur aliquid pati mediante actione materiæ, ſolus miniſter agit, & materia eſt ad determinandam intentionem miniſtri, ergo non eſt de ſubſtantia.

4 Quarto, Dicunt omnes, quod in ordine ſacerdotali porrectio calicis cum hoſtia eſt de ſubſtantia, ita ut ſi unum deficiat, nihil fiat, & omnes admittunt ſuffiecere vnius tactum, ut ſi utrumq. non tangeret, non propterea inordinatus remaneret; modo ſic eadem ratione, qua requiritur in vno contactus, requiritur in alio ſubſtantiale, & ſic eadem ratione, qua non requiritur in vno, neq. in alio, ergo aut hæc non ſunt ſubſtantialia, quod eſt falſum, ſecundum omnes, aut eſt falſa opinio, quod contactus ſufficiat in uno, quod non eſt dicendum; aut contactum non eſſe de ſubſtantia, quod eſt aſſumptum à nobis.

5 Quinto, Eſt text. in l. quod meo §. ſi venditorem ff. de acquir. poſſ. ubi ſi emi aliquid, & præcepi venditori, ut rem venditam in aliquo deponat loco, certum eſt me poſſidere, etiam quod non attingerem, ergo contactus non requiritur ad aliquid obtinendum, quinimmo à fortiori, quia ſi hoc eſt verum in poſſeſſione, quę dicitur quædam pedum poſitio, quæ fieri non poteſt ſine tactu corporali, multo magis locum habebit in ordine, ubi diuinitus traditur poteſtas, & imprimitur character.

6 Sexto, Manus impoſitio fit actu corporali, c. fin. de ſacr. non iter. ſed ſi omittitur, non iteratur, ſed tantum ſuppletur, ergo tactus corporalis non eſt de ſubſtantia, cum ea, quæ ſunt de ſubſtantia non ſuppleantur, ſi omittuntur, ſed iterantur, adnot. in c. presb. eod.

Quod vero ſit de ſubſtantia, ſic probatur.

7 PRimo, Si contactus non eſſet de ſubſtantia, non verificaretur formula verborum, ubi dicitur: Accipe, &c. cum accipere non poſſimus, niſi, quod accipiendum eſt, tangamus, ergo contactus eſt de ſubſtantia.

8 Secundo, Correlatiuorum eſt idem iudicium, quod enim de uno dicitur, de altero neceſſe eſt contrarium intelligi.l.fin. ff.de accept.ſed porrectio materiæ per manus Epiſcopi eſt de ſubſtantia,ergo & acceptio per manum ſuſcipientis.

9 Tertio, In verbis illis: Accipe, &c. imperatur,ut accipiatur, ſed ſi manibus non accipitur, non ſatisfit iuſſioni, ergo dicendum, requiri contactum, alias eſſet contra formam iuſſionis, & in contemptum, & ſic daretur locus peccato.

10 Quarto, Si contactus non eſſet de ſubſtantia, ſequeretur, quod Epiſcopus ſine porrectione materiæ poſſit proferre verba formalia, quia ad quid porrectio, ſi non ſuſcipitur? ſed conſequens eſt falſum, ergo & antecedens.

11 Quinto, Clariſſimi iuris eſt, quod de manu Epiſcopi ſuſcipiens debet accipere hoc, vel illud,c.Subdiaconus & ſeqq. diſt. 25. ſed de manu alicuius non dicitur aliquid accipi, niſi manu propria ſuſcipiatur, ergo contactus requiritur.

12 Sexto, In aliis ſacramentis requiritur contactus, ut in baptiſmo, & chriſmate, ergo, & in ordine.

13 Septimo, Eſt ſententia, & doctrina communis Doct. in c. presb. de ſacr.non iter.quod quando eſt dubium,an aliquid ſit de ſubſtantia, necne, tutior via eſt eligenda, quod ſit de ſubſtantia, c. petitio extr. de homicid. c. veniens de presbyt. non baptiz. ſed hic articulus eſt dubius, quia ſunt duæ contrariæ opiniones, ergo illa eſt eligenda, quæ eſt tutior,& ſic quod ſit de ſubſtantia.

SOLVTIO.

14 AVT materia, de qua agitur eſt de ſubſtantia ſacramenti, aut de ſollemnitate, vel de neceſſitae præcepti, ſi de neceſſitate præcepti, vel de ſollemnitate, ut eſt manus impoſitio, & alia non requiritur de ſubſtantia corporalis contactus, ſed ad bene eſſe, ita ut ſi omittatur,non debeat ſuppleri,cum commode fieri non poſſit, ſic intelligitur text.in c.fin.de ſacr.non iter.Goffred.Oſt.Aſt. Ang. & Silu. aut materia eſt de ſubſtantia ſacramenti, ut eſt porrectio calicis cum vino, & patenæ cum hoſtia, & tunc duæ ſunt opiniones; altera eſt Abb. qui ſentit contactum non eſſe de ſubſtantia, etiam in ſubſtantialibus, ſed ſufficere porrectionem materiæ de manu Epiſcopi,ex rationibus pro hac parte ſuperius relatis. Ab hac opinione non videtur abhorrere Turrecrem.in c. Epiſc.diſt.23.ubi reſpondet

det cuidam obiectioni, Pet. de de Palud tandem hanc opinionem defendit Sot. in 4. diſt. 24. q. 1. art. 2. licet non audeat contra S. Thom. figere pedem, abſolute tenet Tabien. qui dicit ſemper reſponſurum ante factum requiri contactum, poſt factum, ſi materia non fuit tacta, poteſt quis tuta remanere conſcientia.

16 Altera eſt opinio S. Thom. in 4. diſt. 24. q. 1. ad 3. qui dicit contactum eſſe de ſubſtantia ſacramenti rationibus pro hac parte adductis, quam ſequitur abſolute Pet. de Palud. q. 1. idem videtur ſequi Io. And. in c. presbyter. de ſacr non iter. & in c. 2. de ordin. ab Epiſc. ibid. Dom. col. 6. Fr. Nicol. Oſim. in add. Piſ. u. ordo. Ang. Silu. ibid. S. Ant. 3. p. tit. 16. c. 14. refert Stephan. de Gaet. in d. c. ad lim. §. 3. n. 28. & magis communiter dicitur tutior hæc opinio, & uti tutiorem, & magis communem ſequendam arbitror, quia in dubio tutior via eſt tenenda, d. c. veniens, & eſt credendum eſſe de ſubſtantia iuxta communem doctrinam in d. c. presbyter.

Argumenta vero in contrarium allata, ſic diluuntur.

17 AD primum, Procederet argumentum, quando non interueniret, niſi materia, ſed quia concurrit forma, quæ conſiſtit in illis verbis: Accipite, quæ forma non videtur poſſe adimpleri, ſine concurſu contactus, hinc eſt, quod requiritur contactus de ſubſtantia ſacramenti.

18 Ad ſecundum, Tunc argumentum procederet, quando contactus eſſet tantum ratione efficaciæ materiæ, vel ad conſenſum exprimendum, ſed neutro modo in caſu requiritur contactus, ſed tantum ut verificetur forma, quæ non adimpleretur ſine contactu, ergo argumentum corruit.

19 Ad tertium, Quando pro adimplemento requiritur contactus, ut in caſu, non eſt neceſſarium, ut materia ſit actiua, ſufficit, quod aliud, quam materia agat, ut cauſſa efficiens, ut in caſu noſtro miniſter, licet imperfecte, & Deus perfectiſsime.

20 Ad quartum, poſſunt duæ res dupliciter interuenire. altero modo in duobus actibus ſeparatis, & tunc ſi illi actus ſunt ſubſtantiales, contactus ſi requiritur in uno, requiritur etiam in alio; altero modo, duæ res poſſunt interuenire in aliquo actu indiuiduo, & tunc ſufficit quouis modo tangere aliquid modicum, quod non habeat diſcontinuationem ad totum actum, ut porrectio calicis cum vino, & patenæ cum hoſtia, hoſtia enim non eſt ſeparata à calice,

neq. calix diſcòntinuationem habet ab hoſtia reſpectu totius actus indiuidualis porrectionis, ſufficit modicum calicis, vel hoſtiæ tangi. arg.c.unic.de conſecr.Eccleſ.lib. 6. Ita declarat Ang. Silu. & multa congerit Henr. Boich in d.c.presbyter, & ita argumentum diſſoluitur; ſufficit etiam una manus, vel unicus digitus, licet ad bene eſſe duæ requirantur manus.

21 Ad quintum, Text. in d.l.quod meo §. ſi venditorem. determinat non indigere emptorem tactu corporali rei emptæ, quia per venditionem conſtituitur emptor in locum venditoris, qui cum habeat utramq. poſſeſſionem, naturalem corporalem, & ciuilem intentionalem, non indiget corporali, cum retineatur animo, adnot. per Doct.in rubr.de acquir.poſſeſſ. quod in caſu non procedit, cum pro complemento formæ non ſufficiat intentio ſine actuali conſenſu.

22 Ad ſextum, Iam diximus, quod in his, quæ non ſunt de ſubſtantia, ſed tantum de ſollemnitate, ut manus impoſitio, omnes fatentur non requiri contactum de neceſsitate, ſed tantum ad bene eſſe, quinimmo, ſi omittatur contactus, non eſt,ut ſuppleatur,cum commode ſuppleri non poſsit.Ang.Silu.Tabien.refert Goffred.& Oſt.Stephan.de Gaet.in d.c.ad limina.

Articulus decimustertius.

Vtrum ſi aliquid ex requiſitis omittatur, tota ordinatio videtur, ita ut reiteranda ſit, necne.

S V M M A.

1 *Actum non dicitur, cum aliquid ſupereſt ad agendum, quomodo intelligatur.n.18.*
2 *Baptizans, vel ungens ſine expreſſione formæ, nihil efficit.*
3 *Non ſatis datum tempore debito, ex integro datur, quomodo intelligatur.n.24.*
4 *Conſecrans, in conſecratione formam non perficiens, ut omiſſa debet iterari.*
5 *Ordinandi poteſtate deficiente, licet cetera adſint, ordinatio eſt iteranda.*
6 *Quando aliquid dubitatur, an ſit factum, pro non facto haberi debet.*
7 *In actibus indiuiduis forma eſt ipſa conſummatio, n.20.*
7 *In actibus indiuiduis, deficiente forma, deficit materia, & quomodo intelligatur, n.26.*
8 *In actu aliquo totali, quando aliquid requiritur, tunc requiritur in qualibet eius parte, & quomodo in ordinatione intelligatur.n.26.*

9 Epi-

9 *Epiſcopus porrigens materiam, ſi aliter pronuntiat verba, nihil efficit, ſecus ſi verba non ſunt de ſubſtantia, n.27.*

10 *Ordo dicitur eſſe ordinati, quando quis eſt ordinatus, etiam deficiente aliqua ſolemnitate*

10 *Quod dicitur noſtrum ſemel, non poteſt iterum dici noſtrum, quomodo intelligatur, n.28.*

11 *In ordinatione omiſſum, non eſt iterandum, ſed ſupplendum, quomodo intelligatur, n.28.*

12 *Manus impoſitio omiſſa non eſt iteranda, ſed ſupplenda, & quare, n.29.*

13 *Panis conſecratio, deficiente* Sacerdote, *non conſecrato vino, non eſt iteranda, ſed ſupplenda, & quare, n.30.*

14 *Vnctio in ordinatione omiſſa, non eſt iteranda, ſed ſupplenda, & quare, n.31.*

15 *Ordinatio eſt facienda die ſabbathi, quod ſi omittitur, non iteratur ordinatio.*

16 *Vnctio facta in una manu tantum, non eſt iteranda, ſed altera non uncta eſt ungenda.*

17 *Omiſſa in ordinatione, multipliciter poſſunt conſiderari.*

17 *Omiſſum aliquid in ordinatione de ſubſtantia, ordinatio eſt nulla, & reiteranda.*

18 *Ordinatio, in qua eſt dubium, an aliquid de ſubſtantia omiſſum fuerit, eſt reiteranda, ſecus non.*

18 *In dubijs tutior via eſt eligenda.*

19 *Omiſſa in ordinatione ſi ſunt leuia, non obſunt, tutius tamen eſt illa ſuppleri, ſecus ſi ſunt magni momenti.*

20 *Actus omiſſus in ordinatione dupliciter conſiderari poteſt, & quando eſt repetendus, & n.22.*

23 *Immerſio in aqua eſt de ſubſtantia.*

Quod vitietur, & ſit reiteranda, his probatur fundamentis.

1 PRimo, Non dicitur actum, cum aliquid ſupereſt ad agendum 7.q.1.c.illud & c.nihil.l.pen.C.ad ſyllanian. ſed quando omittitur aliquid ad agendum in ordinatione, ſupereſt ad agendum omiſſum, ergo in tali caſu non dicitur acta ordinatio, & ſi non acta, iterari poteſt.

2 Secundo, Eſt text.in c.1.cum Gloſſ.de baptiſm.ubi ſi quis immerſerit puerum in aquam ter ſine expreſsione debita verborum, puer non dicitur baptizatus, unde iterari debet, ſicuti ſi quis ungendo omiſerit formam verborum, debet iterum unctio fieri, ergo quando omittitur aliquid, debet iterari.

3 Tertio, Eſt text. in l.de die §. ſi ſeruus. ff. qui ſat. cog. ubi ſi debito tempore ſatisdatum non fuerit, ex integro datur, ergo omiſſum legitimum tempus iteratur.

4 Quarto, Ex ſent.Oſt. & Doctorum in d.c.presbyt. ſi quis deficeret in conſecratione, ut formam conſecrationis perficere non poſſet, omiſſa à capite iteranda ſunt, ergo.

5 Quinto, Quando in ordinatione deficit poteſtas ordinandi, licet alia non interuenerit ex defectu unius, iterum ordinatio fieri debet, quia tota vitiatur.c.presbyteri diſt.68.& ibi Gloſſ.

6 Sexto, Quando ambigitur, An aliquid ſit factum, necne pro nou facto haberi debet, ita ut ſi non iteratur, pro iterato non habeatur. c.paruulos de conſecr.diſt.4.c.veniens de presbyt.non baptiz.c.1.de ſacr.unctione, Doct.in c.presbyt.de ſacr.non iter.ergo multo magis iterabitur, quando conſtat aliquid eſſe omiſſum, & non factum, cum maior ſit ratio in expreſsis, quam in dubijs.

7 Septimo, In actibus indiuiduis forma eſt ipſa conſummatio, qua deficiente, deficit & materia, quæ ſine forma ſtare non poteſt, & per conſequens totus actus corruit l. ſi is qui quadraginta. §. quædam.ff.ad leg. Falc.ſed ordinatio eſt actus indiuiduus, quia non dicitur quis ordinatus, niſi in toto ſit completa ordinatio, ergo ſi quid omiſſum fuerit, non habebit eius perfectionem, quæ eſt eius forma, & ſic nihil actum,ergo iteranda ex omiſsione alicuius requiſiti.

8 Octauo, Quando aliquid requiritur in aliquo actu totali, tunc requiritur in qualibet eius parte; unde ſi omittitur in parte, in toto cenſetur omiſſum, & ſic reiterari debet, Franc.in d.c.1.de ſacr. unction.ſed quod requiritur in ordinatione, requiritur; ut in actu totali, ergo ſi quid omittitur in parte,omittitur in toto,& ſic vitiatur.

9 Nono, Quando aliquis Epiſcopus porrigit materiam, alter pronuntiat verba conſecratoria, nihil fit, & tamen nihil videtur omiſſum, multo magis quando omittitur, debet iterari, & de nouo fieri ordinatio.

Quod vero non vitiatur, neq. iterum facienda, ſed tantum omiſſa ſupplenda, ſequentibus confirmatur.

10 Primo, Quando quis eſt ordinatus, ordo dicitur eſſe ordinati, etiam ſi omiſſa fuerit aliqua ſollemnitas, ſed quando ſemel aliquid eſt meum, iterum non poteſt fieri meum.§. ſic itaq. inſt. de donat.c.inter dilectos extr.de fid. inſtrum. ergo quando quis eſt ordinatus,

dinatus, non obſtante omiſſione alicuius ſollemnitatis, non poteſt iterum ordo eſſe ordinati, ita ut iterum ordinetur, quia alias bis aliquid noſtrum fieret.

11 Secundo, Eſt text. in c. 1. de ſacr. non iter. ubi determinatur expreſſe, quod ſi aliquid in ordinatione omiſſum fuerit, non ſit iteranda ordinatio, ſed tantum ſuppletur omiſſum.

12 Tertio, Eſt text. in c. fin. de ſacr. non iter. ubi ſi manus impoſitio in ordinatione fuerit omiſſa, non iteratur ordinatio, ſed tantum manus impoſitio omiſſa ſuppletur.

13 Quarto, Quando Sacerdos conſecrata hoſtia deficeret, & ſanguinem conſecrare non valeret, non eſt iteranda conſecratio panis, ſed tantum ſupplenda conſecratio ſanguinis ab alio, ſi per ipſum fieri non poſſet, ita Inn. & Doctores in c. presbyter. de ſacr. non iter. ergo ex omiſsione unius, etiam ſubſtantialis, non fit iteratio totalis, ſed tantum ſuppletur omiſſum.

14 Quinto, Eſt text. in c. 1. de ſacr. unction. & ibi Gloſſ. & Oſt. ubi ſi unctio in ordinatione ſacerdotis omittitur, non iteratur ordinatio, ſed tantum ſuppletur.

15 Sexto, Inter alia requiſita, legitimum tempus requiritur, nimirum ordinatio die ſabbathi, tamen ſi omittitur non propterea vitiatur ordinatio, nec ſuppletur, c. conſultationi de temp. ord. ergo ſi non ſuppletur omiſſum, minus ordinatio iteratur.

16 Septimo, Si uncta fuerit una manus, altera prætermiſſa, non iteratur unctio, ſed manus non uncta ungitur, ita Oſt. & alij in d. c. presbyter. ergo omiſſo uno, non iteratur totus actus.

SOLVTIO.

17 AVT quæ omittuntur ſunt de ſubſtantia, aut de ſollemnitate, & de neceſsitate præcepti, vel eſt dubium, ſi ſunt de ſubſtantia ſacramẽti, tunc indubitater omnes concludunt, quod ordinatio nihil eſt, & eſt repetenda, ita Gloſſ. in c. 1. de ſacr. unct. & c. 1. in fin. de ſac. non iter. Inn. in d. c. presb. ibi Oſt. Io. Andr. Franc. Abb. & Henr. Boich. hanc eandem opinionem tenent Pet. de Palud. S. Ant. Ang. Silu. Tabien. qui referunt ſic voluiſſe Raim. Goffred. & Hug. late congerit Steph. de Gaet. in c. ad lim. §. 3. q. 74.

18 Aut eſt dubium, & tunc præfati conſentiunt nullam eſſe ordinationem, ita ut reiteranda ſit, cum in dubio tutior via ſit eligenda; aut conſtat, quod omiſſa non ſunt de ſubſtantia ſacramenti, ſed tan-

tum de ſollemnitate, & de neceſsitate præcepti, & tunc, aut omiſſa ſunt leuia, aut magni momenti; ſi leuia, tunc ſi omittuntur, non ſolum non obſunt omiſſa ordinationi, verum, ſi non ſupplentur,
19 nihil refert, licet tutius ſit ſuppleri, leuia ſunt tangere aqua manile, peluim, hoſtiam, vel campanam, & id genus reliqua; ſi vero ſunt magni momenti, ut benedictio, unctio, manus impoſitio, & alia id genus, tunc aut poſſunt ſuppleri, aut non, ut tempus, & actus quæ percurrunt, & abſque alia ſuppletione, firma remanet ordina-
20 tio, adnot. in d. c. conſultationi de temp. ord. aut poſſunt ſuppleri, & tunc, aut actus omiſſus eſt unicus, & indiuiduus, aut plures diuiſibiles, ac diſiuncti; ſi indiuiduus, quem aſij integralem appellant, tunc licet firma ſit ordinatio, tamen debet totus actus, qui de ſollemnitate requiritur, à capite repeti, & de nouo dictus actus ſollemnis fieri, ſic Inn. & Oſt. in d. c. presbyt. ut ſi omittatur pars orationis, debet à principio oratio repeti, & ratio eſt ſecundum Henr. Boich in d. c. presbyt. quia in factis indiuiduis, & integralibus conſummatio eſt adimplementum formæ, d. l. ſi quis quadraginta. §. quędam.

21 Aut ſunt plures actus diſiuncti, & ſeparabiles, & tunc, aut unus actus eſt annexus, vel correlatiuus alteri, ita ut unus adhæreat alteri, aut non ſunt annexi, & tunc omiſſus tantum ſuppletur, non autem à capite repetendus; ſi vero ſunt annexi, tunc duæ ſunt opiniones, altera eſt Inn. qui dicto caſu abſolute tenet, quod ex omiſſione unius ex connexis debet fieri reiteratio, & non ſufficit ſuppletio omiſsi, quam ſequitur Abb. & Doct. magis communiter in d. c. presbyt. Altera opinio eſt Oſt. qui vult, quod quando actus alteri eſt annexus, tunc omiſſo principali, cui alter adhæret, bene à capite iteretur, ſed ſi contra omittitur actus adhærens, ſuppletur, & non eſt facienda iteratio, ſed non eſt, ut hanc ſubtilitatem diſcutiamus, cum in praxi vix poſsit inueniri caſus.

Modo ad argumenta reſpondeamus, pro parte affirmatiua allata.

22 AD primum, Duplex eſt actus, Alter ſubſtantialis, & indiuiſibilis, alter non ſubſtantialis, ſed diuiſibilis, in actu ſubſtantiali indiuiſibili, ſi aliquid omittitur, & ſupereſt peragendum nihil eſt actum, ſed non procedit in actu non ſubſtantiali, & non integrali, ut eſt actus ungendi manus.

23 Ad ſecundum, quartum, quintum, & ſextum, Immerſio in aqua eſt de ſubſtantia, ergo ſi omittitur nihil fit, ſicut etiam unctio, &

oratio

oratio ſunt actus annexi, & inſeparabiles, ergo uno omiſſo, iterum a principio omnia ſunt repetenda, ſecus eſt in actu diuiſibili, & non ſubſtantiali.

24 Ad tertium, Ibi non agitur de omiſſo, ſed de non bene, vel legitime facto propter præiudicium tertij, neceſſe erat tali die ſatisdare; unde ſi non decreto, vel debito die, ſecundum determinationem iudicij, nihil fiebat, ſed iterum danda erat, non ſic procedit in ordinatione, ubi tempus non de neceſsitate rei. ſed de ſollemnitate.

25 Ad ſeptimum, Ordinatio dupliciter conſiderari poteſt; primo in ſubſtantia, & hoc modo eſt actus indiuiſibilis reſpectu ſubſtantialium, ut uno deficiente, tota ordinatio corruat, & vitietur, cum non poſsit dici conſummata, neq. impreſſus character ſine adimpletione omnium ſubſtantialium; ſecundo modo poteſt conſiderari reſpectu aliarum ſollemnitatum, quæ requiruntur in ordinatione, non de ſubſtantia ſacramenti, ſed de neceſsitate præcepti, & tunc actus ordinationis non dicitur indiuiſibilis, quia poteſt eſſe perfecta, & ſtare eius perfectio ſeparata ab interuentu iſtarum ſollemnitatum quoad impreſsionem characteris, & ſic diluitur obiectio.

26 Ad octauum, In totalitate, ut ita dixerim, ordinationis tantum ſubſtantialia requiruntur, ſine quibus non imprimeretur character, alia vero, quæ requiruntur de neceſsitate præcepti, non requiruntur ad integrandam totalitatem ordinationis, ſed ad bene eſſe, vel aliud ſignificandum, & ſic non procedit argumentum.

27 Ad nonum, Si duo, nemo perficit, unde in annexis, & ſubſtantialibus non poſſunt perfici, niſi ab uno, & non una pars ab uno, ab altero altera, ſed à principio omnia iteranda ab uno, ſecus in diuiſibilibus, & non ſubſtantialibus, quia tunc poteſt omiſſum ſuppleri per alterum, deficiente primo.

Si vero quis aliam ſententiam tueri voluerit, ſic argumenta infringere poterit.

28 AD primum, Quando omittitur aliquid ſubſtantiale, non ſequitur abſurdum, ut ſi reiteraretur, quod noſtrum eſt, iterum noſtrum fieret, & magis abſurdum eſſet in ordinatione, propter characteris indelebilitatem, cum ſemel impreſſus, iterum impreſſus dici non poſsit, quia ex omiſsione ſubſtantialium, non imprimitur character, & ſic res non eſt effecta noſtra, ita ut fieri non poſsit.

29 Ad

29 Ad ſecundum, tertium, quintum, & ſextum, Textus ille loquitur de manus impoſitione, quæ requiritur de ſollemnitate, non de ſubſtantia, ideo ſuppletur, & non iteratur.

30 Ad quartum, Conſecratio panis, non eſt conſecratio ſanguinis, unde una perfecta, & alia omiſſa, non iteratur perfecta, ſed tantum ſuppletur omiſſa.

31 Ad ſeptimum, Non ungitur, niſi manus non uncta, quia ſunt actus diuiſibiles, & unus non eſt annexus alteri; unde actus omiſſus ſuppletur, & non à capite repetitur.

Articulus decimus quartus

An ſi porrigatur codex utriuſque teſtamenti in Diaconatu, & Sacerdos ungatur chriſmate, Diaconus ſit iterum ordinandus, & Sacerdos ungendus, necne.

S V M M A.

1 *Codex teſtamenti eſt quid generale, continens multos libros ſpeciales, & quomodo intelligatur. n. 13.*

1 *Poſito generali, non ponuntur ſpecialia.*

2 *Forma ſic dat eſſe rei, & conſeruat in eo, ut ſi fiat digreſſio de una forma ad aliam, res dicatur mutata.*

3 *Baptizatus aqua mixta cum alio liquore, non eſt baptizatus, ſi liquor præualeat, ſecus ſi non eſt mutata, n. 14.*

4 *Mixtum ſolet conſtituere tertiam ſpeciem ab alis diſtinctam.*

5 *Confirmans cum oleo ſancto tantum, ſine balſamo debet ſuppleri, quod defuit, & quare, n. 15.*

6 *Porrectio totius teſtamenti continet porrectionem Euangeliorum, & n. 7.*

7 *Materia determinatur ab intentione miniſtri.*

8 *Materia quando determinatur à forma, illa res dicitur adhibita, cui dirigitur forma.*

9 *Forma verborum in* Diaconatu, *in traditione libri totius teſtamenti dirigitur tantum ad librum Euangeliorum.*

9 *Mixtum quando non facit mutare naturam, & ſubſtantiam ſimplicium, ex quibus conſtat, non facit tertiam ſpeciem.*

9 *Balſami mixtura cum oleo ſancto non immutat ſubſtantiam, nec virtutem ſancti olei.*

10 *In corpore vendito, quando reperitur qualitas ſubſtantialis, valida eſt venditio.*

11 *Infirmi antiquitus ungebantur chriſmate.*

12 *Epiſcopus in* Diaconatu, *ſi porrigit librum totius teſtamenti, intendens porri-*

porrigere tantum librum Euangeliorum, vere ordinat.

12 *Sacerdos unctus chriſmate pro oleo ſancto tantum, vere ordinatur, & non eſt amplius ungendus, licet ipſe, & Epiſcopus, ſi ſcienter fecerint peccent.*

Quod iterum uterque ordinari debeat, his defendi poteſt rationibus:

1 PRimo, Codex teſtamenti eſt quid generale, continens multos libros ſpeciales, ſed poſito generali, non ponuntur ſpecialia, eſt text. in l. b quid earum. §. inter emptnm ff. de legat. 3. & ibi Gloſſ. Bart. & Doct. ergo poſitio, vel porrectio libri totius teſtamenti, non eſt poſitio, vel porrectio libri Euangeliornm, ergo iterum facienda eſt ordinatio.

2 Secundo, Forma ſic dat eſſe rei, & conſeruat in eſſe, utſi fiat digreſſio de una forma ad aliam, ſicut per additionem, vel ccmmixtionem alterius materiæ dicatur res mutata; unde licet perſeueret eadem materia, tamen per ſolutionem talis materiæ ſic mutatæ, non liberatur debitor, nec obligationi dicitur ſatisfactum, eſt text. not. in l. Iulianus §. & ſi quis, & ibi Bald. & Doctores ff. ad exhib. & text. in l. mulieris. §. 1. ff. de verb. ſignif. ſed per additionem aliorum librorum veteris teſtamenti, vel per mixturam balſami liquoris, videtur facta mutatio libri Euangeliorum, & olei ſancti, ita ut non amplius vocari poſſit liber Euangeliorum, ſed codex teſtamenti, neq. oleum ſanctum, ſed chriſma, ergo licet eadem materia perſeueret, non tamen per dationem totius videtur ſatisfactum ordinationi, neque unctioni, & ſic utrumq. iterandum.

13 Tertio, Si quis eſt baptizatus cum aqua mixta cum liquore, non dicitur baptizatus, Alex. de Ales de ſacr. bapt. q. 8. membr. 3. art. 2. ergo idem dicendum in ſacramento ordinis, ut ſi quis in Diaconum ordinetur porrectione libri Euangeliorum mixti cum aliis libris, vel unctus cum oleo ſancto mixto cum balſamo non dicatur vere ordinatus, nec bene unctus, & iterum ordinari, & ungi debet.

4 Quarto, Mixtum ſolet conſtituere tertiam ſpeciem ab aliis diſtinctam ut mixtum ex vino, & melle conſtituitur mulſum, & mixtum ex auro, & argento conſtituitur clectrum, eſt text. in §. ſi duorum Inſt. de rer. diuis. & ibi Gloſſ. & Bart. in l. 1. ff. de interdict. ſed liber totius teſtamenti eſt compoſitus ex pluribus libris, & chriſma eſt mixtum cum oleo, & balſamo, ergo utrumq. dicitur tertia ſpecies diſtincta à libro Euangeliorum, & oleo ſancto, ergo adimplemen-

plementum in hac tertia ſpecie non eſt adimplere in forma ordinationis, & ſic nihil fit, & iterum fieri debet ordinatio.

5 Quinto, Eſt text. in c. 1. de ſacr non iter. ubi ſi per errorrem fuerit quis confirmatus oleo ſancto, non chriſmate, debet ſuppleri quod incaute prætermiſſum eſt, ergo a contrario ſi chriſmate unctus eſt, & non oleo ſancto, debet ſuppleri, & iterum ungi oleo ſancto.

Quod vero non ſit iteranda ordinatio, ſic probatur.

6 PRimo, Non porrigitur totum teſtamentum, quin porrigatur liber Euangeliorum, neq. ungitur chriſmate, quin ungatur oleo ſancto, cum utrumq. in utroq. contineatur, ergo ſi ſic ordinatur, & ungitur, eſt bene ordinatus, & unctus, cum debita materia interuenerit ſimul cum præſcripta verborum forma.

7 Secundo, Determinatur materia ab intentione miniſtri, ſed miniſter porrigendo librum totius teſtamenti, tantum ilbrum Euangeliorum porrigere intendit, & non alios, ergo alii libri præter Euangelia non cenſentur porrecti, alias præter miniſtri intentionem.

8 Tertio, Quando aliqua materia determinatur a forma, illa res dicitur adbibita, cui dirigitur forma, & ſi plura, quibus non fuit forma directa, non cenſentur exhibita, ſed in traditione libri totius teſtamenti forma verborum tantum dirigitur libro Euangeliorum, & non aliis, ergo ille tantum dicitur porrectus, & non alii.

9 Quarto, Quando mixtum non facit mutare naturam, & ſubſtantiam ſimplicium ex quibus conſtat, non facit tertiam ſpeciem, Bart. & Doct. in l. 2. ff. de verb. oblig. ſed mixtum balſami cum oleo ſancto, non immutat ſubſtantiam olei, neq. virtutem olei ſancti, ergo chriſma quoad ſe non dicitur tertia ſpecies ſeparata ab oleo ſancto, ſi non eſt tertia ſpecies, ergo unctus chriſmate cenſetur unctus oleo ſancto, & non eſt, ut de nouo ungatur.

Quinto, Eſt text. not. in l. in venditionibus. ff. de contrah. empt. ubi quando conſtat de corpore, de quo conſenſum eſt, licet erretur in materia, ut quia vinum venditum acuerit, & inuentum fuerit
10 acetum, valida eſt venditio, quia in corpore vendito reperitur qualitas ſubſtantialis, de qua contrahentes, quam ſdbſtantialem qualitatem Græci οὐσίαν vocant, ſed in chriſmate reperitur hæc qualitas ſubſtantialis olei ſancti, neque immutatur per balſamum, ergo, &c.

Sexto, Antiquitus vigebat couſuetudo, ut chriſmate ungerentur

infirmi,

infirmi, & videtur annuere text. in c. illud diſt. 95. ubi poteſt Epiſcopus chriſmate ungere infirmos, ergo ſi per errorem fit, non eſt facienda aliqua iteratio.

S O L V T I O.

12 Indubitata eſt concluſio, quod ordinatio non eſt reiteranda, quia ſi Epiſcopus porrexerit librum utriuſque teſtamenti, intendens porrigere tantum librum Euangeliorum, Diaconus dicitur ordinatus, & nulla eſt facienda iteratio, ſicuti etiam ſi ſacerdos ungitur chriſmate, & non ſimplici oleo ſancto, dicitur pariter unctus, ut nulla ſit facienda de nouo unctio, verum tamen eſt, quod in hoc ſecundo caſu unctionis, ſi Epiſcopus, vel ungendus ſcienter contra canonum ſtatuta ſic chriſmate uterentur, peccarent, & puniri deberent, ita Oſt.in c. 1.de ſacram. non iter. quem refert Abb. ibi, & alij Doct.Ang.Silu.Tab.loco ſup.cit.

Et argumenta in contrarium adducta, ſic diluuntur.

13 Ad primum, Liber utriuſq. teſtamenti non accipitur, ut genus, ut ita contineat omnes libros, ut ſpecies prædicamentaliter, ſed eſt totum integrale, quod continet omnes ſuas partes integraliter, ita ut poſito toto, neceſſe eſt, ut ponantur omnes ſuæ partes, poſita domo, ponuntur parietes, & ſic poſito toto teſtamento ponitur liber Euangeliorum.

14 Ad ſecundum, Negatur quod in caſu fiat aliqua mutatio formæ, & ſubſtantialis qualitatis.

Ad tertium, Verum eſt, quando liquor, in quo miſcetur aqua, prçualet, vel ex ſententia Alex.de Ales. ſic inſtitutum eſt à Chriſto Domino, propter puritatem baptiſmi.

Ad quartum, Negatur, quod liber utriuſq. teſtamenti ſit tertia ſpecies diſtincta à libro Euangeliorum, & chriſma ab oleo ſancto.

15 Ad quintum, Non obſtat ille text. quia non unctus chriſmate, ſed tantum oleo ſancto debet ungi de nouo, ſupplendo, ſed non è contra, unctus chriſmate, ergo iterum debet ungi oleo ſancto, ratio eſt, quia qui habet partem, non habet totum, ſed qui totum habet, habet etiam partem, ita in terminis declarat Archidiac. in cap. illud.diſt.95.

Articulus decimusquintus.

Vtrum unctus in una manu, debeat ſuppleri unctio in alia, vel à capite iterum ſit facienda.

S V M M A.

1 *Actus unctionis quotuplex, & quando ſupplendus, & quare n. 8.*

2 *Forma*

2 *Forma non correſpondet materiæ, quando perungitur una manus, non tamen iteranda, & quare, n. 9.*

6 *Vnctio ſine expreſſione formæ, etiam ſi ſuppleatur poſt aliquod tempus. nihil facit, & quare, n. 10.*

4 *Idem ius, quod eſt de toto, quo ad totum, eſt de parte quoad partem.*

5 *Quod prætermiſſum eſt incaute, vel per errorem, debet adimpleri, non iterari.*

6 *In ſollemnibus, non in ſubſtantialibus, ſi quid omittitur, debet ſuppleri.*

7 *Vnctio in una manu eſt ſupplenda, non iteranda ſecundum comm. & n. 12.*

11 *Vnctio prætermiſſa oratione, quare iteretur.*

Quod iterum talis actio ſit facienda ſic probatur.

1 PRimo, Aut actus unctionis eſt indiuiſibilis, aut diuiſibilis, ſi diuiſibiiis, tunc aut unctus in parte eſt perfecte unctus, aut imperfecte; ſi perfecte, ergo nulla eſt facienda ſuppletio, quia fruſtra eſt aliquid poſt perfectionem agere; aut imperfecte, quia ſupereſt peragendum, & tunc nihil eſt actum, & ſic iterum facienda l. fin. C. Ad. Syll. aut indiuiſibilis, & tunc de nouo facienda; ſic communiter Doct. in d. c. presb. de ſacr. non iter.

2 Secundo, Quando una perungitur manus, non poteſt materiæ correſpondere forma, quæ conſiſtit in illis verbis: Conſecrare digneris domine manus iſtas, & ſic in plurali, & non in ſingulari, ergo non ſeruata forma, vel actu ſubſtantiali non adhibito, quo caſu corruit actus, adnot. in c. cum dilecta, & ibi late Felin. de reſcript. & ſic iterum actus faciendus, iuxta doctrinam communem in d. c. presb.

Tertio, Si diceretur ſeruata forma, quando una tantum perungitur manus, & actum ſubſiſtere, ſequeretur, quod actus mendacium contineret, cum una tantum manus ungatur, & duas indicet deprecatio.

3 Quarto, Si quis exerceret unctionem ſine expreſſione formæ, & poſt aliquod temporis ſpatium ſuppleatur oratio, nihil fieret, & iterum facienda eſſet unctio, & è contra admittunt omnes, cum in c. 1. de ſacr. unct. tum in c. presbyter. de ſacr. non iter. ſic dicendũ, ſi quis unam ungeret manum, & poſtea ſupplereiur unctio in altera, neutra diceretur uncta, unde de nouo facienda eſſet unctio.

Quinto, Si ſuppleretur, ſequeretur, quod non poſſit exprimi, vel explicari forma verborum, quod probatur, aut ſupplendo repetitur

tur debita forma, aut diuerſa, aut nulla adhibetur forma, ſi nulla ergo unctio in manu omiſſa nihil eſt, ſi diuerſa, ut ſi in ſingulari,& non in plurali, ergo non ſeruata forma, & ſic nullus actus, ſi debita forma, ergo non correſpondet materiæ, quinimmo mendacium continet, cum una manus ungatur, forma vero duas ſupponat unctas, vel ungi.

Quod vero ſuppleri debeat in manu non uncta, ſic probatur.

4 PRimo, Idem ius, quod eſt de toto, quoad totum, eſt de parte quoad partem. l. quæ de tota. & ibi Gloſſ. & Bart. ff. de rei vendic. ſed in caſu ordinationis, ſi tota omittitur unctio, non iteratur ordinatio, ſed tantum unctio omiſſa. c. unico de ſacr. unction. ergo ſi in ordinatione pars unctionis eſt omiſſa, non tota unctio, ſed pars omiſſa ſupplebitur.

5 Secundo, Eſt text. in c. 1 & fin. de ſacr. non iter. ubi, quod incaute, vel per errorem prætermittitur, ſuppletur, & non iteratur.

6 Tertio, Eſt doctrina communis Doctorum in d. c. presbyter. ubi in non ſubſtantialibus, ſed de ſollemnibus, ut eſt unctio, ſi quid omittitur ſuppletur, dummodo non ſit actus indiuiduus, vel annexus, ergo ſi non ungitur, niſi una, in altera ſuppleri poteſt.

SOLVTIO.

7 COmmunis opinio eſt, quod ſi prætermittitur unctio in una manu, non à capite, ſed ſupplenda eſt, ſic Inn. Oſt. Abb. Henric. Boich, & alii in d. c. presbyter. Ang Silu. Tabien.

Argumenta vero in contrarium adducta, ſic tolluntur.

8 Ad primum, Actus unctionis eſt diuiſibilis, & non eſt ſubſtantialis, neq. annexus, quo caſu dicitur perfecta unctio in parte, non quoad totum, quo caſu alia pars perfici poteſt ſupplendo, ſecundum omnes, & arg. l. fin. C. ad exhib. habet locum in ſubſtantialibus, & indiuiſibilibus.

9 Ad ſecundum, Procederet argumentum, quando unctio eſſet de ſubſtantia ordinationis, ſed quia unctio eſt de ſollemnitate, non impedit ordinationem.

10 Ad tertium, Tenentes hanc opinionem communem nullum mendacium admittunt, quinimmo confirmant, quod ſi quis ſcienter unxerit, peccat grauiter, & eſt puniendus; ſed in iis, quæ ſunt

de

de ſollemnitate propter errorem, vel peccatum non corruit actus, & licet deprecatio ſonet in plurali, ſatis eſt, ut correſpondeat in parte, cum plus contineat minus, arg. l. pœn. & ibi Gloſſ. C. qui bon. ced. poſſ. Bald. in l. conuenticula. C. de Epiſc. & cleric.

11 Ad quartum, Non eſt mirum ſi prætermiſſa oratione, iteratur unctio, quia oratio eſt annexa actui unctionis, ſed unctio unius manus non eſt annexa unctioni alterius, ut ſeparari non poſſit.

12 Ad quintum, Communis Doct. reſolutio eſt, ut ſuppleatur unctio in manu omiſſa, & forma venit exprimenda in ſingulari ad euitandum mendacium, ita Inn. Oſt. & Abb. & alii in d. c. presbyter. Nec miniſter ſic ſupplendo excedit formam, quia quando exceſſus eſt rationabilis, & proximus formæ, non habetur pro exceſſu. Dom. & Fel. in c. cum dilecta de reſcript. n. 21. & ad euitandum mendacium exceſſus de plurali, in ſingulari dicitur legitima de cauſſa, & præfati Doctores admittunt, ergo non habetur pro exceſſu.

Quæſtio octaua, & ultima.

HActenus de artibus, qui tam de ſubſtantia, quam de præcepto ordinationis requiruntur; reliquum eſt, ut octauo loco quæramus, num aliqua ſollemnitas reperiatur neceſſaria, ſine qua nulla clericatus ordinatio fieri poſſit, necne; differt ſollemnitas ab actu quia actus reſpicit perſonam conferentis, vel ſuſcipientis, ut ex ſuperius traditis colligi poteſt, ſollemnitas vero verſatur circa modum, tempus, & locum, ubi fit actus, quod in hac ultima quæſtione, ex diſcuſſione aliquorum articulorum, Deo fauente, explicabitur.

Articulus primus.

Vtrum requiratur intentio miniſtri ordinantis, necne.

S V M M A.

1 *Intentio non dirigit, niſi intendentis operationem.*
1 *Ordinatio recipit efficaciam ab operatione diuina, & intentione miniſtri, & n. 16.*
2 *In quolibet ſacramento duo de ſubſtantia requiruntur.*
3 *Intentio nemini patet, niſi intendenti.*
4 *Minus malum eſt non intendere facere bonum, quam facere malum.*
5 *Dare, & accipere ſunt correlatiua, & n. 19.*

6 Ebrio

6 *Ebrio baptizante, baptiſmus ab eo collatus tenet, quomodo intelligatur n.20.*
7 *Sacerdotis voluntas in adminiſtratione ſacramentorum, neq. obeſt, nec prodeſt. quomodo intelligatur, n.21.*
8 *Operatio non habet efficaciam ſine intentione operantis.*
9 *Operatio quotuplex ſit ad ſalutem neceſſaria.*
10 *Qui utitur voce in alia ſignificatione, ad quam non eſt inſtituta, non dicit, quod vox illa ſignificat.*
11 *Opus, quod eſt voluntatis rationabilis, & deliberata, conſideratione rationis, & directione intentionis exercetur.*
12 *Quæ præter intentionem ſunt, cauſſalia ſunt.*
13 *In ſacramentis multa conueniunt, quæ ut uniantur, non poſſunt colligari ſine intentione miniſtri, ea volentis unire,*
14 *Intentio miniſtri, an ſit neceſſaria triplex eſt opinio.*
14 *Intentio conferentis requiritur tantum in ſacramentis, voluntarijs, non in neceſſarijs ſecundum Gratianum.*
15 *Intentio miniſtri eſt neceſſaria in omnibus ſacramentis, ſecundum communem, & quare, n.19.*
17 *Intentio determinatur per verba.*
18 *Malum quantumuis magnum in ſacramentis non impedit.*

Qnod intentio miniſtri non requiratur, ſic probatur.

1 PRimo, Intentio non dirigit niſi operationem intendentis, ſed ordinatio non recipit efficaciam, niſi ab operatione diuina, ergo non requiritur intentio miniſtri, qui nihil efficaciæ operatur, intentio enim unius, non dirigit opus alterius.

2 Secundo, In quouis ſacramento duo requiruntur de ſubſtantia, verba, & elementum; accedente enim verbo ad elementum, fit ſacramentum, ex ſententia S. Auguſtini, ergo nihil quoad intentionem pertineat.

3 Tertio, Si requireretur intentio, ſequeretur, quod nemo ſciret, num eſſet ordinatus, necne; cum intentio nemini pateat, niſi intendenti; unde ordinati ſubiicerentur diſcrimini, & relinqueretur ſcrupulus hæſitandi in conſcientia, quod eſt abſurdum, & in Eccleſia maxima fieri poſſet deluſio.

4 Quarto, Minus malum eſt non intendere facere bonum, quam facere malum, ſed ſi quis ordinat pretio ſumpto malum intendit, id eſt ſimoniam, & tamen vere ordinem confert, ergo multo magis dicetur conferre ordinem, qui non habet aliquam ordinandi intentionem, & ſic ſimpliciter non faceret bonum.

5 Quinto, Dare, & recipere ſunt correlatiua, unde idem ius, & ratio, ſed ſuſcipientis intentio non requiritur, ergo neq. conferentis.

6 Sexto, Eſt text. in c. dedit. 1. q. 1. ubi ſi ebrius baptizat, tenet baptiſmus, & tamen ebrius ignorat quidquid ipſe facit, ergo actus ordinantis ſine intentione valet, ergo in ſacramentis ex parte conferentis nulla requiritur intentio.

7 Septimo, Eſt text. in c. dictum. 1. q. 1. ubi expreſſe cauetur, quod voluntas ſacerdotis in adminiſtratione, nec prodeſſe, neq. obeſſe poteſt. quia Deus eſt, qui transfundit benedictionem, & non ſacerdos

Quod vero talis intentio requiratur, probatur.

8 PRimo, Nulla operatio ſine intentione operantis habet efficaciam, ſed miniſter in ſacraméto operatur, ergo ut ſit efficax, eius operationi neceſſaria eſt intentio.

9 Secundo, Duo genera operationum ſunt neceſſaria ad ſalutem, operatio virtutum, & ſacramentorum, ſed ſine intentione virtutis operatio eſt inordinata, ergo, & ſacramentorum, & ſic ordinis.

10 Si quis in alia ſignificatione utitur voce, quam ſit inſtituta, non dicit, quod vox illa ſignificat, ergo multo magis, ſi non intendit miniſter facere, quod Eccleſia intendit in ſacramentis, non confertur, quod conferri ſolet, ergo intentio eſt neceſſaria.

11 Quarto, Quod eſt opus voluntatis rationabilis, & deliberatæ, conſideratione rationis, & directione intentionis exercetur, ſed tale eſt opus ſacramenti ordinis, ergo requiritur intentio.

12 Quinto, Quæ ſunt præter intentionem, ſunt caſualia, ſed eſſe caſuale, non competit ſacramento, ergo non poteſt eſſe ſine intentione.

13 Sexto, In ſacramento multa concurrunt, quæ ut uniantur ad ſacramentum conficiendum, non poſſunt colligari ſine inteutione miniſtri, qui vult illa unire, ergo neceſſaria.

S O L V T I O.

14 IN hoc articulo tres reperiuntur opiniones, Prima eſt hæreticorum, qui nolunt ſacramentis aliud tribuere, præter internum ſymbolum, refert Soarez. tom. 3. q. 64. art. 10. diſp. 13. ſect. 2. Alia eſt, ut intentio conferentis requiratur in ſacramentis voluntariis, non autem in neceſſariis, ut Grat. & alii, quos refert Oſt. in ſumm

de

de bapt. n. 16. qui videtur ſentire non eſſe neceſſariam, per text. in c. dedit. 1. q. 1. & miror, quod tantus vir, huiuſmodi verba ſcripta reliquerit; ideſt, non requiratur à baptizante intentio, quæ pro baptizato ſit, dummodo contraria non adſit, ut in ebrio, qui neſcit quid faciat.

15 Tertia, & communis opinio eſt, quod intentio miniſtri ſit neceſſaria in ordinatione, ſicut in aliis ſacramentis, ita ut ſi miniſter nullam haberet intentionem conferendi ſacramentum, iuxta intentionem Eccleſiæ, nihil efficeret, & nihil conferret, Alex. de Ales. p. 3. q. 15. & 4. q. 13. memb. 1. S. Thom. 3. p. q. 64. art. 8. S. Bonau. lib. 4. diſt. 6. q. 1. Gloſſ. & Inn. in c. 2. de bapt. & in c. ſolet, & in c. non aliud. de confecr. diſt. 4. ibid. Archid. in propriis terminis ſacramenti ordinis. S. Ant. p. 3. c. 13. de bapt. §. 10. Nicol. de Plou. p. 6. c. 1. Hadr. p. 1. de ſacram. Viguer. de ſacram. c. 16. verſ. 6. Ang. verb. baptiſm. §. 5. Silu. §. 3. Tab. §. 6. Turrecrem. in d. c. non aliud de conſecr. diſt. 4. Nauarr. c. 26. verſ. 8. Steph de Gaet. in d. c. ad limina. 30. q. 1. §. 1. n. 47. Soarez. ſuprad. q. 64. Henriquez de ſacram. in genere. c. 10. Concil Flor. in decreto Eugenii. Concil. Trid. ſeſſ. 7. c. 11. ubi anathematizatur contrarium ſentiens.

16 Ad primum reſpondetur, Licet in ſacramento principale opus ſit diuinum; tamen ſic fuit inſtitutum, ut miniſterio hominis fieret, ſed hoc miniſterium homo præbere non poteſt ſine intentione, quia non eſt inſtrumentum inanimatum, ſed animatum, quod ſine intentione moueri non poteſt.

17 Ad ſecundum, Verba deſeruire debent intentioni, ideo proferri non poſſunt ſine intentione proferentis, ergo tunc dicitur verbum accedere ad elementum, quando intentione profertur, ut accedat.

Ad tertium, Ex ſent. Alex. S. Bonau. Turrecrem. & aliorum pie credendum eſt, quod in tali caſu Deus reuelaret, vel Chriſtus Dominus, qui eſt ſummus ſacerdos ſuppleat infinita ſua miſericordia, & prouidentia.

18 Ad quartum, Tunc procedit argumentum, quando malum eſſet impedimento ſacramentis, ſed malum, quantumuis magnum non impedit, ſed defectus ſubſtantialium, ut defectus intentionis.

19 Ad quintum, Non eſt eadem ratio dantis, & ſuſcipientis. Vnde non eadem diſciplina, quia in conferente ideo requiritur intentio, quia requiritur eius miniſterium; ſed ſuſcipientis nullum opus requiritur, ergo nulla intentio, qua poſſit dirigi opus operantis.

20 Ad ſextum, Ebrius dupliciter conſideratur, primo in actu indi-

ſpoſitionis,& tunc, cum careat ratione, non eſt aptus ad conferendum, cum non poſſit aliqua intentione moueri; alio modo, non in actu, ſed quia eſt ſolitus inebriari, & potius ebrioſus, quam ebrius dici debet, & ſic non prohibetur collatio,& hoc modo declaratur textus in d.c. dedit,ut videre eſt Turrecrem. in d. c. non aliud. de conſecr.diſt.4.

10 Ad Septimum, Text.in d.c.dictum,non dicit, quod non refert, ſi deficit voluntas,ſed dicit, quod voluntas qualis fuerit neq. obeſt,nec prodeſt, agitur ibi de bona, vel de mala voluntate, quia non requiritur recta ad conficiendum ſacramentum, ad quod dummodo ſit intentio,non refert an bona, vel mala ſit,ſic ibi Gloſſ.

Articulus ſecundus.

Vtrum in ordinatione requiratur recta intentio miniſtri, necne.

S V M M A.

1 *Intentio requiritur ad recte, & perfecte ordinandum. n. 2. & 3.*
2 *Minus malum eſt nihil intendere, quam peruerſe intendere.*
3 *Opus bonum, vel malum denominatur ab intentione.*
4 *In ſacramentis requiritur intentio faciendi, quod intendit Eccleſia.*
5 *Oculus denotat intentionem.*
6 *Intentio peruerſa eſt peior iocoſa.*
6 *Intentio iocoſa impedit ſacramentum.*
7 *Quod ad perfectionem requiritur eſt perfectum.*
8 *Epiſcopus hæreticus, vel ſimoniacus poteſt ordinare.*
9 *Ordinatio non impeditur ex malitia ordinantis.*
10 *Intentionis rectitudo, vel obliquitas, qualificat voluntatem, non opus ſacramenti.*
10 *Intentio requiritur ob rectitudinem, & perfectionem operis, non voluntatis.*
11 *Prius non pendet a poſteriori, maxime quando ſunt ad inuicem ſeparabilia.*
11 *Intentio recta, vel non recta reſpicit effectum ſacramenti, non ſubſtantiam, & perfectionem.*
12 *Finis duplex eſt,& quid.*
12 *Intentionis rectitudo duplex, & quæ requiratur in ſacramentis.*

Quod in ordinatione recta requiratur intentio,ſic probatur.

1 PRimo, Intentio requiritur ad bene, & perfecte ordinandum,ſed recta, & perfecta ordinatio non poteſt eſſe, ſi intentio non eſt recta, ergo recta requiritur.

a Se-

2 Secundo, Minus malum eſt nihil intendere, quam peruerſe intendere, ſed nulla exiſtente intentione, nulla fit ordinatio, ergo fortius exiſtente peruerſa, nulla erit ordinatio.

3 Tertio, Bonum opus, vel malum denominatur ab intentione, quæ requiritur in opere, ſed in ordinatione requiritur intentio, ergo recta ordinatio à recta intentioue procedit.

4 Quarto, In ſacramentis requiritur intentio faciendi, quod intendit Eccleſia, ſed hoc modo eſt rectæ intentionis, quia intentio Eccleſiæ eſt recta, ergo requiritur recta intentio.

5 Quinto, Facit illud Luc. 12. Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus erit tenebroſum, ſed oculus eſt intẽtio, ergo recta requiritur.

6 Sexto, Peruerſa intentio eſt peior iocoſa, ſed iocoſa impedit ſacramentum, ergo magis peruerſa, ergo &c.

7 Septimo, Quod requiritur ad perfectionem, aut eſt perfectum, aut imperfectum, imperfectum non poteſt eſſe ad perfectum, ſi perfectum, ergo habemus intentum.

Quod vero non requiratur, ſic probatur.

8 PRimo, Hæreticus Epiſcopus, vel ſimoniacus poteſt ordinare, & tamen habet intentionem peruerſam, nimirum ordinatam in ſuam hæreſim trahere, vel quæſtum temporalem trahere, ergo non requiritur recta.

9 Secundo, Ordinatio non impeditur ex malitia ordinantis, c. non aliud de conſecr. diſt. 4. ſed peruerſa intentio pertinet ad malitiam, ergo ex non recta non impeditur.

10 Tertio, Rectitudo, vel obliquitas intentionis qualificat voluntatem, non opus ſacramenti, ſed intentio requiritur ob rectitudinem, & perfectionem operis non voluntatis, ergo recta non requiritur.

11 Quarto, Si recta requireretur, ſequeretur, quod prius penderet à poſteriori, quod eſt abſurdum dicere, maxime, quando ſunt ſeparabilia ab inuicem, cum recta, vel non recta reſpiciat effectum ſacramenti non ſubſtantiam, & perfectionem.

S O L V T I O.

12 SIcut duplex eſt finis alicuius rei, ita duplex reperitur rectitudo intentionis, quæ reſpicit finem, unus finis eſt perfectio, & complementum rei, quod complementum, & perfectio dicitur recti-

tudo rei,& intētio ad illā perficiendā,&hoc modo requiritur recta, quia eſt ad finē rei, quam intēdit perficere,& requiriturde ſubſtāria rei;alius finis eſt utilitas,quam conſequimur ex re perfecta, & tunc ad hanc conſequendam utilitatem requiritur rectitudo intentionis, quia ſi eſt peruerſa,non poteſt ſic peruerſe intendens conſequi finem, vel utilitatem ſacramenti, licet talis poſſit ſacramentum conficere; hæc eſt communis reſolutio,ut videre eſt Alex. de Ales. de ſacram. bapt. q. 8. membr 3. art. 1.§. 1. S.Thom. S. Bonau. Sot.loco ſupracit. Turrecrem.in c.cum illud.de conſecr.diſt.4.q.2.

Hac diſtinctione diluuntur obiectiones pro parte affirmatiua,quia concludunt ,quoad rectitudinem voluntatis,non autem quoad rectitudinem, & perfectionem operis ſacramenti.

Articulus tertius.

Vtrum hæc intentio miniſtri requiſita de ſubſtantia ſacramenti debeat eſſe mentalis ſacramenti actum interiorem reſpiciens, an vero ſimplex actum exteriorem attendens, nimirum ſolummodo materiam cum forma coniungere.

S V M M A.

1 *Eccleſia in ordinatione,quid facere intendat.n.17.*
1 *Miniſter debet intendere, quod intendit Eccleſia.*
2 *Sacramentum eſt ſignum ſenſibus patens. & n.18.*
3 *Intentio qua requiratur in ordinatione, & n.19.*
3 *Intentio ſequitur cogitationem.*
4 *Sacramenta conferens non videtur aſtringi habere intentionem faciendi, quomodo intelligatur.n.21.*
5 *Ordinans, vel baptizans ludendo, vere ordinat, & baptizat,quomodo intelligatur.n.22.*
6 *Inſtrumentum agens in aliquo opere, poteſt non intendere facere, quod facit principale agens, quando ſit verum.n.23.*
6 *Operantis intentio non poteſt aſcendere ultra eius operationem.*
7 *Miniſter in ſacramentis non eſt principale agens,*
8 *Dominus, quando vendit per ſeruum, non vitiatur contractus, etiam ſi ſeruus non intendat vendendo transferre dominium rei.*
9 *Matrimonium contractum per nuntium,etiam ſi nuntius non intendat facere, quod principalis, eſt validum.*
10 *Intentio reſpicit finem.*

10 Finis

10 *Finis exprimendi verba,& porrigendi materiam in ordinatione eſt facere ſacramentum ordinis.*

11 *Intentio eſt motus animi.*

12 *Conſecrans ludendo nihil facit,& quare.*

13 *Actus,& prolationes profanæ diſtinguuntur ab actibus,& prolationibus Sacramenti.*

14 *Intentio mentalis in ordinatione an requiratur,triplex opinio.*

14 *Intentio mentalis in ordinutione uon requiritur,ſecundum aliquos,quorum ſententia communiter reprobatur.*

15 *Intentio mentalis adeo requiritur,ut non ſufficiat intendere, quod intẽdit Eccleſia ſecundum Scot.qui etiam reprobatur.*

16 *Intentio mentalis,nimirum facere,quod facit Eccleſia,quodque inſtituit Chriſtus Dominus requiritur in ordinatione ſecundum cõmuniorem ſententiam.*

19 *Intentio eſt triplex.*

20 *Certitudo,quod quis ſit ordinatus ſatis eſt,vt ſit probabilis.*

22 *Iocare dupliciter poteſt conſiderari.*

Quod ſufficiat intentio ſolum actum exteriorem reſpiciens, nimirum præbendi materiam.& ſimpliciter exprimendi verba,ſic probatur.

1 PRimo,Eccleſia nihil aliud videtur intendere,niſi facere actum exteriorem,nimirum præbere materiam,& exprimere formã, ſed miniſter debet intendere quod intendit Eccleſia,ergo.

2 Secundo, Sacramentum proprie dicitur, quod ſenſibus extra patet, ergo circa illud, quod extra eſt, debet eſſe intentio ordinantis.

3 Tertio, Si mentalis, & interior illa intentio requireretur, ſequeretur, quod facile poſſet fruſtrari, & impedire Sacramentum, quandoquidem intentio ſequitur cogitationem.cogitatio vero frequenter ad alia rapitur,ergo quodam modo quis obligaretur ad impoſsibile.

Quarto, Si mentalis,& interior illa intentio requireretur, ſequeretur,quod nemo eſſet certus,an verum Sacramentum ordinis ſuſceperit,nec ne,& hoc modo poteſt deriuari maxima deluſio in Eccleſia,cum ſolus Deus ſit ſcrutator cordium.

4 Quinto, Quinimmo neq. quis aſtringi videtur habere intentioné faciendi,quia Eccleſia non intendit ludere,neq. ob aliquem finem tẽporalem, vel ob aliquod malum,Eccleſia enim,nec ludere, nec ſi-

5 milia intendit,& nihilominus ſiquis ludendo ordinat, vel baptizat vel ob malum finem facit,eſt ordinatus,& baptizatus capit.ſolet. de conſecr.diſt.4.ergo ſufficit ſimplex intentio faciendi tantum actum exteriorem.

6 Sexto,Quando miniſter non eſt principale agens in aliquo opere, ſed tantum inſtrumentum,tunc non requiritur,quod intentio miniſtri ſit faciendi id,quod facit principale agens,quia intentio operantis non poteſt ſe extendere ultra eius operationem, ſed miniſter non
7 eſt principale agens, quinimmo nihil aliud facit,niſi exprimere verba, & præbere materiam,ergo non eſt ei neceſſaria intentio faciendi ea,quæ Chriſtus, vel Eccleſia facit, cum eſſet intendere ultra ſuum opus.

Septimo. Sicuti quando dominus per ſeruum ſuum vendit rem,
8 non vitiatur contractus, ſi ſeruus vendendo non intendit transferre dominium rei venditæ, ſic miniſter præbendo materiam & exprimendo formam,licet non intendat,quod Eccleſia, tamen fit ſacramentum.

9 Octauo,Si quis per nuntium contrahit matrimonium, & ſi nuntius non intendit facere,quod principalis,tenet tamẽ matrimonium vt ſi quis ſtipulam igni apponit,licet non intendat ardere,tamen cõburitur,ergo.

Quod vero requiratur intentio mentalis actum interiorem reſpiciens,& faciendi,quod intendit Eccleſia ,ſic probatur.

10 Primo,Intentio finem reſpicit,ſed finis exprimendi verba,& porrigendi materiam eſt facere Sacramentum ordinis, et quod intendit Eccleſia ergo.

11 Secundo,Superius dictum eſt intentionem requiri miniſtri,ſed intentio eſt motus animi,ergo intentio debet eſſe mentalis,& non ſolũ exprimendi verba exteriora ſignificantia.

12 Tertio,ſi non requireretur mentalis intentio, ſed tantum ſufficeret verborum expreſsio, qui ludendo conſecraret,validum eſſet Sacramentum,ſed hoc eſt falſum.adnot. in d.c.ſolet de conſecr.diſt. 4. igitur.

13 Quarto,ſi non eſſet neceſſaria mentalis intentio, ut plurimum nõ eſſet differentia inter actus, & prolationes profanas,& inter actus, & prolationes Sacramenti,ſed hoc dicere eſt abſurdum,ergo requiritur mentalis intentio,qua diſtinguuntur.

Solu-

SOLVTIO.

14 IN hoc articulo tres reperiuntur opiniones, Prima eſt dicentium, non requiri intentionem mentalem, ſed tantum applicationem, materiæ cum forma, & ſic ſufficere actum exteriorem; hanc opinionem ſequi videntur Hoſt. Ang. Silu. & Palud. dixit eſſe probabilem. ſed hac opinio communiter reprobatur, ut videre eſt Palud. diſtinct. 6. quæſt. 2. artic. 3. Durand. diſtinct. 6. quæſtio. 2, & alios impugnantes.

15 Secunda opinio eſt Scoti, qui ſentit requiri adeo mentalem intentionem, vt non ſufficiat intendere, quod intendit Eccleſia, ſed opus ſit cogitare de actu interiori, qui eſt effectus Sacramenti, hæc quoq. opinio communiter reprobatur, ut ex pluribus impugnat Sot. diſt. 1. q. 5. art. 8.

16 Tertia opinio, quaſi tenens medium, quod requiritur intentio mētalis, nimirū facere, quod facit Eccleſia, quodq. inſtituit Chriſtus Dominus, neq. eſt neceſſaria intentio ſpecialis, ſed generalis, & confuſa, & hæc eſt opinio communis, ut videre eſt Alex. de Ales S. Tho. S. Bon. Dur. Palud. Sot. Turrecrem. & alios, quos congerit Soarez, qui de communi teſtatur in d. q. 64. p. 3.

17 Ad Primum ergo, Eccleſia aliud non intendit, niſi exterius facere quoad opus, ſed quoad effectum finalem, aliud etiam intendit, nimirum ut quod extra facit, interius fiat à Deo.

18 Ad Secundum, Sacramentum eſt ſignum patens ſenſibus, ſed quia ſignum refertur ad ſignatum, quod eſt interius, ergo quoad ſignum patet ſenſibus, non quoad ſignatum interius.

19 Ad Tertium, Triplex eſt intentio, actualis, virtualis, & habitualis; non eſt neceſſaria actualis, quæ eſt difficilis, ſed ſufficit virtualis, & ſecundum aliquos habitualis, & vtraq. facilis.

20 Ad Quartum, Hæc certitudo ſatis eſt, ut ſit probabilis, quia cæterū ſupplet ſummus Sacerdos Deus, cuius prouidentia omnia occulta reuelantur, ne Eccleſia deludatur.

21 Ad Quintum, Duo intendit Eccleſia ideſt facere Sacramentum, & conſequi vtilitatem Sacramēti, ſufficit igitur intendere quoad pri-

22 mum, non quoad ſecundum, vel dici poteſt, quod iocare dupliciter poteſt conſiderari primo fingere, & non vere facere quod fingit, & hoc modo iocando nullum fit Sacramentum; Secundo non fingere, ſed vere facere, licet iocādo fiat, & hoc modo fit Sacramentum;

eſt

eſt communis reſolutio Doct.in d.cap.ſolet.de conſecr. diſt. 4. & ibi Arch. Turrecrem & alij.

23 Ad Sextum, Procedit in inſtrumento inanimato, quod mouetur à principali, & non requiritur intentio, ſed animatum indiget intētione, neq. eſt ultra eius operationem; quia licet interius ſit opus diuinum, tamen Deus noluit operari ſine exteriori humano, quod enim à miniſtro fit, ea intentioni fit, quæ interius reſpicit, iuxta intentionem Eccleſiæ, tunc procederet argumentum quādo principale agens operaretur ſine inſtrumento, & miniſtro.

Ad Septimum, & Octauum, Non eſt paritas rationis, quia in contractibus ſatis eſt, ut intendat principale agens, licet ſeruus nihil intendat, ſecus in ſacramentis, quia non intendit Eccleſia, niſi mediāte intentione miniſtri.

Articulus quartus.

Vtrum ſit neceſſaria actualis intentio, vel habitualis, vel actualis.

S V M M A.

1 *Quod in aliqua operatione diuinitus requiritur, præcipuum, ac nobilius eſſe cenſetur.*

1 *In ſacramenti miniſterio requiritur a Deo intentio miniſtri de ſubſtantia n.2.*

2 *Verborum prolatio, & exhibitio materiæ in ſacramentis eſt actualis.*

3 *Intentio eſt triplex*

3 *Intentio virtualis, dicitur ex vi primæ actualis, & quomodo, & n.15. 16. & 17.*

4 *Intentio habitualis in ordinatione non eſt ſufficiens. ex communi. ſent. & n.12.*

4 *Quod habitu acquiritur fit quaſi connaturale, & non facile amittitur.*

5 *Intentio virtualis dicitur virtute prima, quæ fuit, & non eſt, quomodo intelligatur. n. 18.*

6 *Habitus eſt medium inter actum, & potentiam.*

7 *Sacrificium pro aliqua perſona craſtina die cum intentione faciendum, etiam ſi offerens nihil tunc intendat, valet ſacrificium illi perſonæ, & quare n.21.*

8 *In poteſtate noſtra non eſt, ut non rapiamur ad diuerſas cogitationes, & nume.13.*

9 *In-*

9 *Intentio non actualis ex communi ſententia non eſt habitualis.*
10 *Intentionis ſpecies varia.*
11 *Intentio actualis, virtualis, & habitualis, quæ ſint.*
12 *Intentio virtualis in ſacramentis eſt neceſſaria, licet perfectior actualis ex communi Sent. & vtiliſsima n. 13*
14 *In miniſtri arbitrio conſiſtit formam proferre, & materiam exhibere.*
16 *Magis, & minus nõ faciunt differre ſpeciem intentionis.*
17 *Intentionis operatio dupliciter poteſt conſiderari.*
18 *Intentio virtualis idem operatur moraliter, quod realiter actualis, & quare. n. 19.*
20 *Intentio habitualis in ſacramentis ſufficit ſecundum* S. Thom. *& alios, quomodo intelligatur.*
22 *Intentio remota, uel interpretatiua, quæſit.*
23 *Intentio abſoluta, quæ.*
23 *Intentio conditionalis poteſt eſſe reſpect rei præteritæ, præſentis, & futuræ, & quando in abſolutam redigatur.*
24 *Epiſcopus diſponens generaliter ſe excommunicatos non ordinaturum ſi in ſpecie aliquem excommunicatum ordinat, eſt ualidus ordo, ſicut diſponens in ſpecie.*
25 *Intentio erronea quæ, & quando ſacramentum impediat n. 26.*

Quod actualis intentio in ordinatione ſit neceſſaria, ſic probatur.

1 PRimo, Quod in aliqua operatione diuinitus requiritur præcipuũ & nobilius eſſe cenſetur, ſed in hoc diuino miniſterio ſacramenti à Deo requiritur intentio miniſtri, Conc. Trid. ſeſſ. 7. c. vndecimo, ergo præcipua, ac nobilior requiritur, maxime in tam mirabilis ſacramento, ubi principale agens eſt Deus, ergo actualis eſt neceſſaria, quæ eſt præcipua.

2 Secundo, Intentio requiritur de ſubſtantia ſacramenti, ſicut probatio verborum, & exhibitio materiæ, ſed prolatio verborum, & exhibitio materiæ eſt actualis, ergo pariter intentio actualis eſſe debet.

3 Tertio, Triplex eſt ex Doctorum ſententia, intentio actualis, virtualis, & habitualis, habitualis non ſufficit, ut infra videbimus, virtualis dicitur ex vi primæ actualis, & hoc aut eſt per modum, cauſſa, & tũc ceſſante prima deberet ceſſare virtualis, ut effectus primæ; aut per- mo-

motû diſpoſitionis,& tunc,aut hæc diſpoſitio remanet in voluntate, & non poſſet operari exteriùs ſine actu interno, & ſic non diſtinguitur ab actuali,aut remanet in potentijs exterioribus externis, & hoc non poteſt eſſe ex virtute ſic influente,ergo virtualis nullo modo datur,ergo ſequitur,quod requiratur actualis.

4 Quarto,Habitualis non eſt ſufficiens ex Doctorum omnium ſententia,ſed habitualis videtur ſolidior virtuali,quia quod habitu acquiri-
5 tur,difficile amittitur & quaſi connaturale fit; uirtualis vero dicitur virtute primæ,quæ fuit,& non eſt, ergo non videtur,quomodo poſſit operari virtus non entis;ergo ſi habitualis, quæ eſt ſolidiori non eſt ſufficiens,multo minus virtualis,quæ eſt reſpectû non entis,ergo neceſſaria actualis;

5 Quinto,Si non eſſet neceſſaria actualis,ſed ſufficere virtualis,ſequeretur,quod quis poſſet intendere confecturum ſe ſacramentum, tali die,& vnius menſis,vel anni moram facere,quia ſic in hoc ſpatio nõ haberet contrariam intentionem,neq. ageret contrarium, & operatio videtur facta virtute primæ, cùm nulla videatur differentia inter hanc,ubi tanta mora adhibetur, & illam,quæ ſine intermedio moræ ſubſequitur, cum actiones intermediæ non videantur impedire intentionem.

6 Sexto,Videtur habitualis eſſe maioris efficaciæ, quam virtualis, quia habitualis eſt proximior actuali,cum habitus ſit medium inter actum, & potentiam, Alex.de Ales 4.q.8.membr.8 art.3.cum virtualis non poſsit dici proxima actuali, quæ iam ceſſauit,ergo ſi habitualis non eſt ſufficiens,multo minus ſufficere videtur virtualis,ergo neceſſaria actualis.

Septimò,Ex ſent.S.Thom.3.p.q.64.art.8.ad 3.videtur ſufficere habitualis ergo virtualis non neceſſaria.

7 Octauo,Offerens ſacrificium pro aliqua perſona craſtina die facturum,poſteà ſi in poſterum nihil intendatur,valet ſacrificium applicatum illi perſonæ;virtualis eſſe non poteſt igitur remanet in habitu, ergo non neceſſaria virtualis.

Quod vero non ſit neceſſaria actualis, nec ſufficiat habitualis, & ſufficiat virtualis ſic probatur.

8 Primo,Si neceſſaria eſſet actualis,ſequeretur,quod miniſter obligaretur, quaſi ad impoſsibile, cum in nullius poteſtate ſit, ne quis de una ad aliam rapiatur cogitationem iuxta illud pſalm. Cor noſtrum dereliquit nos.

Secundo,Sequeretur quod nemo eſſet certus;hinc infiniti ſcrupuli,

li,& maxima deluſio.

9 Tertio, Non actualis excomm. Doct. ſent. non habitualis, quia ſi ſic ebrius, inſanus, & rationis uſum impeditum habens ſacramen um conficeret contra ueritatem, ergo virtualis ſufficit, neq. actualis neceſſaria, neq. habitualis ſatis eſt.

SOLVTIO.

10 Doctores tradunt uarias intentionis ſpecies, vt eſt uidere hac in re Sorum & Soarez alia enim eſt actualis, alia habitualis, alia uirtualis, alia remota, & interpretatiua, alia abſoluta, alia conditionalis, alia certa, alia erronea, quæ ſpecierum uariatio recipit uariasque ſtionis ſolutiones, ut infra patebit.

11 Actualis dicitur, quando actu elicitur uoluntas conficiendi ſacramentum tempore, quo fit exterius. Habitualis, quando præceſsit, ſed in nullum profluit effectum. Virtualis, quando præceſsit, & profluit in extremam actionem, quo tempore licet nulla exiſtat intentio, tamen uirtus primæ comitatur illam externam actionem.

12 Communis ergo eſt ſententia, quod actualis licet perfectiſsima ſit & unuſquiſq. omnem curam adhibere tenetur, ut in conficiendis ſacramentis huius ſit intentionis, nihilominus non eſt neceſſaria, licet vtiliſsima, ſufficit enim uirtualis, nequaquam habitualis. Hanc eſſe ueriorem, & magis communem, dicit Petrus de Palud. diſt 6. refert. S. Ant. c. 23 §. 10. hanc eſſe opinionem S. Th. Palud. & Scoti. refert Silu. n. Baptiſmus. §. 4. n. 12. Ang. ibid. §. 5. n. 7. Tab. ibid. §. 6. nu. 7. Viguer. c. 16. verſ. 6. Arm. ibid. n. 48. diffuſe Sot. in 4. diſt. 1. q. 5. art. 8. Caiet & omnes Thomiſtæ ſequuntur teſtatur Henric. de ſacram. c. 10. recentius Soar. p. 3. q. 69. artic. 10. diſp. 13. Sect. 3.

Obiectiones uero ſic diluuntur.

13 Ad Primum, Actualis vtiliſsima eſt, quoad vtilitatem, & fructum ſacramenti, quoad perfectionem ſacramenti ſufficit uirtualis, licet ſit inferior actuali, nihilominus, eſt ſufficiens, cum non ſit in noſtra poteſtate, quin abſtrahamur, & de vna ad aliam cogitationem rapiamur.

14 Ad Secundum, Non eſt eadem ratio præſtationis formæ, & materiæ, & intentionis, quia in arbitrio miniſtri conſiſtit formã proferre, & materiam exhibere, quo ſecus eſt in intentione; unde de vno ad alterum non infertur.

15 Ad Tertium, Circa ſolutionem huius argumenti laborant Do-

Digitized by Google

ctores innititur Richard. ſoluere, conſiderando ſicuti lapidis proiectus durat ceſſante manus operatione ex impetu primæ operationis, ſic uirtualis; ſed ſi recte inſpiciatur hic phiſycus, & naturalis proiectus non reperitur in caſu, quia hoc modo non ceſſat eſſe actualis, cũ uis naturalis primæ operationis duret in proiectione, & ſic non dicitur ſolutum argumentum, ut late refellit Soarez.

16 Alia eſt reſponſio ipſius Soarez, qui opinatur, in uſu externæ actionis ſuſcitari quandam actualem intentionem adeo remiſſam, ut illã non ualeamus reperire. Sed hæc reſponſio dupliciter tollitur, primo quia ſi hoc eſſet uerum, ſequeretur, quod, aut nunquam quis abſtrahatur, cum enim remiſſe intendat, non poteſt ad aliud intendere, & ubi rapimur de una cogitatione ad aliam, tunc nulla intentio, quantumuis remiſſa intereſſe poteſt. ſecundo ſi adeſt remiſſa, ergo actualis, cum magis, & minus non faciant differre ſpeciem intentionis, & ſic excluditur uirtualis.

17 Alio modo poteſt reſponderi, & bene iudicio meo, conſiderando intentionem, & operationem intentionis dupliciter; primo phyſice, & hoc modo non poteſt procedere in intentione ex ſuperius deductis; ſecundo modo moraliter, uel ciuiliter, & unc non per modum cauſæ, uel diſpoſitionis naturalis, ſed ciuilis; quod uirtualis ciuiliter ſupplet pro actuali, ex quod difficillime actualis exhibeatur, quaſi uirtute actualis, cum loco ipſius uirtualis ſub intret, quaſi quodam iure ciuili inductum ſit, ut dum contraria, & alia impediens intentio in medio non intercedat, prima cenſeatur, ut ualeat, ac ſi duraret ſupplẽdo id, quod in poteſtate noſtra nõ eſt.

18 Ad Quartum, & Sextum, Licet uirtualis ſit reſpectu eius, quod fui tamen ciuiliter, ſed non phyſyce, remanet uirtus primæ in uſu exterioris operationis, quæ idem operatur moraliter, quod actualis realiter, arg. l. unic. C. de rei uxor. act. & hoc modo intelligendo, negatur, quod habitualis ſit fortior, & ſolidior uirtuali; cum uirtualis quo ad perficiendum ſacramentum ſit eiuſdem efficaciæ, cuius eſt actualis, cuius non eſt habitualis.

19 Ad Quintum, Maxima differentia eſt inter unum, & alium caſum, quia ideo uirtualis operatur, quia non eſt in poteſtate noſtra, quin actualis deficiat, ideo uirtuali moraliter ſuppletur, ſed intentio faciẽdi tali die poteſt facile renouari actu; hinc eſt quod ſi non renouatur, non eſt efficax uirtualis, cum uirtus à tali mora, & ſpatio interumpatur, ita ut actu indigeat.

20 Ad Septimum, S. Thom. & alij. qui dixerunt habitualem ſufficere, in-

intellexerunt pro uirtuali, quæ eſt habitualis, non aliqua mora, uel negotio interupta; uirtualis enim procedit etiam ab habitu, qui eſt in ter actum, & potentiam. Adde quod S. Thom. mendoſe legitur, uitio librariorum, ſufficere habitualem. ſed uirtualem debet legi, ut habetur in margine nouorum librorum. Sicut etiam corrupta eſt lectio, qua in nouis quibuſdam codicibus, actualem; legitur. nam ibi de uirtuali loquitur, ut patet ex eius uerbis.

21 Ad Octauum, In oblatione ſufficit propoſitum. ideo habitualis eſt ſufficiens. ſecus eſt in ſacramentis, in quibus neceſſaria eſt operatio; unde habitualis non ſuſſicit, cum non profluatur cum effectu, ſed actualis, uel ſaltem uirtualis requiritur, quæ eſt operatiua.

22 Intentio uero remota, uel interpretatiua eſt, quando, u.g. ebrius adhibet formam, & materiam, quam actionem, quis arbitrari poteſt fieri cum intenentione conficiendi ſacramentum, & ideo interpretatiua dicitur, ſed quia eſt ebrius, dicitur hæc intentio remota ab eo, cum uſum rationis liberum non habeat, & hæc remota, & interpretatiua non ſufficit. ita Soarez loc. cit.

23 Intentio abſoluta eſt illa, quæ eſt ad differentiam conditionalis, quæ ut intelligatur, ſciendum eſt, quod conditionalis poteſt eſſe reſpectu rei præteritæ, præſentis, & futuræ; ſi præteritæ, uel preſentis rei eſt, conditio, tunc redigirur in abſolutã, & hæc eſt efficax. ut ſi es prædeſtinatus, ſi non hæreticus, ſi non excommunicatus es. Tenet autem hoc ſacramentum hac conditione factum, quia eſt in eſſe, quod in cõditione ponitur, & non pendet a futuro euentu. quinimmo. ſi Epiſcopus generaliter diſponit non eſſe ordinaturum ſe excommunicatos, tamen ſi in ſpecie aliquem excommunicatum ordinat, confertur ordo. ſecus eſt ſi in ſpecie dixerit, ſi tu non es excommunicatus, ita Soarez loco cit.

25 Intentio eronea eſt u.g. ſi quis baptizat puellam, credens, & intẽdens baptizare maſculum, uel ordinat Petrum intendens ordinare

26 Ioannem; quo caſu diſtinguendum eſt. etenim ſi præciſe intendit baptizare puellam, & non maſculum, uel ordinare Ioannem, & non Petrum, tunc non conficitur ſacramentum ex defectu intentionis; Si uero præciſe aliquem intendit baptizare, tamen quem baptizat, intẽdit baptizare, licet erret in ſexu, uel perſona, tenet tamen ſacramentum, ita Soarez loc. citat. Henric. cap. 10. Gloſſ. & Archid. 29. q. 1 in princ.

Digitized by Google

Articulus quintus

Vtrum ſuſcipientis intentio requiratur, nec ne.

S V M M A.

1 *In Sacramentis omnibus, præter ordinem, requiritur conſenſus, & quar n.26.*
2 *Actus ubi requiritur, requiritur ad illum actum intentio agentis.*
3 *Verba formæ Sacramenti ordinis non ſunt oblatoria, ſed poteſtatiua. & quare. n 28.*
4 *Correlatiuorum eademeſt diſciplina, quando verum. n.29.*
5 *Ordinibus ſacris eſt annexum votum continentiæ.*
6 *Characteris impreſſio impeditur per obicem contrariæ voluntatis ſuſcipientis obſiſtentem.*
7 *Aegroti, ſi non poſſunt reſpondere, debent baptizari, dummodo alij teſtimonium afferant de voluntate illorum.*
8 *Deus nullum iuſtificat ſine eius voluntate. & quare. n. 32.*
8 *Beneficia inuito conferri non debent.*
9 *In matrimonio requiritur contrahentium conſenſus.*
10 *Ordinis ſacramentum non conſideratur ſine ſubiecto ſuſcipientis.*
11 *In ordinis ſacramento committitur officium, & poteſtas.*
12 *In Epiſcopatu requiritur conſenſus, & quare n. 35.*
13 *Ordinis ſacramentum eſt ex inſtitutione diuina.*
14 *Suſcipiens in ſacramentis dicitur patiens.*
15 *In baptiſmo, quare requiratur intentio. & n.22. & 51.*
15 *Actus ſuſcipientis in ſacramento ordinis, non requiritur, & n.17. ſed libera ſuſceptio. n. 38.*
16 *Rationis uſus in ordinatione non requiritur, de neceſſitate ſacramenti. n.39.*
18 *Sacramentum. confertur inuito, & coacto, quomodo intelligatur n.40.*
19 *Forma uerborum in ſacramento ordinis, non exprimit conſenſum ſuſcipientis, quomodo intelligatur. n.41.*
20 *Accendens ficte ad ſacramentum ordinis recipit characterem, quomodo intelligatur. n.42.*
21 *Sacramenti neceſſaria tria ex Conc. Flor. commemorantur, & quare, n. 43.*
23 *Character imprimitur in potentia cognitiua.*
24 *Suſcipientis intentio an requiratur, quinq. ſunt opiniones.*
25 *Suſcipientis intentio, & uſus rationis in ſacramẽto ordinis ſunt neceſſarij, ſecundum aliquos, quæ opinio reprobatur.*

26 *Sacramentum baptiſmi, & ordinis in quo differant.*
27 *Contactus eſt per modum paſsionis, non actionis.*
30 *Ordinatus ſine cõſenſu, poteſt uoto renuntiare, non autem* ***characteri &*** *quare.*
31 *Conſenſus, & diſſenſus non poſſunt eſſe in puero*
33 *Cogere aliquem, ut ordinetur pro neceſsitate* Eccleſiæ ***non eſt in conueniens.***
34 *Nolle non eſt priuatio potentiæ uolũtatis animæ, ſed actus* ***negatiuus, nihil*** *in uoluntate ponens.*
36 *Coactus, & expreſſe contradicens, ſi ordinatur, recipit cha****racterem, ſecũdum*** *aliquos, quorum opinio reprobatur.*
37 *Intentio requiritur in patiente. quomodo, & quare.*
38 *Suſceptio libera ſine ſuſcipientis intentione eſſe non poteſt.*
39 *In ordinatione, ut recipiatur character, requiritur remotio* ***contrariæ uo*** *luntatis.*
40 Coactio eſt duplex.
42 *Fictio multipliciter conſideratur, & quæ characterem impediat.*
42 *Intellectus c. Maiores,*
44 *Intentio ficta, & ſimulata ſufficit ad recipiendum characterem,* ***ſecundum*** *aliquos, & in quo fundantur quorum opinio reprobatur.*
45 *Intentio ficta habet obicem contrariæ uoluntatis.*
45 *Plus eſt expreſſe contradicere, quam minus conſentire, quomodo intelligatur. n. 47.*
46 *Baptizatus non credens. quia ficte accedit, uere, & non ficte intendens ſuſcipere ſacramentum baptiſmi iuxta ritum* Ecclſiæ, ***ſuſcipit baptiſmum.***
48 *In ſacramento ordinis ut quis characterem ſuſcipiat, ſufficit ut neque diſſentiat, neq. conſentiat, ſecundum Caiet & alios.*
49 *Conſenſus, & diſſenſus eſt actus elicitus à uoluntate.*
50 *In ordine ad characterem ſuſcipiendum ſolum ſufficit remotio contrariæ uoluntati, ſecundum communem. & n. 54.*
52 *In ſacramento ordinis non requiritur diſpoſitio ſecundum* ***Scotum, &*** *quid ſit diſpoſitio.*
53 *Infantes, & furioſi recipiunt characterem, & quare.*
54 *In ſacramento ordinis nulla reperitur cauſſa neceſſitatis,* ***& quare.***
55 *In rebus in quibus eſt diuerſa ratio, non poteſt fieri æquiparatio, et quare. & n. 56.*
57 Remotio eſt actus, *qui ſine uoluntate remouentis eſſe* ***non poteſt, &*** *quare.*

P Quod

Quod ſuſcipientis intentio requiratur ſic probatur.

1 PRimo, In aliis ſacramentis, ut in baptiſmo, & matrimonio, requiritur conſenſus, ut in baptiſmo comprobat. S. Thom. p. 3. quæſt. 68. art. 7 Durand. in 4. diſtinct. 4. q. 2. & licet pueri, qui neque velle, neq. nolle habeant, baptizentur, ſupplet Eccleſia intenrione interpretatiua.

2 Secundo, Vbi requiritur actus, requiritur ad illum actum intentio agentis, ſed in ordinem ſuſcipiente requiritur cōtactus ex ſent. S. Th. in 4. diſt. 24 q. 1. art. 1. & aliorum, vt diximus in q. 4. art. 12. igitur ſuſcipientis conſenſus requiritur,

3 Tertio, In collatione ſacramenti ordinis requiruntur in forma ſacramenti, quædam verba oblatoria, dicitur enim, Accipe, unde ſi ſuſcipiens non conſentit recipiendo, videtur formam verborum de neceſſitate ſacramenti requiſitam fruſtrari, ne igitur inconueniēs ſequatur dicendum eſt, in ſuſcipiente requiri intentionem ſuſcipiendi.

4 Quarto, Correlatiuorum eadem eſt diſciplina l. fin C. de condit. indebito. ſed dans, & ſuſcipiens ſunt correlatiua. ergo ſi dans non eſt ſine uoluntate dandi, ita nec ſuſcipiens eſſe poterit ſine intentione ſuſcipiendi.

5 Quinto, In ſacris ordinibus eſt annexum uotum continentiæ, ſed uotum non poteſt eſſe ſine conſenſu, ergo in ſuſcipiente requiritur conſenſus.

6 Sexto, Tunc impeditur impreſſio characteris, quando adeſt in ſuſcipiente ob ex contrariæ voluntatis obſiſtens. c. maiores de baptiſm. & ibi Gloſſ. & Inn. & Docto. & ita contrarins conſenſus impedit, ſed inter diſcenſum, & conſenſum nullum uidetur intereſſe medium, ergo ſi diſcenſſus impedit ut imprimatur. conſenſus requiritur.

7 Septimo, Facit Conc. Carthag. 3. capitu. 34. ubi ægrotantes, ſi non poſſunt reſpondere, debent baptizari, dummodo alii teſtimonium afferant de voluntate baptizandorum, ergo ſuſcipientis intentio requiritur.

8 Octauo, Sicut Deus neminem iuſtificat ſine eius uoluntate ita nullum conferri poſſe ſacrementum uidetur ſine ſuſcipientis uoluntate, cum ſacramentorum collatio diuinum ſit beneficium, & beneficia non conferuntur in inuitum. l. hoc iure §. non poteſt. ff. de don.

Nono, Si ordinis Sacramentum ſine ſuſcipientis conſenſu acciperetur

retur, poſſet quis cogi contra inſtitutum Eccleſiæ, quæ, uti Deus omnia cum ſuauitate diſponit.

9 Decimo, In Matrimonio clariſsimum eſt conſenſum contrahentium requiri, ergo fortius dicendum eſt in ſacramẽto ordinis, ex quo procedit cæterorum ſacramentorum adminiſtratio.

10 Vndecimo, Sacramentum ordinis non conſideratur ſine ſubiecto ſuſcipientis, cum impreſſio characteris fiat in anima, ſed delet uoluntate, quæ eſt potentia animæ, auffertur quid ſubſtantiale ſubiecti, ergo ſuſcipiens ſine uoluntate, non uidetur eſſe proprium ſubiectum illius ſacramenti, quia ſine uoluntate, ne dum ſubiectum, ſed potius dici poteſt obſtaculum repugnans ſacramento.

11 Duodecimo, In ſacramento ordinis committitur officium, & poteſtas faciendi in eccleſia, ſed hæc nõ uidentur poſſe committi ſine illorum conſenſu, qui ad hæc facienda obligantur, ergo.

12 Decimo tertio. Ad Epiſcopatum nemo promouetur ſine conſenſu, igitur.

13 Decimo quarto, Sacramentum ordinis eſt ex inſtitutione diuina, ergo credendum non eſt recipi poſſe ſine uſu rationis, & conſenſu.

Quod non requiratur, ſic probatur.

14 PRimo, Intentio requiritur in agente, non in patiente, ſed ſuſcipiens dicitur patiens, non agens, ergo nulla intentio ſuſcipientis requiritur,

Secundo, Si requireretur intentio de neceſſitate ſacramenti, ſequeretur inconueniens, quod unuſquiſq. ordinationem petere de nouo ac reiterare poſſet, dicendo non habuiſſe intentionem, ne igitur hoc ſequatur abſurdum, intentionem eſſe neceſſariam, non eſt dicendum.

15 Tertio, Ideò in baptiſmo requiritur intentio, quia delentur peccata, quæ ſicuti non committuntur ſine uoluntate ita ſine uoluntate deleri non poſſunt, ſed in ſacramento ordinis nullus ſuſcipiẽtis actus interuenit, ergo nulla eiuſdem voluntas requiritur.

16 Quarto, Vſus rationis non requiritur de neceſſitate ſacramenti. ſuperius q. 1. art. 11. & 13. Doctores in c. Subdiaconus. 1. quæſti. 1. ubi Archid. dicit infantes in cunis poſſe ordinari, ſed conſenſus, & intentio non poteſt eſſe ſine uſu rationis, ergo ſi uſus non requiritur, nec conſenſus.

Q 2 17 Quin-

17 Quinto, In ſacramento ordinis nullus actus requiritur ex parte ſuſcipientis.S.Tho.p.3.q.29.art.2.ſed ubi non requiritur actus,nulla requiritur intentio; quæ eſt ad actum, ergo nulla ſuſcipientis requireur intentio.

18 Sexto, Inuito,& coacto confertur ſacramentum Gloſſ.& Doct.in c.maiores,de bapt.late Stephan. de Gaet.in c.ad lim.§.3. 30.q.1.n. 96.ſed nemo dixerit inuitum, & coactum aliquem præſtare conſenſum, ergo non requiritur intentio.

Septimo, Si in ordine eſſet neceſſarius ſuſcipientis conſenſus, requireretur quædam uerborum forma, qua iſte exprimeretur con-
19 ſenſus, ut in matrimonio, & baptiſmo,ſed in ſacramento ordinis nulla eſt poſita forma uerborum, qua hic exprimatur conſenſus, ergo nullus conſenſus requiritur.

20 Octauo, Qui accedit ficte, ordinatur, & recipit characterem, licet non habeat executionem. 1.q.1.c.ficte, ſed qui ficte accedit,non conſentit, ergo non requiritur.

21 Nono, Extat Conc.Flor.ſuperius commemoratum, ubi tria eſſe neceſſaria ſolummodo dicitur de ſubſtantia ſacramenti, materiam nimirum, formam, & miniſtri intentionem,ſi igitur intentio ſuſcipientis requireretur utiq. ibi expreſſum fuiſſet.

22 Decimo, In baptiſmo ideo requiritur intentio ſuſcipientis,tum quia agitur de renouanda uita, tum quia agitur de deſponſanda, anima cum Chriſto Domino, quæ omnia ſine conſenſu fieri non poſſunt. ſed in ſacramento ordinis,neq. ulla renouatio uitæ, neq. ullus contractus fit, quin immo nullus actus interuenit, ergo nulla ſuſcipientis intentio requiritur.

23 Vndecimo. Character imprimitur in potentia cognitiua. ut in ſecunda q.art.7. & 8.dictum eſt. ergo eius impreſsio non indiget uoluntate ſuſcipientis, ergo ſine conſenſu.

SOLVTIO.

24 Circa ueritatem huius articuli, ſummopere Doctores elaborant, pro cuius explicatione, uariæ Doctorum ſententiæ explicandæ ſunt.

25 Prima opinio eſt illorum, qui abſolute ſentiunt,in ſacramento ordinis rationis uſum, & ſuſcipientis conſenſum eſſe neceſſarium, quam opinionem amplectitur Durand. & uidetur ſequi etiam Riccar.& alij,ut refert Silu.uerb.ordo.§.4.quorum opinio in fundamentis

tis pro parte affirmatiua ductis fundata uidetur, quæ communiter probatur, ut eſt uidere S.Thom.in quarto diſt.25.q.2.art.2.S.Bonau. in 4.diſt.25.q.2.n.34.Turrecrem.in c.Subdiaconus diſt.77. Sot.in 4. diſt.25.q.2.art.2.uerſ.contra hæc.

Ad argumenta pro parte affirmante,ſic reſpondetur.

26 AD primum, & ad decimum, Non ualet argumentum de baptiſmo ad ordinem, quia baptiſmus cum ſit ſacramentum ſalutis, & neceſsitatis,pro paruulis interuenit intentio Eccleſiæ,& interpretatiua, agitur enim de renouanda uita,& de deſponſanda anima cum Chriſto,quæ ſine conſenſu ſuſcipientis fieri non poſſunt; ſicuti matrimonium ſine conſenſu fieri non poteſt, quod non procedit in ſacramento ordinis, quod eſt ſacramentum uoluntatis,non neceſsitatis, & cum ſit diuerſa ratio, de uno ad aliud non poteſt ſumi argumentum.

Ad ſecundum,Opinio,qua deciditur eſſe neceſſarium contactum, eſt dubia,& non deſunt grauiſſimi Doctores, qui contrarium ſen-
27 tiant,ut ſuperius.q.4.art.2. dictum eſt,ſed quidquid ſit, contractus non eſt per modum actionis,ſed per modum paſsionis. ergo nulla ſuſcipientis intentio, qui non eſt agens,ſed patiens.

28 Ad tertium, Illa uerba; Accipe: non ſunt oblatoria, ſed poteſtatiua, tribuitur enim poteſtas iubendo, non offerendo; præcepta enim non indigent illorum conſenſu, quibus præcipitur, ſicut oblationes.

29 Ad quartum, Tunc correlatiuorum eſt eadem diſciplina, quando eſt eadem ratio. ſed dantis, & ſuſcipientis in caſu noſtro non eſt eadem ratio, cum ſuſcipientis nullus requiratur actus, ad quem intentio, ſicut requiritur in dante, qui eſt miniſter ſacramenti.

Ad quintum, & duodecimum, Argumentum procederet,quando quis ordinatus ſine eius conſenſu obligaretur ad executionem or
30 dinis, ſed ordinatus ſine conſenſu, ut furioſus, poteſt uero renunciare, non ratificando, licet characteri,qui eſt indelebilis renunciari non poſsit. Videatur ſolutio. in q 4,art.12.Rot.deciſ.560. & ſequ. p.1. ſanus enim mente, & adultus ad ſæculum redire non poteſt, ſi in maioribus eſt ordinatus Rot.deciſ.731. p.1.n.14.

Ad ſextum. Non ualet ſequela, requiritur,quod quis non habeat obicem contrariæ uoluntatis, ergo requiritur conſenſus, poteſt enim eſſe, ut quis ſit neuter, ideſt,ut non diſſentiat, neq. conſentiat,

ut uidetur annuere tex.in c.maiores.§.fin.in fin. de baptiſm. ibi plus eſt expreſſe contradicere, quam non conſentire; quaſi quod inter conſenſum, & expreſſum diſſenſum, ſit non conſenſus, ut uidetur
31 ſentire Caiet.in 3.p.S.Thom.q.68.art.7. & pluribus defendit; & in puero non eſt diſſenſus,neq. conſenſus, ſed tantum diſpoſitio ſine obice contrariæ uoluntatis; ſed hoc melius inferius declarabitur. ubi intellectum uerum d.c.maiores pro uiribus afferemus.

Ad ſeptimum, In d.concil.agitur de baptiſmo, unde cum non ſit eadem ratio, nihil obſtat.

32 Ad octauum, Sine conſenſu Deus non iuſtificat., quia peccata quæ in iuſtificatione remittuntur, non committuntur ſine conſenſu; ſed in ſacramento ordinis de neceſſitate ſacramenti nihil fit cum uoluntate ſuſcipientis.

33 Ad nonum; Non eſt inconueniens quandoq. cogere aliquem pro neceſſitate Eccleſiæ,ut in 6. argumento pro parte negatiua probauimus, & quandoq. expedit gubernationi.

34 Ad undecimum, Noluntas non eſt priuatio uoluntatis, animæ potentiæ, ſed eſt actus negatiuus nihil in uoluntate ponens.

35 Ad decimumtertium,Epiſcopatus dignitas continet contractum inter Eccleſiam,& Epiſcopum, ideo requiritur conſenſus, ſecus eſt in ſacramento ordinis.

Altera opinio eſt ita contraria, ut non ſolum,ſi conſenſus ſuſcipientis non interueniat impedire non poteſt impreſſionem, uerum etiam ſi abſolute quis cogeretur, & expreſſe contradicens ordinaretur, acciperet characterem, licet nudum. hæc opinio refertur, & reprobatur ab Inn. in d. c.maiores.in fi. de baptiſm. & communiter contrarium eſt approbatum. Gloſſ.Inn.Abb. Henric. Boich. in d. c.maiores. refert,& ſequitur Henriquez de ſacram. in genere.c. 24. in princ.& ad argumenta pro parte negatiua,quibus hæc opinio niti uidetur, ſic reſpondetur.

37 Ad primum,& quintum,Negatur, quod in patiente non requiratur intentio, quando enim requiritur ſubiectum ſuſceptibile liberũ, & capax rationis, ut in caſu noſtro, ſicuti agens, ita patiens conſentit, quia ſi non conſentit actioni,conſentit paſsioni, uult enim ſuſcipere,ſi non actiue, paſsiue,& receptiue, requiritur enim libera, & uoluntaria paſsio, quæ a libero arbitrio ſuſcipientis depromitur.

Ad ſecundum, Non eſt inconueniens, cum ſub conditione fieri poſſet. adnot.per Doct.in c.2. de bapt.

38 Ad tertium, Si non requiritur actus, requiritur libera ſuſceptio,

ptio, quæ ſine conſenſu ſuſcipientis eſſe non poteſt.

39 Ad quartum, Si pueri ordinantur, & furioſi, licet recipiant characterem, & non requiratur de ſubſtantia ſacramenti uſus rationis, & conſenſus, requiritur tamen remotio obicis contrariæ uoluntatis, quæ remotio non uidetur eſſe ſine uoluntate remouentis, ſaltem priuatiue, uel negatiue, ſi non poſitiue.

40 Ad ſextum, Duplex eſt coactio, altera abſoluta, ut quando quis ligatis manibus, & pedibus, & contradicens ordinatur, & hæc impedit impreſsionem characteris, & ratio eſt, quia ſuſcipiens haberet obicem contrariæ uoluntatis. Altera eſt conditionalis, ut ſi metu flagelli, & tormentorum conſentiat ordinationi, & hæc non impedit impreſsionem; ita textus uidetur diſtinguere, & decidere in d. c. maiores. & ibi Gloſſ. & c. ubi iſta. diſt. 54. Innoc. & Abb. in d. c. maiores. Hoſt. de temp. loc. ord. S. Ant. c. 16. ibidem. §. 18. Raim. Ang Silu. Tab. & alij, quos congerit Stephan. de Gaet. in d. c. ad lim. §. 3. n. 96. Rot. p. 1. deciſ. 560. ubi de communi teſtatur, & deciſ. ſeq. & deciſ. 131. n. 14. & eſt ratio diuerſitatis, quia conditionalis non deſiit eſſe uoluntas, ſecus abſoluta, ut dicitur in ſuprad. deciſ.

41 Ad ſeptimum, Procedit argumentum in actu exprimendo; ſed non in paſsione exprimenda, cum uerba ſint pro forma, & reſpicit actum ſubſtantialem ex parte agentis, non ex parte patientis.

42 Ad octauum, Fictio multipliciter poteſt conſiderari; aut enim fictio eſt reſpectu fidei, aut reſpectu deuotionis, aut reſpectu intentionis; reſpectu fidei; & deuotionis non impedit characterem, ſi enim quis accedit non credens ſacramento, uel cum obice peccati, & intendat recipere ſacramentum iuxta ritum Eccleſiæ, recipit characterem, licet non rem ſacramenti; ita Innoc. Abb. in d. c. 2. & c. maiores. & eſt ratio communis, quia fides non eſt de neceſsitate ſacramenti. S. Aug. lib. 1. de baptiz. c. 8 Mag. ſent. diſt. 4. & 6. q. 64. art. 5. & 9. S. Thom. q. 68. art. 4. Sot. diſt. 5. art. ult refert, & alios congerit Henriquez lib. 1. c. 24. & ſi quis acceſſerit cum peccato, characterem nihilominus ſuſcipit. late probatum eſt in 1. q art. 10. fictio uero intentionis, ideſt quando corde diſſentimus, ore conſentimus, impedit characterem, quia tunc accedens eſt cum obice contrariæ uoluntatis, quo caſu non imprimitur character ex comm. ſententia, ut inferius dicetur, & quod hæc fictio intentionis impediat. S. Ant. de bapt. c. 13. §. 4. nu. 11. Henriquez in d. c. 24. Neq. obſtat text. in c. maiores, inducendo, ut in argumento, quia ibi non loquitur de fictione intentionis, ſed de fictione fidei, corde enim ſi quis non cre-

Digitized by Google

deret, ore uero ſentiret, ſic intelligendus eſt ille text. & ſic declarat Soarez. q. 64. art. 10. diſp. 14. ſect. 21. uel ſi uis intelligere de fictione intentionis, declarandus eſt text ut non dicat, quod imprimitur character, ſed quia de fictione non conſtabat, unde cogendus erat ſeruare uitam Chriſtianam, uel ordinationem, ac ſi impreſſus eſſet character; ita uidetur annuere tex. in illis uerbis: & ipſe tanquam conditionaliter uolens, cogendus eſt, &c. Ponderandum eſt autem uerbum illud: tanquam: ex quo colligitur eum in contraria poſſe reperiri ueritate.

43 Ad nonum, Ideo in Concil. Flor. de ſuſcipientis intentione non ſit mentio, quia non in omnibus ſacramentis, & ſemper requiritur ſuſcipientis intentio, ita Soarez d. q. 64. art. 10. diſput. 14. ſect. 11. de remotione obicis contrariæ uoluntatis, non erat facienda mentio, cum ex illa nulla ſequatur poſitio; dici etiam poteſt, quod in Cōcil. ponuntur dumtaxat, quæ formaliter requiruntur ex parte agentis, & quæ ſunt de ſubſtantia ſacramenti.

Ad ultimum, Licet character imprimatur in potentia cognitiua, non uoluntaria, non propterea refert, quia redundat etiam in uoluntate, licet minus principaliter; ut late diſputauimus. q. 2. art. 7. & 8.

44 Tertia opinio eſt illorum, qui opinantur ad ſuſcipiendum characterem ſufficere quamlibet intentionem, etiam ſimulatam, & fictā, quæ opinio fundatur in illis uerbis text. c. maiores, ubi ſit differentia

45 inter expreſſe diſſentire, & non conſentire; ibi enim dicitur plus eſt expreſſe contradicere, quam minus conſentire; unde qui non ſimulat, ſed expreſſe diſſentit, non recipit characterem, ergo uidetur dicere, quod qui fingit non manifeſtando uoluntatem recipiat. huius opinionis fuit Laud. refert, & ſequitur Gloſſ. in c. ſolet diſt. 4. de cōſecr. in fin. & alia Gloſſ. in d. c. maiores in fin. refert Hoſt. in d. c. maiores; ſed profecto, ſic opinantes alucinantur, & pluribus reprobatur hæc opinio à Sot. in 4. diſt. 3. q unic. art. 7. & à Soarez. loc. cit. & ab alijs communiter; & eſt ratio, quia ficta intentio, cum habeat obicem contrariæ uoluntatis impedit, quominus imprimatur character, ex communi ſententia. Gloſſ. uero poteſt defendi, quia forſitan intelligere uoluit de fictione fidei, cum allegat text. in c. ſicut

46 ficti. 1. q. 1. ubi baptizatus non credens, quia ficte accedit, uere, & nō ficte intendens ſuſcipere ſacramentum baptiſmi iuxta ritum Eccleſiæ, ſuſcepit baptiſmum, & allegans cenſetur ſentire iuxta text. allegatum; ſed ſi aliter intellexit d. Gloſſ. eſt ex communi ſententia

penitus

penitus eij cienda, & ad c. maiores reſpondetur, quod idem ex-
47 preſſum dicitur quod corde exprimitur, quod id, quod foris mani-feſtatur; unde quando in tex. dicitur, plus eſt expreſſe diſſentire intelligendum eſt, uel quod ore, uel quod corde exprimatur, cum eadem ſit uirtus taciti intus, quod foris expreſsi. l. cum quid. ff. ſi cert. pet.

48 Quarta opinio eſt illorum, qui dicunt ſufficere aliquem eſſe neutrum ad effectum ſuſcipiendi characterem, ideſt neq. conſentire, neq. diſſentire, quia pueri, & amentes cum ſint rationis incapaces, neq. conſentiunt, neq; diſſentiunt, neutri enim ſunt, & tamen ſi ordinantur recipiunt characterem. hanc opinionem pluribus defendit Caiet. in p. 3. S. Thom. q. 64. art. 7. ſed hæc opinio reprobatur; & Caiet. reprehenditur nimis acriter à Sot. art. 7. q. unic. diſt. 5. & à Soarez, ſed reuera poſſet defendi tantus uir, quia licet inuenire medium inter conſenſum, & diſſenſum ſit difficile, quia conſenſus, uel diſſenſus eſt actus elicitus à uoluntate, & in actu non poteſt quis, niſi uel conſentire, uel diſſentire, & potentia, quæ regulatur ſecundum actum, non poteſt conſiderari, niſi uel ut quis poſſit conſentire, uel diſſentire, & ſic reuera neutrum, neq. in actu, neq. in potentia reperiatur, & ſic neq. in pueris; nihilominus potentia reſpectu actualis conſenſus, uel diſſenſus uidetur ſi non proprie, improprie tamen efficere quid neutrum, quia potentia donec redacta nō eſt in actum, neq. actu conſentit, neq. actu diſſentit, licet utrumq. poſsit.

Quinta opinio eſt communis, qua concluditur ad effectum ſuſci-
50 piendi characterem ſacramenti ordinis non eſſe neceſſarium conſenſum ſuſcipientis, ut in miniſtro, ſed ſolum eſſe neceſſariam remotionem obicis contrariæ uoluntatis. ſic text. decidit in d. c. maiores. in fine, & hic eſt uerus intellectus text. ſecundum magis communē Doctorum ſententiam, ſic ſentit Scot. quem refert, & ſequitur Turrecrem. in d. c, ſubdiacon. diſt. 77. n. 3. neq. uidetur diſſentire S. Thom. in 4. diſt. 25. nec S. Bonau. & alij.

Hanc opinionem ſequitur etiam Caiet. ſed illud addidit, quod fuit cauſſa, ut reprehenderetur, quod quis neuter eſſe poſsit, & quod detur medium inter conſenſum, & diſſenſum, & quod exigatur accidentalis, & non per ſe intentio, quæ tria nos negamus, licet ſuperiu aliquo modo defendere curauimus.

Sed illud admittendum non eſſe credimus, quod Soarez obiter dicit, nimirum neceſſarium eſſe conſenſum, etiam in ſacramento ordinis ex parte ſuſcipientis, tum quia rationes contra Caiet. locum

habent

habent tantum in baptiſmo, ut Sot.& Soarez loquuntur, tum quia
51 diuerſa ratio militat; ideo enim in baptiſmo requiritur intentio ſuſcipientis, quia agitur de renouanda uita,& de deſponſanda anima cum Chriſto Domino,quæ omnia cum ſine conſenſu eius fieri non poſſint, cuius uita renouatur,& contractus ſponſalium fit, concludendum erat requiri conſenſum ex parte ſuſcipientis; unde in adultis requiritur actualis, uel uirtualis, in amentibus, quod ante præceſſerit dementiam,in pueris interpretatiua intentio,qua Eccleſia ſupplet pro illis. ita Silu. Ang. Tab.uerb. Baptiſm. & cōmunem dicit Soarez loc.cit. ſed in ſacramento ordinis eſt diuerſa ratio, non enim ex parte ſuſcipientis ullus requiritur actus, ut cogamur dicere aliquam ſuſcipientis intentionem eſſe neceſſariam. hæc eſt communis ratio, quam affert S.Thom.p.3.q.39.art.2.ubi in fine ſolutionis articuli,hæc præciſa ſunt uerba: quidam autem dicunt, quod de neceſsitate ordinis ſacramenti requiritur uſus rationis, ſed illorum dictum ratione, uel auctoritate non confirmatur. hanc opinionem
52 ſequitur Scot.qui ſentit, quod in ſacramento ordinis non requiritur diſpoſitio, quæ minus eſt, quam conſenſus, qui eſt actus extra elicitus à uoluntate; diſpoſitio uero inter actum, & potentiam, ſi igitur nec uſus rationis, nec diſpoſitio eſt neceſſaria, quomodo requiratur intentio non uideo, alias deſtruerentur duæ concluſiones ſuperius determinatæ, quod infantes, & furioſi recipiant characterem, qui
53 nec nolle, nec uelle poſſunt. Archid.& Turrecrem. in d.c.ſubdiaconus. neq. ex parte pueri aliquid dari poteſt, quod Eccleſia interpretari ualeat, ut in baptiſmo, quia in ſacramēto ordinis ceſſat cauſa neceſsitatis, quæ eſt in baptiſmo; qui cum ſit ſacramentum ſalutis, & neceſsitatis, Eccleſia interpretatur uoluntatem infantis, qui ſi ratione uti,uel loqui poſſet,interrogatus reſponderet uelle ſaluari, & baptizari, nemo enim niſi inſanus baptiſmum ſalutis recuſaret, argumento eorum, quæ not.in l. tale pactum.6. fin. ff. de pact. Socin.iun.conſ.1.n,124.lib.1.& id, quod cenſetur reſpondiſſe,habetur pro expreſſo. Pariſ. conſ.22.n.70. lib. Grat. conſ.40. n.2. lib.1. Aym.conſ.247.n.4.Rot.conſ 98.lib.2.Capic.deciſ.69.n.20.Chache-
54 ran.de communi teſtatur deciſ.99.n.9.ſed in ſacramento ordinis nō reperitur hæc cauſa neceſsitatis, quia eſt ſacramentum uoluntatis, & poteſt quis ſaluti ſuæ conſulere abſq. alia ordinatione,& ſi infans uti ualeret ratione, & loqui poſſet, interrogatus poſſet reſpondere, nolle eſſe clericum, & recuſare ordinationem; unde Eccleſia non poteſt ſupplere pro illo,interpretando eius uoluntatem pro parte
afir-

affirmante, cum interrogatus reſpondere poſſet contrarium, iuribus, & deciſionibus allegatis, cum igitur in puero, neq. proprius conſenſus, neq. interpretatiuus reperiatur, ſequitur, ut alterum de duobus ueritate nitatur, aut quod ſi infans ordinatur nullum recipiat characterem, contra communem concluſionem doctorum in d. c. Subd. aut ſi recipit characterem nulla intentio ſuſcipientis requiratur ex deductis. firma igitur ſit concluſio, quidquid Soarez hic obiter dixerit, quod in ſacramento ordinis de neceſsitate ſacramenti non requiritur conſenſus ſuſcipientis, ſed tantum remotio obicis contrariæ uoluntatis, neq. Alex. de Ales, quem ipſe citat, aliquid determinat de ſacramento ordinis, loco per ipſum relato, qui omnino eſt uidendus.

Neque obſtat text. in d. c. maiores. §. fin. de baptiſm. ubi uidetur facta æquiparatio inter ſacramentum ordinis, & ſacramentum baptiſmi in illis uerbis: ſacramenta, quæ per ſe ſortiuntur effectum, ut baptiſmus, & ordo, cæteraq. ſimilia; quia æquiparatio fit in expreſ-
55 ſis in text. in aliis uero non expreſsis, & in quibus eſt diuerſa ratio, non poteſt eſſe æquiparatio, adnot. in c. 1. de ſolut. late Euerard. loco à ſimili n. 11. ſed in d. text. ſi bene inſpiciatur, tres exprimuntur, deciduntúrq. caſus, in quibus eadem in utroq. ſacramento procedit deciſio, & optima ſit æquiparatio.

Primus eſt, quando quis ficte accedit, quo caſu neuter ſuſcipitur character ut in text. Secundus eſt, quando cogitur præciſe, neuter pariter accipitur, ſecus ſi conditionaliter, quod idem procedit in utroq. Tertius caſus eſt, quando dormiens, uel furioſus eſt, ſi ante dormitionem uel inſaniam erat in propoſito accipiendi, accipit, ſi minus, ſecus eſt, quod idem in utroq. ſic deciditur in text. Duo alii remanent decidendi caſus, qui ex d. text. non deciduntur; alter eſt, ſi baptizantur, uel ordinantur paruuli, qui nec conſentire, nec diſſentire poſſunt; alter eſt, quando adulti dormientes, uel furioſi baptizantur, uel ordinantur, qui ante dormitionem, uel inſaniam neutrum cogitauerunt accipere, & hi caſus non reperiuntur deciſi, & ideo
56 in his duobus de uno ad aliud ſacramentum non fit æquiparatio, quia diuerſa ratio, in ſacramento baptiſmi requiritur intentio ſaltē interpretatiua, cum ſit ſacramentum ſalutis, in ſacramento ordinis nulla intentio requiritur, cum ſit uoluntatis; unde cum nulla in text. ſit facta expreſsio, uel deciſio non cenſetur in illis facta aliqua æquiparatio, & ſic text. non obſtat.

Nec ſequitur, ſi requiritur remotio contrariæ uoluntatis, ergo con-

conſenſus, cum remotio ſit actus, qui ſine uoluntate remouentis eſſe non poſsit; quia remotio contrariæ uoluntatis poteſt dupliciter conſiderari, priuatiue, & hoc modo uidetur remouens agere; ſecundo modo negatiue, & hoc modo remouens non agit, neq. aliud ponit, ſed potius indicat, non eſſe, quod remoueri dicit, quod ſatis ex textu colligitur in illis uerbis finalibus. ubi dicitur, tunc ergo characterem ſacramentalis operatio imprimit, cum obicem contrariæ uoluntatis non inuenit obſtantem, quandoquidem non inuenire aliquid, no n eſt illud agendo remouere, cum non remoueatur, quod eſſe non inuenitur.

Articulus ſextus.

Vtrum in ordinum collatione Miſſæ celebratio ſit neceſſaria, uecne.

S V M M A.

1 *Ordinatio fieri debet in celebratione Miſſæ. & n. 2. 3. & 6. & quomodo intelligatur n. 13.*

3 *Epiſcopus in ordinatione manum imponens, & alius benedicens nihil faciunt.*

4 *Miſſa, quod non ſit de ſubſtantia in ordinatione, non eſt in iure expreſſum.*

5 *Actus multi ac ſolemnitates ordinationis fiunt in Miſſa, quæ commode adhiberi non poſſunt extra celebrationem Miſſæ.*

7 *Miſſa celebratio, & conſecratio, vel ordinatio ſunt diuerſa, & quæ,*

7 *Diuerſa non poſſunt interuenire pro ſubſtantia eorum, quibus non conueniunt.*

8 *Miſſæ celebratio eſt ad reuerentiam ſacramenti ordinis, & quare.*

8 *Reuerentia, & contemptus non impediunt, quo minus character ordinis non imprimatur.*

9 *Miſſæ celebratio non eſt de neceſſitate ſacramenti in ordinatione, neq. in minoribus, neq. in maioribus ordinibus, ſecundum communiorem ſententiam, licet ſit de præcepto. & n. 12.*

10 *Miſſæ celebratio an ſit de ſubſtantia ſacramenti in ordinatione in maioribus ordinibus, duplex opinio.*

11 *In dubio, quando neſcitur an aliquid ſit ſubſtantiale ſacramenti, nec ne, cenſendum eſt eſſe ſubſtantiale, quando valeat.*

Quod

Quod Miſſæ celebratio in collatione ordinum ſit neceſſaria. his demonſtratur argumentis.

1 PRimo, eſt text. in c. quod ſicut in fin. de elect. ubi conſecratus dicitur concelebrare ſimul cum celebrante miſſam, neq. aliis uacare debet, ne diuidatur miniſterium illud unitatis, ergo neceſſaria celebratio miſſæ in ordinatione.

2 Secundo, Eſt text. in c. omnes de conſ. diſt. 1. ubi cõſecratio fieri debet in celebratione miſſæ, ſed qui ordinatur ad illum ordinem conſecratur, ergo neceſſaria miſſæ celebratio.

3 Tertio, eſt text. in c. quorumdam. diſt. 23. ubi, ſi Epiſcopus in ordinatione manũ imponit, & alius benedicit, nihil facit, debet enim tam ordinator, quam ordinatus puniri, & ordine priuari; ſed benedictio fit in miſſæ celebratione, ergo uidetur neceſſaria celebratio.

4 Quarto, Non eſt expreſſum in iure contrarium, quod miſſa non ſit de ſubſtantia, ergo in dubio quid ſubſtantiale credendum eſt, & ſi omittitur ſuppleri debet, & ſic concluſum eſt in quarta q. art. 13. ex comm. ſententia. teſtatur S. Ant de ord. §. 4. uerſ. quid agendum.

5 Quinto, Multi actus, ac ſolemnitates ordinationis in miſſa fiunt, quæ non commode adhiberi poſſunt extra celebrationem miſſæ, ut puta, lectio Epiſtolæ, Euangelii, unctio, impoſitio manuum, & prolatio uerborum conſecrationis Euchariſtiæ. ergo.

6 Sexto, Ex ritu, & obſeruantia Sanctæ Romanæ Eccleſiæ in ordinationibus celebratur, ergo neceſſaria.

Quod uero miſſæ celebratio non ſit neceſſaria, ſic probatur.

7 PRimo, Celebratio miſſæ, & conſecratio, uel ordinatio ſunt diuerſa, quia ratio formæ, & materiæ unius, non conuenit alteri. ergo celebratio miſſæ non eſt de neceſſitate ſubſtantię ordinis, cum ea, quæ diuerſa ſunt, non poſsint interuenire pro ſubſtantia eorum, quibus non conueniunt.

8 Secundo, Celebratio miſſæ eſt ob reuerentiam ſacramenti ordinis, non enim conuenit tantum conferri ſacramentum, niſi in miſſa. ita Gloſſ. in c. quod ſicut. de elect. ſed reuerentia, & contemptus non impediunt, quominus character ordinis imprimatur, ergo ſequitur, quod prætermiſſio miſſæ non ſit impedimentum neceſſarium, & per conſequens non ſit neceſſaria celebratio miſſæ.

SO-

SOLVTIO.

9 Avt quæritur de ſubſtantia ſacramenti, aut de præcepto; ſi de præcepto non eſt dubitandum, quin requiratur celebratio. c. te referente de celebrat. miſſ. c. omnes baſilicæ de conſecr diſt. 1. Marian. Soc. in c. ſi celebrat. n. 50. de cler. excomm. & nulla inter Doctores circa hoc eſt dubitatio; de neceſsitate uero ſacramenti diſtinguendum eſt. aut enim quæritur in minoribus, aut in maioribus, in minoribus omnes conſentiunt non eſſe neceſſariam miſſarum celebrationem, & quod ſine miſſarum ſolemniis poſſunt conferri ordines minores, licet qui hæc facerent ſubiiciantur pœnis c. ſane de temp. ord. & c. unic. de ſacr. unct. Franc. & Imol. in c. per generalem
10 de ætate, & qualit. refert Stephan. de Gaet in c. ad lim. §. 3 n. 40. In maioribus uero duæ ſunt opiniones; altera illorum, qui dicunt nõ conſtare in iure, An miſſa ſit de ſubſtantia necne, & in dubio credendum eſt eſſe de ſubſtantia. & ſi omittitur iterandam eſſe ordinationem; hanc opinionem ſequitur Hoſt. in ſumm. de ſacr. unct. §. & qualiter. & §. 7. Rain. & Goffr. idem opinati ſunt; refert, & ſequitur S. Ant. de ordin. c. 16. §. 5 ibi ſunt alia. Ang. & Silu. uerb. ordo §. 3. n.
11 3. Sed hæc opinio communiter reprobatur, quia quod dicunt ex ſententia communi, in dubio cenſendum eſt aliquid eſse ſubſtantiale, habet locum in ſubſtantialibus, non in iis, quæ requiruntur de ſolemnitate; late declarat, ac reſpondet Silu. u. ordo. §. 2. prope finẽ ſibimet contrarius.
12 Alia opinio igitur eſt magis communis, quod miſsarum ſolemnia, neq. in minoribus, neq. in maioribus requiruntur; ita ut ſi aliquis Epiſcopus contra ritum Eccleſiæ ordinaret nõ celebrando, character imprimeretur, & ordinatio non eſset iteranda; hanc opinionem ſequitur Gloſ. in c. quod ſicut de elect. & ibi Innoc. & Abb. Gulielm. Hug & Io. in c. ordinationes il ſecondo diſt. 7. Io. Andr. in c. ad litteras de temp. ord Silu. in d. §. 2. n. 11. de magis communi teſtatur Tabiena uerb. ordo, §. 2. n. 6. Turrecrem. in c. omnes baſilicæ, de conſecr. diſt. 1. n. 6. omnes Doctores in d. c. quod ſicut, refert, & ſequitur Stephan. de Gaet. loc. ſup. cit.
13 Argumenta uero, & iura, quæ obiiciuntur, unica reſponſione diluuntur, quia procedunt illa, & concludunt de neceſsitate præcepti, neq. eſt ut hic moram faciamus, ſingulis aliter reſpondendo.

Arti-

Digitized by Google

Articulus ſeptimus.

Vtrum plures Epiſcopi poſsint ſimul ordinari necne.

S V M M A.

1 *Concurſus plurium miniſtrorum non repugnat ſubſtantiæ baptiſmi, licet ſic precepto Eccleſiæ.*
2 *Promoti ad gradum ſacerdotalem in ordinatione concelebrant cum Epiſcopo celebrante, & ſimul panem, & ſanguinem conſecrant. & n. 18.*
5 *In contractu matrimonij, & ſacramento pœnitentiæ duæ perſonæ requiruntur de neceſsitate ſacramenti, quomodo intelligatur. n 19.*
3 *In collatione Epiſcopalis dignitatis tres requiruntur Epiſcopi, & quomodo. n. 19.*
4 *Sacerdote in celebratione miſſarum deficiente, poteſt alius ſacerdos ſupplere, & perficere, & quomodo. nu. 20.*
5 *Correlatiuorum eadem eſt diſpoſitio.*
6 *In multitudine continetur unus.*
7 *Concurſus plurium non impedit formam, nec materiam, neq. intentionem, quomodo intelligatur n 22.*
8 *S. Petrus, & S. Ioannes ſimul imponebant manus, quomodo intelligatur. n 24.*
9 *Epiſcopus manum imponens, & alius benedicens, nullum conferunt ordinem, & quare. n. 26.*
10 *Duo imperfecta, non poſſunt facere unum perfectum, quomodo intelligatur. n. 27.*
11 *Vnius agentis unica eſt actio, ſicut plurium plures ſunt actiones. quomodo intelligatur. n. 28.*
12 *Sacramentorum cauſſa duplex.*
13 *Miniſter in ſacramentis non agit principaliter.*
14 *Plus efficiunt duo perfecta, quam unum, quomodo procedat n. 31.*
15 *Vnitas miniſtri in ordinatione eſt de neceſſitate ſacramenti.*
16 *Plures dupliciter poſſunt eſſe miniſtri in ſacramentis.*
17 *Plures miniſtri ordinando diuiſim, & in parte in ſubſtantialibus nullum conferunt ſacramentum, licet ſic, ſi in tote, ſimul exprimendo formam, & exhibendo materiam n. 25.*
18 *Ordinati ſi prius finiunt conſecratianem, quam ſacerdos non fit conſecratio ſecundum Hoſt.*
21 *Applicatio materiæ in ſacramento ordinis, non fit niſi ſingulis.*
23 *Plures cenſentur unus, quando unitas totius non diſgregatur.*
29 *Plures cauſſæ, quando plures producant effectus.*

31 Plu-

30 *Plures quando ſimul exprimunt formam eandem, eandemq. exhibent materiam cum eadem intentione, nec plures formæ, nec plures materiæ multiplicantur. & quare.*

Quod plures Epiſcopi poſsint ſimul ordinare ex infraſcriptis poteſt demonſtrari.

1 PRimo, Concurſus plurium miniſtrorum non repugnat ſubſtantiæ baptiſmi, quoad ſubſtantiam, licet quoad præceptum Eccleſiæ plures non poſsint baptizare, S. Thom. p. 3. q. 67. art. 6. ubi Caiet. & Sot. & eſt communis opinio, ut de communi teſtatur Soarez eadem q. diſp. 23. ſect. 3. ergo idem dicendum in ſacramento ordinis, cum circa hoc non uideatur diuerſa ratio.

2 Secundo, Eſt text in c. quod ſicut, de elect. in fin. iuxta Gloſſ. Inn. & Doct. ubi promoti ad gradum ſacerdotalem in ordinatione concelebrant cum Epiſcopo celebrante, & ſimul panem, & ſanguinem conſecrant, ergo idem in ordinatione.

Tertio, Omnes admittunt huiuſmodi concurſum in unctione ut Soarez loco cit. ergo in ordinatione, cum nulla uideatur eſſe rationis diuerſitas.

3 Quarto, In contractu matrimonij, & ſacramento pœnitentiæ, duæ perſonæ requiruntur de neceſſitate ſacramenti, & in collatione Epiſcopalis dignitatis tres Epiſcopi requiruntur. c. Epiſcopus, & ſeqq. diſt. 23. ergo non ſolum incongruus, ſed approbatiſsimus eſt concurſus plurium perſonarum in ſacramentis.

4 Quinto, Eſt text. in c. 1. 7. q. 1. ubi ſi aliquo accidente, adeò deficeret ſacerdos in celebratione miſsæ, poteſt alius ſacerdos complere, ac perficere, quod extenditur etiam ad alia ſacramenta, & præcipue ad ordinationem. ergo ſi datur concurſus diuiſim, & in parte, multo magis dabitur ſimul, & ſemel in toto.

5 Sexto, Si plures ſuſcipientes poſſunt ordinari, ergo & dantes, cum correlatiuorum eadem ſit diſpoſitio. l. fin. C. de. indict. uiduit. tollend.

6 Septimo, In multitudine continetur unus; unde ſi unus multo magis plures.

7 Octauo, Si plures non, neceſſe eſt aſsignare impedimentum ratione concurſus, ſed iſte concurſus non impedit formam, non materiam, non intentionem, non ſuſcipientem, ergo nulla uidetur ratio, ex qua dici poſsit concurſum impedire hoc ſacramentum.

Nono, Omnes ſumus in Chriſto unum corpus, ergo plures cenſentur

Digitized by Google

ſentur unus.

8 Decimo, Legitur de S. Petro, & S. Ioanne, quod ſimul imponebant manus, ergo plures poſſunt ordinare.

Quod uero non poſsint, ex infraſcriptis patebit.

9 PRimo, Eſt tex. in c. quorundam, diſt. 23. ubi ſi Epiſcopus manū imponit, & alter benedicit, ordinatio eſt nulla, & ordinator, & ordinatus puniuntur, ergo plures non admittuntur.

10 Secundo, Si admitterentur, duo imperfecta facerent unum perfectum, quod eſt contra text. in l. 1. C. qui numer. ut & l. 1. & l. continuus. ff de uerb. oblig.

11 Tertio, Vnius agentis unica eſt actio, ſicuti plurium plures ſunt actiones, ergo ſi plures, plures erunt ordinationes, & ſic plures impreſsiones characteris, quod eſt inconueniens, cum ſacramentum ſit unitatis.

12 Quarto, Licet Deus in ſacramentis ſit principalis cauſſa, & agēs, nihilominus, hoc facit cum miniſterio habentis poteſtatem, ergo miniſter, uti cauſſa concurrere uidetur, ſed ſi plures, plures eſſent cauſſæ, ergo plures effectus, quod eſt inconueniens, ergo.

Quinto, Si plures poſſent ordinare, ſequeretur, quod plures exprimerentur formæ, & duplicaretur materia, quod eſt abſurdum.

13 Sexto, Miniſter non principaliter agit, quia Deus eſt, qui imprimit characterem, & dat poteſtatem, & ſic miniſter debet eſſe unus, ſicut Deus, ergo non plures.

Septimo, Si plures poſſent ordinare, ſequeretur, quod magis, & perfectius eſſet ordinatus à pluribus, quam ab uno, & ſic daretur

14 idem ſacramentum maius, & potentius, quia plures efficiunt duo perfecta, quam unum, duo calida magis calefaciunt, quam unum, ſi æqualia fuerint, ut ſunt ordinantes, ſed hoc eſt abſurdum, ergo.

SOLVTIO.

15 PRo explicatione huius articuli nonnulli ſunt conſiderandi caſus, Aut enim quæritur, An de neceſſitate præcepti requiratur unitas miniſtri, aut de neceſſitate ſacramenti, ſi de neceſſitate præcepti, tunc requiritur unitas, unde ſi plures ordinarent, eſſent puniendi, & ſuſpendendi, ut tradunt Doctores in d. c. quorundam, & Henriquez de ſacram. c. 17. n. 1. niſi ex legitima cauſſa, & ex neceſſitate

contingeret, nimirum, ſi ex infirmitate Epiſcopus deficeret, ut Ang. Silu. Tab. uerb. ord. §. 2. dicunt, & refert Steph. de Gaet. in d.c. ad limina §. 3. n. 40.

16 Aut quæritur de neceſſitate ſacramenti, & tunc, aut plures ſimul, nec formam, nec materiam mutando, & eadem intentione ordi-
17 nandi complent. aut diuiſim, unus partem, alter aliam partem perficit, ſi diuiſim, & in parte, tunc, aut in ſubſtantialibus, aut non in ſubſtantialibus; in ſubſtantialibus nihil faciunt, & nullum eſt ſacramentum, & nulla fit characteris impreſſio. ex rationibus, & iuribus pro parte negatiua allegatis; hanc opinionẽ ſequuntur Gloſſ. Doct. in d.c. quorumdam diſt. 23. S. Thom. d.q. 27. & eſt communis, ut de communi teſtatur Caiet. ibid. Sot. & Scarez, & licet loquantur in baptiſmo habet etiam locum illorum concluſio in ſacramento ordinis; ſi non in ſubſtantialibus, uel non diuiſim, tunc, ſi quid omittitur, poteſt ſuppleri, & eſt ſacramentum. S. Ant. de ord. c. 17. allegat Oſt. Silu. u. ord. §. 13. in fine. Tab.. 2. n. 6. Stephan. de Gaet. loc. cit. Obiectiones uero pro parte affirmatiua ſic diluuntur.

18 Ad primum, & ſecundum, Text. in d.c. cum ſicut, plures conſecrarunt, non diuiſim, ſed unanimiter protulerunt uerba, exhibueruntq. materiam; licet quædam ſit diſcrepantia inter Hoſt. qui ſentit, quod ſi ordinati prius finiunt conſecrationem, quam ſacerdos, non fit conſecratio, & Inn. qui contrarium dicit. Abb. ibi conatur conciliare.

Ad tertium, Eſt ſingulare in ſacra unctione, ut ſinguli ſingulos ſenſus ungant, ex inſtitutione S. Iacobi, Henriquez de ſacram. c. 27. n. 2.

19 Ad quartum, In matrimonio duo ſunt agentes ex neceſſitate contractus, in pœnitentia ex neceſſitate iudicij, in ordinatione Epiſcopi unus eſt conſecrator, alij uero aſſiſtentes.

20 Ad quintum, In d.c. nihil diſponitur per alium poſſe ſuppleri miſſam, ſi in celebrando defecit ſacerdos, non dicitur ſuppleri forma, uel materia conſecrationis; ex communi enim ſententia neceſſe eſt in d. caſu incipere ab illis uerbis Canon. pridie &c. ſic non in parte.

21 Ad ſextum, Quidquid ſit in alijs ſacramentis, applicatio materiæ in ſacramento ordinis non fit, niſi ſingulis, cum aliter fieri nõ poſſit, ut in Pontificali.

Ad ſeptimum, Procedit argumentum, quando plures in toto adimplent, ut unus, ſed ſi in parte retorquetur, ſicut ynus in parte

non

nō abſoluit ſacramentum,ita plures in parte non poſſent perficere.

22 Ad Octauum,Concurſus non impedit,quando in toto,ſed ſi diuiſim impedit,quia in parte.

23 Ad Nonum, Plures cenſentur unus, quando unitas totius non diſgregatur.

24 Ad Decimum, S.Petrus,& S.Ioannes imponebant manum ſimul in toto,non diuiſim in parte.

25 Aut plures in toto, non in parte adimplent ordinationem ſimul exprimendo formam,& exibendo materiam,vel ſi in parte, non in ſubſtantialibus,ſed in alijs unus ſupplendo pro alio,non in cohærentia uerborum,uel materiæ;& hoc caſu communis eſt opinio,ut poſſint ordinare,& ordinati accipiunt characterem, licet ſit contra præceptum,& ordinationem Eccleſiæ,Henriquez de ſacram. cap. 27.quæ opinio comprobatur ex rationibus,& iuribus pro parte affirmatiua deductis,& ad contraria reſpondetur.

26 Ad Primum, Non obſtat text.in d.c.quorumdam,tum quia preſbyter ibi ſupplens non habebat poteſtatem, ſic intelligit . Turrecr. tum quia in parte non in toto, cum unus impoſuerit manum; alter benedixerit, & hic eſt intellectus Gloſſ. & magis communis, quaſi quod hi Doctores credant ſequentes expoſitionem Gloſſ. æde ſubſtantia requiri,& manus impoſitionem,& benedictionem; undè cum diuiſim huiuſmodi ſubſtantialia fuerint adhibita nulla fuerit ordinatio. Mihi magis placet Turrecrematæ intellectus, quod irritatur ibi ordinatio,quia preſbyter benedicens non habebat poteſtatem.iā fuit ſuperius diſcuſſum,& deciſum manus impoſitionem,ac benedictionem non eſſe de ſubſtantia.

27 Ad ſecundum.Tunc ſequeretur inconueniens,quod duo imperfecta unum efficerent perfectum,ſi plures in parte, & diuiſim ordinarent ſed quando ſimul in totó unanimiter abſoluunt ordinationem, non ſequitur,quia plures,ut unus efficiunt perfectum.

28 Ad Tertium,Ex multitudine agentium, tunc multiplicantur actiones,quando per ſe non uti inſtrumentaria principalem agentem repræſentat,ut in caſu noſtro.

29 Ad Quartum, Tūc plures cauſſæ plures producunt effectus,quando ſunt principales, ſed non quando ſunt acceſſoriæ uni agenti ad unum tantum effectum.

30 Ad Quintum, Quando plures ſimul explicant eandem formā,eādemq; materiam exhibent cum eadem intentione, nec plures formæ,nec plures materiæ multiplicantur,quia multorum expreſſio non

multiplicat formam, neq. exhibitio materiæ duplicatur ex multiplicatione exhibitionis, quã eadem unitate intentionis à pluribus profertur, & exhibetur, ut quando plures iudices unam proferũt ſententiam, unicus eſt actus, licet plures protulerint.

Ad Sextum, Licet plures ſint, unus cenſetur, qui unum repræſentãt ad unum, & circa unum.

31 Ad Septimum, Non procedit in uoluntarijs ſed in naturalibus, ut ſi plures nauim traherent, plures, & unus eſt effectus, ideſt tractus nauis; uoluntate enim poſſunt plures unanimiter unum efficere ut unus &c.

Articulus octauus.

Vtrum ieiunium requiratur, ut quis poſsit dare, & recipere ordinem, nec ne.

S. V. M. M. A.

1 *Ordinatio debet a ieiunantibus celebrari. & n. 2. & 3. quomodo intelligatur. n. 9.*

4 *Iurare nemo debet, niſi ieiunus ex text. c. honeſtum 23. q. 5.*

5 *Ad ſacramenta alia, præterquam ad ordinem, non licet accedere, niſi ieiunis, & quomodo intelligatur. n. 9.*

6 *SS. Paulus, & Barnabas ieiunantes imponebant manus.*

7 *Chriſtus Dominus poſt cœnam ordinauit.*

8 *Ieiunium in ordinatione requiritur ob deuotionem Sacramenti, non ob neceſſitatem.*

9 *Iura, quæ dicunt ieiunantibus licere ordinare, quomodo intelligantur.*

10 *Epiſcopi conſecratio fit die Dominico.*

11 *Ieiunium in ordinatione eſt tantum de neceſſitate præcepti, non ſacramenti, ex communi.*

Quod ieiunium requiratur, his ſuadetur rationibus.

1 PRimo, Ex text. in c. litteras de temp. ord. ubi uidetur ſuſtinere ordinationem die Dominico anteprandium factam, propter continuationem ieiunij, ergo ſi ieiunium non eſſet continuatum, ordinatio irrita uideretur, ex illo text.

2 Secundo, Eſt text. in c. reliqui diſt. 77 ubi expreſſe præcipitur, ordinationem a ieiunantibus eſſe faciendam.

3 Tertio, Eſt text. in c. quod a patribus diſt. 75. ubi dicitur eſſe com-

munem

munem obſeruantiam a ieiunantibus celebrari ordinationem.

4 Quarto, Quinimmo iurare nemo debet, niſi ieiunus, c. honeſt. 23. q. 5. & teſtimonium præbere. c. placuit. ext. de teſt. ergo multo magis ſacramenta conficere, & ſuſcipere. c. ſacramenta de conſecrat. diſt. 1.

5 Quinto, Ad alia ſacramenta non licet accedere, niſi ieiunis, in cõfirmatione, & in baptiſmo eſt text. in c. ut ieiuni. & in c. ut Epiſcopi. de cõſ. diſt. 5. in Euchariſtia eſt text. in c. liquido de cõſ. diſt. 2. ergo & in ordinatione, cum non ſit diuerſa ratio.

6 Sexto, S. Paulus, & S. Barnabas ieiunantes imponebant manus, c. quod diſt. 75. ergo ex inſtitutione Apoſtolorum introductum eſt ieiunium in ſacramento ordinis.

Quod uero ieiunium non requiratur, ſic probatur.

7 PRimo, Si in ſacramento eſſet neceſſarium ieiunium, vtiq. Chriſtus dominus non cõfeciſſet hoc poſt cœnam.

8 Secundo, Eſt text. in c. quod diſt. 75. ubi ieiunium requiritur ob deuotionem ſacramenti, non ob neceſsitatem.

9 Tertio, Iura, quæ dicunt ieiunantibus licere ordinare, uel ordinẽ ſuſcipere, de honeſtate, non de neceſſitate loquuntur, ergo pranſi bene conficiunt, ſuſcipiuntq. ſacramentum.

10 Quarto, Conſecratio Epiſcopi fit die Dominico, ſed tali die, aut uolumus continuatum eſſe ieiunium, & hoc non licet die Dominico, aut non continuatum, & ſic ordinatio fit ſine ieiunio.

SOLVTIO.

VT hic abſoluatur articulus, redire debemus ad communem illam diſtinctionem; Num de neceſsitate ſacramenti, uel præcepti quæſtio habeatur nec ne. In quo duplex eſt opinio. Altera illorũ, qui adeo ſacramenta uenerati ſunt, ut auſi fuerint dicere, nõ ieiunis nullum ordinem conferri; hanc opinionem ſequitur Rain. de ſacr. ordinis, & Hugo in ſacram. Euchar. ex iuribus pro parte affirmante

11 Relatis; ſed hæc opinio communiter reprobatur. Altera eſt, quod ieiunium non eſt de neceſsitate ſacramenti, quia etiam pranſi conficiunt, & ſuſcipiunt characterem, licet ſit contra præceptum Eccleſiæ; unde ſi quis pranſus ſuſcipit, uel conficit, peccat; ſic iura allegata ſunt intelligẽda; hanc opinionem ſequitur Gloſſ. in c. litteras de tẽp.

ord. & ibi Doctores, & in c.quod a patribus diſt. 75. & alibi paſſim Hug.in ordinatione, licet contrarium ſentiat in Euchariſtia. Laur.Io. & alij, quos refert, & ſequitur Oſt. in Summ. de temp. ord. uerſ. a quo,& qualiter.n.6. Archid.in d.c.quod a patribus,& ſeqq.diſtin.75. S.Ant. de ord.c.60.§.5.Ang.uerb.ord.§.1.n.7,in fine,& eſt communis,ut de communi teſtatur Silu. uerb.ord.§.2.n.11.& hanc eſſe communem opinionem,dicit etiam Tabien.uerb.ord.§.2. n. 6. Turrecr. in d.c.quod a patribus diſt.75.n.5.Stephan.de Gaet.in d. c. ad limina §.3.n.40.

Articulus nonus.

Vtrum plures ordines uno,& eodem die poſſint conferri, nec ne.

SVMMA.

1 *Fruſtra ſit pluribus, quod una uice fieri poteſt.*
2 *Ad duos ordines minores poteſt quis promoueri.*
3 *In ſingulis ordinibus,requiruntur quædam temporis interualla.*
4 *Epiſcopus conferens,& ſuſcipiens plures ordines ſimul puniuntur.*
5 *Epiſcopus conferens ſacrum ordinem ſimul cum minoribus reprahenditur.*
6 *Ordines ſacri non poſſunt duo ſimul conferri ex Conc.Trid.*
7 *Ordines minores poſſunt ſimul conferri, ſi talis eſt conſuetudo, ſecus ſi non eſt conſuetudo,ſine cauſſa.n.9.*
8 *Ordines maiores, uel minores ſimul cum ſacro non poſſunt conferri de neceſſitate præcepti.n.10.*

Quod ſimul poſsint conferri, ſic probatur.

PRimo, Aut hoc impedimentum eſt reſpectu ordinum,quaſi plures ſimul non cōpatiantur; &hoc eſt falſum,quia ſi uerum eſſet unus unius tantum ordinis eſſet capax,aut eſt reſpectu poteſtatis miniſtri, quaſi non potentis omnes ordines conferre, neq. hoc ueritate nititur, cum habeat poteſtatem conferendi infimum, uſque ad ſupremum, ergo nulla cauſſa eſt,quin ſimul plures conferri non poſsint.

1 Secundo ,Fruſtra fit pluribus,quod una nice fieri poteſt,ſed una uice omnes conferri poſſunt,ergo fruſtra pluribus conferuntur.

2 Ter-

2 Tertio, Eſt text. in d.c. de temp. ord. ubi expreſſe cauetur promoueri poſſe ad duos ordines minores.

Quod non poſsint plures conferri ſimul, hòc modo probatur.

3 PRimo, Eſt tex. in c. in ſingulis, & ſeqq. diſt. 75. ubi interſtitia quædam temporis requiruntur in ſingulis ordinibus. ergo plures ſimul conferri non poſſunt.

4 Secundo, Eſt text. in c. litteras, & in c. dilect. de temp. ord. ubi expreſſe deciditur puniendos eſſe Epiſcopos, & deponendos plures ordines ſimul ſuſcipientes.

5 Tertio, Eſt text. in ca. 2. de eo, qui furt. ord. rec. ubi reprehenditur Epiſcopus, qui contulit ſacrum ordinem ſimul cum minoribus, etiã cum mandato Metropolitani.

6 Quarto, Extat Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 12. ubi prohibetur non eſſe cõferendos duos ſacros ordines.

SOLVTIO.

7 AVt quæritur hic de minoribus, aut de maioribus; ſi de minoribus, aut eſt conſuetudo, aut non; ſi eſt conſuetudo, tunc eſt ſeruandã per text. in d.c. de eo qui furt. ord. rec. in illis uerbis; iuxta conſuetudinem patriæ, quia facit de illicito, licitum, c. cum olim de cler. coniug. aut nulla extat conſuetudo, & tunc duæ ſunt opiniones, Prima eſt, quod poſsint omnes ordines minores ſimul conferri, ſed non maiores, uel minores cum ſacro, per text. in d.c. cum eo. de temp. ord. & c. 2. de eo, qui furt. ord. rec. hanc opinionem ſequitur Goffred. & alij, quos referunt Doctores in c. de eo. & ibi Io. Andr. & Franc. refert Stephan. de Gaet. in d.c. ad limina. §. 3. n. 112. Hoſt. ſibi contrarius in ſumm. de temp. ord. uerſ. qualiter. n. 33. Alia opinio eſt quod non licet plures conferre ex iuribus pro negatiua parte allegatis; hanc opinionem ſequuntur Innoc. Oſt. Abbã. Ant. in d. cap. cum de eo. de temp. ord. hanc ueriorem dicit Ang. uerb. ord. §. 3. n. 6.

9 Ego crederem ex aliquã cauſſa legitima Epiſcopum poſſe plures ordines minores ſimul cõferre, ſed ſine cauſſa non eſſe faciendũ, neq. obſtat text. c. cũ de eo, quia licet indeterminate de ordinibus loquatur nõ tamẽ indeterminata locutio eſt reſpectu tẽporis, ſed reſpe

ctu ordinatoris, Mar. Soc. in d. c. 2. de eo qui furt. ord. rec. ubi teſtatur de communi, Abbatem non poſſe diſpenſare, & dicit imprimi chara rem, licet impediatur executio.

10 Si uero quæritur de maioribus, tunc aut quæritur de neceſsitate ſacramenti, & tunc non impeditur characteris impreſsio per collationem plurium ordinum. ſi de neceſsitate præcepti, tunc non licet, ex dictis iuribus pro parte negatiua allegatis.

Articulus decimus.

Vtrum ordinatio poſsit eſſe ſine ſcrutinio, & examinatione illorum, qui ordinandi ſunt, necne.

S V M M A.

1 *Archidiaconi teſtificatio in ordinatione ſit ſine notitia ordinandorum. quomodo intelligatur. n. 18.*

2 *Noti non examinantur per text. in c. nullus, diſt. 24. quomodo intelligatur. n. 20.*

3 *Vnuſquiſq. debet præſumi bonus, idoneus, & dignus, quomodo intelligatur. n. 21.*

4 *In ſcrutinio quid inquiratur.*

5 *Epiſcopus habens notitiam, quod aliquis eſt indignus, & cauſſa eſt occulta, & ipſi ſoli nota, non poteſt illi denegare ordinem ſi ordo eſt annexus dignitati, uel beneficio collato, petenti.*

6 *Verba S. Pauli ad Tim. Manus nemini cito impoſueris, quomodo intelligenda.*

7 *Nemo promouendus, niſi Epiſcoporum examine, uel populari teſtimonio approbatus.*

8 *Epiſcopi in ſua ordinatione ſunt examinandi, & n. 11.*

9 *Ordinandi ad examen accedere debent quarta feria.*

10 *Ordinatus ſine examine, tanquam criminoſus a clericorum cœtu debet expelli.*

12 *Promouendi ad ſacra regimina, & ad curam animarum, debent prius examinari.*

13 *Archidiaconus in ordinatione debet examinare, & præſentare.*

15 *Ordinatio ſine præcedenti examine eſt nulla quo ad executionem.*

15 *Scrutinium a quibus fieri debeat.*

15 *Epiſcopus ordinans indignum, peccat mortaliter. & n. 17.*

16 *Scrutinium unde dicatur.*

17 *Ordinati ſine ſcrutinio ſunt deponendi.*

18 Tex-

18 *Textus in c. unic. de ſcrut & c. quomodo intelligatur.*
19 *Notus, & dignus, poteſt ſine examine ordinari, & habetur pro examinato.*
20 *Epiſcopus ordinandus, quamuis ſit notus, eſt tamen examinandus.*
22 *Scrutinium non requiritur de neceſſitate ſacramenti, ſed de neceſſitate præcepti.*

Quod ordinatio poſsit eſſe ſine ſcrutinio, his probatur.

PRimo, Eſt text. in c. unic. de ſcrutin. in ord. fac. ubi Archidiaconus in ordinatione interrogatus ab Epiſcopo, An promouendus ſit dignus, reſpondet, & teſtificatur eſſe dignum, quantum humana fragi
1 tas noſſe ſinit, ſed hæc teſtificatio fit ibi ſine notitia ordinandorum, & nulla præcedente examinatione, ergo poteſt eſſe ſine ſcrutinio.

Secundo, Aut habetur notitia, an ordinandus ſit dignus, aut non; ſi
2 habetur notitia, ergo fruſtra quis examinatur. quia noti non examinā tur. c. nullus diſt. 24. & c. de Petro diſt 47. l. 1. ff. de in integ. reſt. & l. cōtinuus. ff. de uerb. oblig. ſi non habetur, aut hæc notitia colligitur ab ordinando, aut ab alijs examinandis, non ab alijs, quia nemo debet diffamare fratrem ſuū, non ab ordinando, quia nemo tenetur detegere turpitudinem ſuam, ergo nullo modo eſt neceſſaria examinatio.

Tertio, Vnuſquiſq; præſumitur bonus, idoneus, & dignus. arg. l. dū
4 dum. ff. de præſumpt. l. cum pater. § rogo. ff. de legat. 2. ergo non indigemus ſcrutinio, ubi iuris præſumptionem habemus.

4 Quarto, In ſcrutinio inquiritur de uita promouendi, de genere, de patria, de ætate, de titulo, de loco, de ſcientia, de fide. adnot. in c. quādo diſt. 24. Oſt. in ſumm. eod. uers. quæ ſit forma n. 5. ſed nullum impedimentum procedit ex defectu prædictorum, quo minus imprimatur character in ordinando, ergo ſcrutinium fruſtra circa hæc ad hibetur.

5 Quinto, Si Epiſcopus habet notitiam, quod aliquis eſt indignus, & cauſſa eſt occulta, & ipſi ſoli nota, non poteſt denegare ordinem petenti, ſi ordo eſt annexus dignitati, uel beneficio collato petenti, & tali perſonæ indignæ. Doct. in c. ex tenore de temp. ord. S. Ant. de ord. c. 16. n. 11. ergo fruſtra ſcrutinium.

Quod ordinare nemo debet, niſi præcedente examine, hæc faciūt.

6 PRimo, Eſt text. in c. 1. diſt. 24. ubi leguntur, quæ ſcripta reliquit S. Paul. 1 ad Tim. 5. Manus nemini cito impoſueris, & nihil ſine

ne præiudicio facias in alteram partem declinando: quaſi dicat, nihil ordinatione faciendum ſine præcedente examinis iudicio.

7 Secundo, Eſt text. in c. nullus. ibid. ubi expreſſe dicitur nullum clericum promouendum, niſi probatus fuerit Epiſcoporum examine, vel populari teſtimonio.

8 Tertio, Eſt text. in c. Epiſcopi eadem diſt. 24. ubi dicitur Epiſcopos eſſe examinandos. ergo & alij ſine ſcrutinio non ſunt ordinādi.

9 Quarto, Eſt text. in c. quando eadem diſt. ubi dicitur, quod quarta feria ordinandi accedere debent ad examen, & examinatores eligendi ab Epiſcopo, ut Scrutari debeant ordinandos, ergo non dubitatur, quin ordinatio fiat præcedente ſcrutinio.

10 Quinto, Eſt text. in c. ſi quis eadem diſt. ubi ſi quis ordinatus reperitur ſine examine, tanquam criminoſus à cœtu clericorum expelli debet.

11 Sexto, Eſt text. in c. qui Epiſcopus diſt. 23. ubi Epiſcopi ſunt examinandi, & traditur forma, ergo multo magis inferiores.

12 Septimo, Eſt text. in c. nihil de elect. ubi expreſſe cauetur prius examinandos eſſe promouendos ad ſacra regimina, & ad curam animarum.

13 Octauo, Eſt text. in c. ut noſtrum de offic. Archid. ubi dicitur, quod de iure communi Archidiaconus debet in ordinatione & examinare, & præſentare, ergo ordinatio fieri non debet, niſi præcedente ſcrutinio.

14 Nono, extat Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 7. ubi feria quarta ante ordinationem diligenti inquiſitione ordinandos eſſe perſcrutandos conſtituitur.

SOLVTIO.

15 Non eſt dubitandum, quod ordinatio nulla eſt ſine præcedente ſcrutinio, quo ad executionem; ante enim ordinationem debet fieri ſcrutinium ab habentibus auctoritatem; ipſe Epiſcopus eſt uerus, & legitimus ſcrutator, quia ipſe mortaliter peccaret, ſi indignum ordinaret; de iure communi eſt Archidiaconus, & alij arbitrio Epiſcopi, & nullum eſſet ſcrutinium, ſi fieret à non habenti-
16 bus poteſtatem. Dictum eſt ſcrutinium à uerbo ſcrutari, quia examinatores ſcrutari, & inquirere tenentur de uita, & moribus ordinandorum. Hoc fit feria quarta, & poſt examen, Archidiaconus examinatos die ſabbathi præſentat ordinādos; hæc et alia ex ſuperioribus

rioribus relatis iuribus probantur. Inn. Abb. & Doct.in c. unic. de ſcrut.in ord.fac. Goff.& Oſt. in ſumm. eod.Archid. in c. presbyteri diſt. 24.ubi per tot.Grat.eadem comprobat.S.Ant.de ord.c.16. n.12. Ang.u.ordo.§.7.in fin.Silu.§.2. n. 9. & uerb. Archid.n.7.Tab. n.7. & adeo hæc conclusio eſt uera, ut ſi contra formam hanc, & ſine ſcru-
17 tinio ordinatio fieret, & Epiſcopus mortaliter peccaret, & ordinati eſſent deponendi. Io.Andr.in c.paſtoralis de iur.patr.& in c.ad hæc. de off.Archid.Franc.in rubr. de ſacr.Nicol.Oſim.q.17.multa congerit Stephan. de Gaet.in d. c. ad lim.§.3. n. 130. Mandagot. de elect. nou.præl.forma 7. fol.428.Turrecrem.in c.quando,& fin.diſt.24. & quid ſit ſcrutinium, quotuplex, unde dicatur, & unde originem duxerit. idem in c.ante uiginti de conſ.diſt.4. Dec.in c.cum in cunctis de elect.n.42.

Obiecta uero in contrarium hoc modo auferuntur.

18 Ad primum, Text.in d.c.unic. loquitur de ſecundo ſcrutinio faciendo in ordinatione, non de primo ante ordinationem, & ſic non eſt caſus de quo agitur. Pro faciliori declaratione ſciendum eſt, quod aut Archid.ſcit aliquem eſſe dignum, aut indignum, aut neutrum ſcit; ſi enim ſcit eſſe dignum,tute poteſt præſentare,& reſpon-
19 dere iuxta formam Pontificalis, quia notus,& dignus poteſt ordinari ſine examine, & habetur pro examinato, & approbato.d.c.nullus diſt.24.& omnes hic ſcribentes; aut ſcit eſſe indignum,& tunc communis eſt cautela,ut teneatur denuntiare Epiſcopo,ut in textu, & ſi Epiſcopus uoluerit ordinare, niti debet an poſſit abeſſe ſine ſcandalo; ſi non poteſt, tunc debet accedere, & præſentare iuxta form. Pontificalis, ne ordinando ulla inferatur infamia, quia Archidiaconus eſt miniſter Eccleſiæ; quæ non iudicat de occultis, alias ſi hoc ab ipſo non fieret,& contra conſcientiam præſentaret, non euaderet peccatum mortale; ſi uero neſcit, an ſit dignus nec ne, tunc ſufficit ei præſentatio facta ab examinatoribus, quia præſumitur idoneus iuxt.not.in l.dud.de præſumpt.& ſatis eſt dicere cum clauſula, quatenus fragilitas humana noſſe ſinit, quia ſub conditione reſpondet, & non abſolute, & ei ſuffragatur præſumptio iuris, & præſentatio examinatoris; hic eſt communis intellectus illius textus,& communis doctrina ſcribētiū,ut ibi Inn.Abb. & alij,quos refert Silu. & Tab.
20 Ad ſecundum, Tripliciter reſpondetur,ſicut tria continentur in argumento. primo noti non examinantur, cum regulariter ſcrutinium fiat de his, quæ nota non ſunt, quod fallit in Epiſcopo conſecrando,quilibet ſit notus,tamē eſt examinādus. c. qui Epiſc. diſt. 23.

Secundo

Secundo, Nemo fratrem infamare debet, unde cauetur, quod ſecreto Epiſcopo ſit denuntiandum, uel abſtinendum à uoto, uel ſecreto uotum Epiſcopo dandum, iuxta doctrinam communem in d. c. unic. Tertio, Aut quis peccatis enormibus eſt obnoxius, quæ ordinationē poſſunt impedire, aut non; ſi ordinatio impeditur, ſunt detegenda peccata, neq. manifeſtatur turpitudo, ſi quis Epiſcopo confitetur, ut diſpenſetur; ſi non impeditur, tunc, cum non requiratur diſpenſatio, non eſt ut confiteatur in ſcrutinio ex communi doctrina, quam tradunt ſcribētes in c. ex tenore; & c. fin. de temp. ord. Oſt. in ſumm, eod. Stephan. de Gaet. in d. c. ad limina. §. 3. n. 134.

21 Ad ſecundum, Dictà regula limitatur pluribus modis, ut Doct. & Abb. in d. c. unic. n. 13. & præcipue in ordinatione non ſufficit præſumptio naturalis, uel iuris, ſed debet fieri diligens examinatio, & ſi non malipræſumptio inuenitur, tunc prima coadiuuatur à ſecunda, & præſumitur idoneus, & debet ordinari. quinimmo eſt tanti momenti præſumptio, quæ à primo ſcrutinio colligitur, ut non referat ſi in ſecundo non habetur notitia ordinandi, quia præſumitur idoneus ex approbatione facta in primo; ita colligitur ex comm. doctrina tradita per Doct. in d. c. unic. ut per Abb. n. 7. uſq. ad finem. non enim ſufficit, ut quis præſumatur idoneus ad ordinandum, quia contra hanc præſumptionem admittitur probatio in contrarium; & inquiſitio in ſcrutinio primo facienda, in qua ſi non reperitur aliquid in contrarium, tunc remanet illæſa prima, quinimmo corroborata ex alia præſumptione procedente ab inquiſitione primi ſcrutinij.

22 Ad quartum, Scrutinium non requiritur de neceſſitate ſacramenti, ſed de neceſſitate præcepti; tunc argumentum procederet, ſi de neceſſitate ſacramenti requireretur, quia ſi ſine ſcrutinio indignus ordinaretur, reciperet characterem, non autem ordinis executionem.

Ad quintum. Non eſt fruſtratoria examinatio, quia in dicto caſu diſpenſatur, cum ordo ſit annexus beneficio.

Articulus undecimus.

Vtrum ordinem furtiue accipiens characterem recipiat, nec ne.

S V M M A.

1 *Furtiue accipiens ſine uoluntate, & intentione dantis accipit.*
2 *Voluntas, & intentio ordinantis requiritur de ſubſtantia.*

3 Sacramentum

3 *Sacramentum ordinis eſt ex inſtitutione diuina.*

4 *Qui furtiuè ordinatur, non intrat per oſtium. quomodo intelligatur-nem.*

5 *Furtiue recipiens ordinem, & excommunicationi ſubiectus, à ſolo Papa diſpenſatur.*

5 *Diſpenſatio uerſatur ſolum circa executionem, non circa characterem.*

6 *Furtiue recipiens ordinem poteſt excommunicari.*

7 *Quis dicatur furtiue recipiens.*

8 *Furtiuè ad ordinationem accedens ordinem, & characterem recipit, licet nudum.*

9 *Furtiuè recipiens ordinem, eſt ipſo iure ſuſpenſus, & irregularis.*

10 *Non habens intentionem ordinandi excommunicatos in genere, ſi ordinat aliquem excommunicatum ignorans, tenet ordinatio.*

Pro parte negatiua, hæc faciunt.

1 PRimo, Qui furtiuè accipit ſine voluntate, & intentione dantis accipit, quia ignorante, & inuito ordinatore accipit, cùm furtum
2 dicatur contrectatio rei alienæ inuito domino, ſed voluntas, & intentio ordinatoris de ſubſtantia requiritur, aliàs non imprimitur character, vt ſuperius hac eadem quæſt. art. 1. deciſum eſt. ergo ſic recipiẽs non ſuſcipit ordinem ex defectu intentionis miniſtri.

3 Secundo, Sacramentum ordinis eſt ex inſtitutione diuina, ſed nemo dixerit velle Deum his ordinem conferre, ergo reuera non confertur, cum Deus non concurrat, quinimmo eius voluntati quis repugnat.

4 Tertio, Qui furtiuè ordinatur, non intrat per oſtium, ſed qui per oſtium non intrat, non dicitur ſubſtantialia ſortiri, ergo nullum ordinem recipit.

Pro parte vero affirmatiua, hæc faciunt.

5 PRimo, Eſt text. in c. de eo qui furt. ord. rec. ubi ſi quis furtiuè recipit, & eſt ſubiectus excommunicationi, ſolus Papa diſpenſat; ſed diſpenſatio verſatur ſolum circa executionem, non characterem quia diſpenſatio ſupponit impreſsionem characteris, ergo ſequitur, quod ſic recipiens, characterem recipiat.

6 Secundo, Eſt text. in d. c. 1. & ſeqq. ubi ſic recipiens, vel accedens poteſt excommunicari, ſed excommunicati ſi ordinantur, ſuſcipiunt characterem, licet nudum, ergo ſic recipiens ordinem ſuſcipit.

7 Tertio, Ille dicitur furtiue recipiens, qui per ſaltum, vel plures, eodem tempore, vel ſine ſcrutinio, vel ſine licentia ſui Epiſcopi ſuſcipit, & ordinatur. Gloſſ. Inn. Oſt. & Abb in d. cap. 1. & ſeqq. de eo qui furt. ord. rec. ſed tales ſic recipientes, ſi ordinantur, recipiunt characterem, ut ſupra dictum eſt, ergo.

SOLVTIO.

8 Communis eſt reſolutio huius articuli, quod recipiens ordinem furtiuè, vere ſacramentum ordinis, & characterem ſuſcipit, ſed non executionem, Oſt. in ſumm. eod. Abb. in d. ca. 1. Marian. Soc.
9 ibi. Stephan. de Gaet. in d. c. ad limina §. 3. n. 1 13. quin immo eſt ipſo iure ſuſpenſus, & irregularis, ita ut ſic furtiue recipiens ad maiores promoueri nõ poſſit ſine diſpẽſatione ſedis Apoſtolicæ, uel Epiſcopi, caſu quo nulla præceſſerit excommunicatio. ſic text. in d. c. 1. & ſeqq. c. lugdunenſis 9. q. 2. Gloſs. Inn. Oſt. & alij in d. c. 1.

Ad argumenta uero pro parte negatiua ſic reſpondetur.

10 Ad Primum, Non ſufficit ignorantia miniſtri, uel defectus intentionis in genere, quia ſi in genere quis non habeat intentionem ordinandi excommunicatos, ſi aliquem excommunicatum ordinat ignorans, tenet ordinatio; eſt neceſſaria ſpecialis intentio non ordinandi talem ſic excommunicatum, ſic Soarez. p. 3; q. 64. artic. 10. diſput. 13. ſect. 3. & ſic licet ordinator ſi ſciret, non ordinaret ſic furtiue ſuſcipientem, ſi tamen ordinat tenet ordinatio, & imprimitur character, licet non detur executio, cum ſit contra præceptum Eccleſiæ.

Ad Secundum, Non concurrit Deus, quoad gratiam, & uirtutem, quia ſic recipiens ſuſcipit nudum characterem.

11 Ad Tertium, Qui per oſtium nõ intrat fur eſt, & male accipit, hoc ſequitur, ſed non excluſio characteris, nec uerum eſt, qui per oſtium non intrat, non ſeruat ſubſtantialia, quia intrare per oſtium non eſt de neceſſitate ſacramenti, ſed de præcepto Eccleſiæ, ut Epiſcopi mercenarij dicuntur, & mediante ſimonia fures &c.

Articulus duodecimus.

Vtrum quis poſſit in aliena diæceſ. ſine litteris ſui Epiſcopi ordinari, & ſi ordinatur characterem ſuſcipiat, nec ne.

SVMMA.

1 *Quoties in aliquo actu inueniuntur omnia de ſubſtantia requiſita, actus ille valet, & ſuum conſequitur effectum, quemodo intelligatur,* nu. 16.

n. 16.

2 *S. Epiphanius ordinauit aliquos clericos de diaceſi S. Chryſoſtomi, & quare n. 17.*

3 *Vnuſquiſq. poteſt transferre domicilium quo uoluerit, & quare poſſit ordinari n. 18.*

4 *Epiſcopus unuſquiſque poteſt dare prebendam cuilibet etiam aliena diaceſis, qui poteſt ordinari & quare n. 19.*

5 *Amittens Eccleſiam captam ab hoſtibus, poteſt tranſmigrare in alienam diœceſim, & ab alieno ordinari, ſaltem ad tempus animo reuertendi, & quare n. 20.*

6 *Siquis impeditus ab hoſtibus non poteſt ad ſuum Epiſcopum accedere, poteſt ab alio ſine licentia ſui ordinari, quomodo intelligatur. n. 21.*

7 *Quiſq; poteſt conſentire in iudicem non ſuum, ſine ſui licentia, & quando nu. 22.*

8 *Renuntians Epiſcopatui, ſi ordinat, recta eſt ordinatio, quomodo intelligatur n. 23.*

9 *Epiſcopus poteſt ordinare ſuũ familiarem non ſubditum, ſi per trienuium apud eum commoratus fuerit. & quare. & quando. nu. 24.*

10 *Epiſcopus magis debet noſcere vultum pecoris ſui, quam alienus.*

11 *In ſacramentis conferendis duo conſiderantur.*

12 *Epiſcopus ordinans alios aliena diaceſis uſurpat alienam iuriſdictionem.*

13 *Nemini licet mittere falcem in alienam meſſem.*

14 *Si quis ordinatur ſine licentia proprij Epiſcopi, ordinator peccat, & ordinatus ſuſpenditur ab ordine.*

15 *Epiſcopus non poteſt ordinare non ſubditum ſine litteris dimiſſorijs eius Epiſcopi, & contrauenientes quomodo puniantur.*

Affirmatiua ſic probatur.

1 PRimo, Quoties in aliquo actu inueniuntur omnia de ſubſtantia requiſita, non eſt dubitandum, quin actus ille ualeat, & ſuum conſequatur effectum, ſed in ordinatione facta ab alio Epiſcopo, ſine conſenſu proprij, omnia ſubſtantialia inueniuntur, ergo legitima eſt ordinatio.

2 Secundo, Eſt text. in c. Lugdunens. 9. q. 2. ubi ſcilicet S. Epiphanius ordinauit aliquos clericos diæceſis S. Io. Chryſoſtomi, & rata habita fuit ordinatio.

3 Tertio. Vnuſquiſq. poteſt transferre domicilium quo uoluerit, ergo ubiq; ſine conſenſu poteſt ordinari, cum ubi domicilium contrahatur, ibi ordinatio fieri poſſit, Gloſſ. Archid. Turrecrem. in c. primatum.

matum diſt.71.

4 Quarto, Vnuſquiſq; Epiſcopus poteſt dare præbendam cuilibet, etiam alienæ diæceſis, adnot. in c. iamdudum de præb. ſed qui habet præbendam in aliena diæceſi poteſt ordinari ab Epiſcopo illius diæceſis ſine voluntate proprij Epiſcopi ex ſent. Inn. quam refert Archid. in c. 1. diſt. 71 ergo &c.

5 Quinto, Si quis amittit eccleſiam, quia fuit ab hoſtibus capta, poteſt, tranſmigrare in alienam diæceſim, & ab alieno ordinari, ſaltem ad tempus animo reuertendi iuxta not. in c. paſtoralis. 7. q. 1. & ſic ſine conſenſu proprij.

6 Sexto, Eſt text. in c. fraternitatem diſt. 71. ub. ſi quis impeditur ab hoſtibus accedere ad ſuum Epiſcopum, poteſt ſine alia licentia ſui ordinarij.

7 Septimo, Si ab alieno Epiſcopo non poteſt ordinari, procedit a defectu iuriſdictionis, ſed quiſq; poteſt conſentire in iudicem non ſuum ſine conſenſu ſui, ergo, & ordinari, cum ſit eadem ratio.

8 Octauo, Si quis renuntiauerit Epiſcopatui, & ordinauerit, recta eſt ordinatio c. 1. de ord. ab Epiſcop. fact. ergo poteſt quis ordinari ab Epiſcopo non ſuo, cum per renuntiationem deſinat eſſe Epiſcopus.

9 Nono, Epiſcopus poteſt ordinare ſuum familiarem non ſubditum, ſi per triennium ſecum commoratus fuerit Concil. Trident. ſeſſ. 23. c. 19.

Negatiua vero ſic probatur.

10 PRimo, Proprius Epiſcopus magis noſcere debet vultum pecoris ſui, quam alienus, ergo à proprio non ab alieno.

11 Secundo, In ſacramentis conferendis, duo conſiderantur poteſtas, & iuriſdictio, & ex defectu vtriuſq; nulla eſt ordinatio.

12 Tertio, Hoc modo ſi liceret alieno Epiſcopo ordinare illos alienæ diæceſis, vſurpare liceret alienam iuriſdictionem, & ſic iuriſdictiones confunderentur, quod eſt abſurdum.

13 Quarto, Nemini licet mittere falcem in alienam meſſem, Deuteron. 23. *Si intraueris ſegetem amici tui, falcem non mittes.*

Quinto, Alias ſeditiones orirentur, quibus obuiandum eſt, c. illud. diſt. 71.

14 Sexto, Eſt text. in c. 1. & ſeqq. per tot. diſt. 71. vbi ſine licentia proprij Epiſcopi non licet aliquem ordinare, & ſi ordinatur, & ordinator peccat, & ordinatus ſuſpenditur ab ordine.

Septimo.

Digitized by Google

Septimo, Eſt text. in c. 1. 9. q. 2. ubi id expreſſe dicitur.

Octauo, Eſt text. in c. nullum, & c. ſeq. 9. q. 1. ubi idem deciditur.

Nono, Extat Conc. Trident. ſeſſ. 23. ubi expreſſe hoc determinatũ legitur.

SOLVTIO.

15 Eſt indubitata Doctorum concl. quod Epiſcopus non ſubditum ordinare non poſſit aliquo modo ſine litteris comendatitijs, ſeu dimiſſorijs eius Epiſcopi. Differt commendatitia, & dimiſſoria ſec. Inn. in rubr. de cler. ægrot. quia cõmẽdatitia, eſt qua cõmendatur uita, dimiſſoria qua committitur alienæ iuriſdictioni, & ſi aliquis nõ ſubditus reperiretur ordinatus, licet ſuſcipiat characterẽ, nihilominꝰ nõ habet executionẽ, niſi ratũ habeat eius Epiſcopus, & ordinator ſuſpẽditur ab officio ordinandi per annum; hæc omnia iuribus prætermiſſis probãtur per Gloſſ. dictis iuribus. Hug. & Io. quos refert Turrecrem. in c. primat. diſt. 71. n. 1. Inn. in c. Epiſcopali de præb. ubi refert Henric. Boich. n. 3. Archid. in c. clericos diſt, 71. Butr. in c. quoad translationem. n. 3. de temp. ord. Oſt. in ſumm. de temp. ordin. uerſ. à quo. Ant. in c. cum contingat. & ibi Oſt. de ætat. & qualit. Abb. in c. ueniens de præſcript. n. 6. Paris, conſil. 156. n. 4. lib 4. Rebuff. in pract. de cleric. n. 12. Egid. in repet. c. adeo. n. 3. de reſcript. Rot. p. prima deciſ. 731. n. 1. Ang. uerb. ordo n. 12. Silu. n. 3. Tabien. §. 12. n. 3. Stephan. de Gaeta. in d. c. ad limina. §. 3. n. 64. Nau. c. 22. n. 18. Vnde ad contraria.

16 Ad Primum, Valet ordinatio quoad impreſſionem characteris, ſed non quoad executionem, quia ſuſpenditur, ut dictum eſt, & licet ſubſtantialia interuenerint, non interuenit iuriſdictio, cuius defectu ordinis exercitium impeditur.

17 Ad ſecundum, S. Epiphanius, quia erat ſanctus ſciebat non diſplicere S. Chryſoſtomo, ſi clericos ſuæ diæceſis ordinabat, ſancti enim tanta beneuolentia, & caritate ſunt coniuncti, ut licẽtia generalis præſumatur eſſe inter ipſos circa negotium ordinationis.

18 Ad Tertium, Ratione domicilij quis efficitur ſubditus; unde ſi ordinatur, dicitur ordinatus à ſuo Epiſcopo, non ab alieno, & licet uix poſsit liberari ab originali, tamen non eſt dubitandum, quin ratione domicilij fieri poſſit.

19 Ad Quartũ, Ratione beneficij, ſicut ratione domicilij quis fit ſub-

 ditus.

ditus; unde ſic ordinatus à proprio Epiſcopo, dicitur ordinatus, ex ſẽtentia Inn. ſuperius allegati.

20 Ad Quintum, Stante neceſſitate, licet quis poſſit transmigrare ad aliam diæceſim, non propterea dicitur liberatus à iuriſdictione ſuæ Eccleſiæ; unde illud ad tempus eſt, donec liberatur Eccleſia; non ſequitur ergo ſine Epiſcopi ſui conſenſu, quia neq; illud fit ſine diſpenſatione ſedis Apoſtolicæ, cum ultramontani, & alij ſufficientes neq; ordinantur ſine licentia ſui Epiſcopi, uel Papæ. Silu. d. n. 3.

21 Ad Sextum, Diſpoſitio c. fraternitatem emanauit à ſede Apoſtolica, cuius licentia non negatur, quia nonſubditi poſſunt ordinari, maxime in cauſſa ut ibi.

22 Ad Septimum, Regulariter nemo poteſt prorogare iuriſdictionem & hoc in eccleſiaſticis præcipue locum habet, & ſi quandoq. contingit, id ex cauſſa fit, & iure cautum eſſe debet; unde in conſequentiã in ordinatione non permittitur.

23 Ad Octauum, Non cauetur ibi ſine licentia Epiſcopi ordinari poſſe ab eo, qui renuntiauit, ſed tantum rogatus ab Epiſcopo, qui ſucceſſit renuntianti; quinimmo ſi is non tantum loco, ſed & dignitati renũnuntiaſſet, nullo modo poſſet ordinare; & ſic retorquetur.

24 Ad Nonum, Familiaris non ſubditus, fit ſubditus per commorationem triennalem, ex diſpoſitione Concilij, & ex beneficio, quia Concilium diſponit duo eſſe neceſſaria, ut aliquis familiaris ordinetur; alterum eſt, ut familiaris per triennium ſit commoratus, alterum, ut illico ei conferatur beneficium, ita ut ſi unum interueniat ſine altero non poſsit ordinari, uel irrita fiet ordinatio; extat pulcherrima deciſio Rotæ. p. prima decif. 731. ubi deciditur, quod ſi non conſtat de collatione beneficij, non ſufficere commorationem triennalem; quod eſt memoriæ commendandum, quia uidi plures inſignis doctrinæ atq. experientiæ deceptos fuiſſe, & ordinaſſe familiarẽ ob ſolã commorationem triẽnalem; facit doctrina Specul. in c. eos de temp. ord. ubi hoc ſentire uidetur, quia ratione beneficii fit ſubditus, ut ordinari poſsit, Abb. in c. cum nullus de temp. ordin. & ibi Franc. & Gemin. & non ſolum procedit in maioribus, ſed in minoribus, & in prima tonſura, ut extat declaratio ſacræ Congregationis dominorum Cardinalium &c.

Arti-

Articulus decimustertius.

Vtrum requiratur titulus ut quis ordinem ſuſcipere valeat, necne.

S V M M A.

1 *Titulus non requiritur de neceſsitate ſacramenti. & n.28.*
1 *Sententia Chriſti: Vade, & vende omnia, quæ habes & c. quomodo intelligatur. n.28,*
2 *Chriſtus Dominus inſtitutor ſacramenti ordinis ordinauit Apoſtolos ſine titulo, & quare. n.29.*
3 *Epiſcopus non tenetur prouidere ordinato prædeceſſoris ſine titulo, & quare, licet ſic, ex obligatione Eccleſiæ. n.19. & n.30.*
4 *Habens paternam hereditatem, poteſt ordinari ſine titulo, & quare. n. 32.*
5 *Diues ordinatus non poteſt petere beneficium, & quando. n.33.*
6 *Ordinandus renuntians ordinatori quidquid propter ordinationem deberet, non poteſt amplius petere, & quando teneat huiuſmodi renuntiatio. n. 35.*
7 *Ordinare, & præſtare alimenta, uel non, eſt ad arbitrium Epiſcopi.*
8 *Epiſcopus ordinans aliquem ſine titulo, tenetur illum alere de ſuo, donec prouiſum fuerit de aliquo beneficio eccleſiaſtico. & n. 18.*
6 *Beneficium collatum ordinato, ſi euincatur, tenetur iterum ordinator illum prouidere.*
10 *Qui altari ſeruit, de altari uiuere debet.*
11 *Ad quem ſpectat onus, debet ſpectare emolumentum.*
12 *Si quis ſine titulo ordinaretur, quæ ſequerentur inconuenientia. n. 13. & 14.*
15 *Bona eccleſiarum ſunt bona pauperum.*
16 *Nemo abſolute, ideſt ſine titulo poteſt ordinari ex Conc. Chalc.*
17 *Ordinandus ſi promittit, & iuramento renuntiat iuri petendi ab ordinatore ambo incurrunt pœnam, & peccatum ſimoniæ.*
18 *Titulus beneficij requiritur ad effectum, ut quis legitime ordinetur.*
19 *Ordinator in quibus caſibus teneatur prouidere ordinato de titulo, & n. 20. 22. & 22. & in quibus caſibus non teneatur. n. 23. & 24.*
25 *Ordinatus licet habeat unde ſe alat, poteſt petere titulum ab ordinatore, & quando non n.26,*
27 *Patrimonium clerici ſi perijt, tenetur illum Epiſcopus alere. & quare.*

31 *Collatio beneficij non eſt donatio,& quare.*
34 *Habere intentionem ſeruiendi altari propter beneficium,quo ſe poſſit alere, non eſt peccatum, & quare.*

Quod non requiratur titulus,ſic probatur.

1 PRimo, Aut requiritur de neceſsitate ſacramẽti,aut de neceſſitate præcepti,aut de honeſtate,& congruitate.Non de neceſsitate ſacramenti,quia ſi quis ſine titulo ordinatur,ſuſcipit characterem,ad not.in c.cum ſecundum Apoſtolum de præb. non de neceſsitate præcepti,quia dixit Chriſtus Dominus Luc.18.Vende omnia quæ habes,& ſequere me,& Apoſtoli Matth.19.dixerunt:Ecce nos reliquimus omnia,& ſecuti ſumus te;non de honeſtate. magis enim honeſtum,& congruum eſt cum paupertate,quã cum diuitijs ſequi Chriſtum,quia Clericus coronatur,& eſt de hereditate Domini, & ſecundum S. Hieronymum Cum temporalibus dedignatur pars Domini.

2 Secundo, Sacramentum ordinis eſt inſtitutum à Chriſto Domino,ſed Chriſtus Dominus ordinauit diſcipulos ſine titulo,ergo.

Tertio,Si requireretur titulus,adeo anguſtiati eſſent Epiſcopi,ut cogerentur,vel diuitibus dare, uel eccleſiæ prouidere, ſed poteſt dari caſus, quo quis Eccleſiam habeat ſine beneficiis, & quod ſubditi ſine ullo ſint patrimonio,& quod nemo reperiatur ordinandus, niſi pauper, ergo &c.

3 Quarto,Si ſine titulo nemo ordinaretur, ſequeretur, quod defuncto ordinatore,uel ſucceſſor ordinator teneretur prouidere,uel heredes defuncti,uel ordinatus ordinem amitteret, ſed non amittit ordinẽ, cum imprimatur character,neq; ſucceſſor tenetur, cum nemo teneatur ex culpa aliena c. quorumdam.diſt.33.l.2.C.ſi reus,uel accu. l.unic.C.ne ex delict.defunct.

Quinto,Si quis ſine titulo ordinari non poſset, ſequeretur, quod quando beneficium ordinato conferretur, & illud euinceretur, aut ordinator de euictione teneretur,aut ſic ordinatus ordinem amitteret,aut ſine titulo remaneret;nõ tenetur de euictione, cum collatio beneficij ſit gratia,& quaſi donatio,arg.l.ad res.ff.de ædilit edict.ergo remanet ordinatus ſine titulo.

4 Sexto,Si quis habet hereditatem paternam poteſt ordinari ſine titulo.c. Epiſcop.de præb.nec ſic ordinatus ad titulum ſui patrimonij dicitur,cum ad effectum conſtituendi titulum, requiratur, ut patrimonium Eccleſiaſticum efficiatur,ſed tale non efficitur,quia poteſt

uendi

uendi ad arbitrium ſui domini, ſine canonica ſolemnitate,ut uoluit Inn.in d.c.Epiſcop. in fine, & ſi periret, non teneretur Epiſcopus prouidere;ergo ſic ordinatus non dicitur aliquo titulo ordinatus.

5 Septimo, Si ſine titulo quis ordinari non poſſet, ſequeretur,quod diues ordinatus, poſſet beneficium petere ab ordinatore, ſed hoc non uidetur poſſe,cum non petimus, quod intus habemus.c. cleros c. paſtoral. 1.q 2.c.tuis de præb.Oſt.in d.c.Epiſc.de præb.

Octauo,Si ſine titulo quis ordinari non poſſet,daretur occaſio peccandi,quia multi inuitarentur ad ordinandum propter titulum beneficij,non ſine ſcrupulo ſimoniæ.

Nono,Si Epiſcopus conferret beneficium illegitime,& ſciret ordinandus,non uidetur in dicto caſu aſtringi poſſe ad prouidendum, quia dolus utriuſq; compenſatur,l.cum ambo.ff. de conſt. ergo remanet ordinatus ſine titulo.

6 Decimo,Si ordinandus renuntiaret ordinatori quidquid deberet propter ordinationem,non poſſet amplius petere.arg.c.quam periculoſum.7.q.1.c.cum inter.de elect.ergo datur caſus, quo quis ſine titulo ordinari poſſit.

Affirmatiuè,quod requiratur titulus,ut legitime ordinetur, ſic probatur.

7 PRimo,Eſt text.in c.non liceat de præb.ubi dicitur eſſe ad arbitrium Epiſcopi ordinare,et præſtare alimoniam, uel non ordinare,ergo requiritur titulus.

8 Secundo,Eſt text.in c.Epiſcop.eod.ubi ſi Epiſcopus ordinauit aliquem,tenetur illum alere de ſuo,donec prouiſum fuerit de aliquo eccleſiaſtico beneficio.

Tertio,Eſt text.in c. cum ſecundum Apoſtolum eod.ubi expreſſe hoc diſponitur multis rationibus, & ibi eſt materia,& Doctor. omnes.

9 Quarto,Eſt text. in c.inter cetera eod.ubi ſi beneficium collatum eſt ordinato,& euincatur, quod tenetur iterum prouidere,ergo multo magis,ſi ſine titulo ordinaretur.

10 Quinto,Qui altari ſeruit, de altari uiuere debet, c.ex his.12. q. 1. ſed clericus ordinatur,ut altari ſeruiat,ergo prouidendus ut de altari uiuere ualeat,& ſic requiritur titulus.

11 Sexto,Ad quem ſpectat onus, debet ſpectare emolumentum c.caritatem.12.q.2.arg.l.unic.§.pro ſecundo.c.de ead. toll. l. ſecundum

naturam.ff.de re iud.& l.fin.§.ſed ui.ff.de furto. ſed per ordinationem imponitur onus ordinato, ergo debet etiam dari emolumentũ, quo onus fieri poſſit.

12 Septimo, Alias ſequeretur maximũ opprobrium, & clericorum uilipendium propter paupertatem,quod non eſt ferendum.c.Diaconi.diſt.93.c.ad ſupplicationem de renunt.

13 Octauo, Alias Chriſti Domini cõtemptus ſequeretur,ſi egerent, cum per ordinationem aſſumãtur in ſortem Domini.d.c. cum ſecũdum Apoſtol.

14 Nono,Sic augetur cultus diuinus, & numerus clericorum, quod eſt faciendum.adnot.in c. ex parte de conſt.

15 Decimo,Bona Eccleſiarum ſunt bona pauperum.c. clericos, &c. paſtor.1. q.2.ergo ordinandi,& tanquam pauperes de illis prouidendi ſunt.

16 Vndecimo,Extat diſtinctio 70.Gratiani c.1.2.& 3.& generaliter hoc inſtitutum eſſe reperitur in Conc.Chalced. ut nemo audeat abſolute ſine titulo ordinare.

17 Duodecimo, Quinimmo ſi ordinandus promitteret,& iuramento renuntiaret iuri petendi ab ordinatore, neuter euaderet pœnam, & ſimoniæ peccato fieret obnoxius.c.ſi quis de ſimon.

S O L V T I O.

18 EST indubitata Doctorum concluſio, quod requiritur titulus ad effectum,ut quis legitime ordinetur,alias ſine titulo beneficij uel ſui patrimonij,ſi quis ordinaretur,& ordinatus non haberet, unde ſe alere poſſet, teneretur ordinator præſtare alimenta neceſſaria, donec prouiſum erit de congruenti beneficio, quæ concluſio comprobatur iuribus,& rationibus pro hac parte affirmatiua allegatis.Gloſſ.in c.Epiſcop & in c. cum ſecundum Apoſtolum de præbend.& in c.1.2.& 3.& in c.neminem.& ibi Archid.& Turrecrem. diſt.70.Inn.Hoſt.Abb.& Dec. in d.c.Epiſcop. Henric. Boich. & Felin.in c.ſiquis de ſimon.Io.Andr.in c.ex tenore in fin.de temp. ord. nec poteſt diſpenſare Epiſcopus.idem in c. cum dilectus de præb. refert Stephan.de Gaet.in d.ca.ad limina §. 3.n. 90. ubi per illum text. uidetur concluſio ampliata,etiam ſi iuramento eſſet renuntiatum,quia non obſtante renuntiatione tenetur Epiſcopus alere ordinatum ſine titulo,& licet Abb.& Gloſſ. uideantur diſtinguere ante ordinationem,uel poſt,cum iuramento,uel ſine iuramento,nihilominus

nus

nus contraria opinio, quod renuntiatio non teneat, etiam iuramento uallata, eſt magis communis, quod abſolute procedit, Doctores, & Bald. in l. pactum. in fin. C. de coll. Io. Andr. & Mar. Soc. & Felin. multa congerens in c. ſi quis.

19 Secundo, Ampliatur dicta concluſio, ut locum habeat in ſucceſſore, unde ſi moritur ordinator, tenetur ſucceſſor, ita Gloſſ. quam ſequuntur Oſt. Inn. & Doctores omnes, in d. c. cum ſecundum Apoſtol. ſed. dubitatur, An is teneatur, qui in hereditate ſuccedit, an qui in Eccleſia; & communis opinio eſt, ut heres teneatur, quia ordinator uidetur obligatus ex quaſi contractu, ut de communi teſtatur Abb. in d. c. cum ſecundum Apoſtol. nu. 11. licet ipſe diſtinguat, quia ſi Eccleſia eſt potens, non tenentur heredes, quia obligatio illa eſt in ſubſidium, aut non eſt commoda, & tunc tenentur heredes. ita Abb.

20 Tertio, Ampliatur, quod procedit etiam quando quis Epiſcopatum reſignat, ita Innoc. Oſtien. Abb. in d. cap. cum ſecundum Apoſtol.

Quarto, Ampliatur, etiam, ſi ordinatus neglexerit petere ab ordinatore, quia reſeruatur ei ius petendi aduerſus ſucceſſorem, cum ſine exceptione debeatur. ibid. Inn. & Oſt.

21 Quinto, Ampliatur in caſu, quo ſit collatum beneficium non ſufficiens, uel quod ſit euictum, Doct. in c. inter cetera de præb. & ibi declaratur materia.

22 Sexto, Ampliatur in caſu, quo ſic ordinatus haberet proprietatem nudam, & poſſet uendere, quia hoc non obſtante, ordinator alere tenetur, ſi aliunde non habet. Dec. in cap. Epiſcop. de præbend. nu. 21. & ſeqq. per doctrinam Baldi in l. fin. §. ipſum autem C. de bon. quæſt. 2. lib. ubi pater tenetur alere filium habentem nudam proprietatem.

23 Limitatur Primo Concluſio, ut locum non habeat in minoribus ordinibus. ita Abb. in c. 2. & ibi Doctores. & Inn. Oſt. in d. c. Epiſcop. & Arch. & Turrecr. in c. neminem diſt. 70. qui declarant, quod licet indiſtincte teneant Doctores, tamen Eccleſia Romana nõ conſueuit, niſi in ſacris.

24 Limitatur Secundo in caſu quo ordinati habent, unde ſe alere poſſint, quia ordinator non tenetur niſi in ſubſidium; eſt communis opinio, quam ſequuntur Gloſſ. Inn. Oſt. Abb. & Dec. in d. c. Epiſcop. de præb. quinimmo hæc limitatio ampliatur in caſu, quo ordinatus haberet patrem diuitem, uel alium obligatum, & tunc ordina-

tor non tenetur, ita Imol. & Dec. in d. c. Epiſcop. n 7. Alex. in l. in ſuis. ff. de lib. & poſthum. facit text in c. clericos. 1. q. 2. in illis uerbis quibus parentũ, uel propinquorũ nõ ſuffragantur; bona ſublimitat Dec. quod non habet locum quando ordinandus exercitio poterat uictum quærere, quo caſu non tenetur pater, quia ſic ordinatus, licet propter dignitatem clericalem ei non liceat amplius uictum ſibi quærere, tamen factum Epiſcopi non debet nocere patri, l. non debet. ff. de reg. iur. & tenetur Epiſcopus ordinator ſine titulo.

25 Declarantur prædicta, quod licet quis habeat patrimonium, uel unde alere ſe poſſit, ex quo fit, ut non poſſit cogi ordinator alere, tamen poteſt petere beneficium ab ordinatore. ita Inn. Oſt. Abb. in d. c. Epiſcop. Imol. in c. quoniam in fin. ne præl. in ſua. &c. & alij in c. poſtulaſti de reſcript. & eſt communis opinio, ut de communi teſtatur Decius in d. c. Epiſcop. n. 13. Hinc eſt, quod Abbas ſentit, quod is nõ peccat, quia ex redditibus Eccleſiæ uiuit, dummodo non luxurioſe, etiam ſi reſeruaret patrimonialia ſuis conſanguineis, & conciliat multa iura, quodammodo diſcrepantia, & dicit eſſe communem opinionem, allegat. Io. de Ligna. in c. gratiæ de reſcr. & Arch. in c. ſtatũ eod. late Andr. Sicul. de præſtant. Card. dd. in 6. q. Io. Andr. in c. tuis de præbend.

26 Limitatur hæc declaratio, ut non procedat, quando quis expreſſe fuerit ordinatus ad titulum ſui patrimonij, quia non poteſt in dicto caſu ab ordinatore petere beneficium, quia ille titulus ſubrogatur in locum tituli beneficij, ita Io. Goffr. Inn. & Oſt. refert. Turrecrem. in d. c. neminem diſt. 70. n. 3. licet Dec. in d. c. Epiſcop. uideatur contrarium ſentire, negando, quod ille titulus patrimonii ſubrogetur in locum tituli eccleſiaſtici, uult enim, quod tantum fiat in exonerationem obligationis Epiſcopi, & licet illa bona ſint priuilegiata, nihilominus priuilegium eſt reſpectu perſonæ, non bonorum, alias non poſſent illa bona alienari ſine ſolemnitate canonica, & redditur ratio, quia titulus patrimonii non eſt proprie titulus, ſed in ſubſidium ad effectum ordinandi, & Epiſcopum exonerandi, & licet circa hoc, iuri ſit ſatisfactum, non tamen dicitur ſatisfactum dicto S. Pauli. 1, ad Corinth. 9. & diſpoſitioni d. c. cum ſecundum Apoſtolum, ubi qui altari ſeruit de altari uiuere debet, & onus exigit mercedem, & nemo tenetur militare propriis ſtipendiis; nihilominus non eſt recedendum à ſuperiori opinione, quæ uidetur magis communis, cum huic iuri, & ſuæ mercedi poſſit unuſquiſque renuntiare, & renuntiatum uidetur, ex quo ordinandus conſentit ordi-

nationi

nationi ad titulum ſui patrimonii, quod uidetur operari non ſolum liberationem Epiſcopi, ut non teneatur de proprio, ſed nec conferre beneficium.

27 Limitatur Tertio concluſio principalis, quod ſi patrimonium periit fortuito, & non culpa clerici, quod Epiſcopus, teneturita Inn. & Oſt. in d.c. Epiſc. in fine. quod ex ſententia dictorum dd. procedit etiam ſi culpa ſua, quia ratio eſt publica, & non priuata, quod clericus pauper ueniat alendus ex bonis Epiſcopi ordinantis ſine titulo, & culpa priuati non debet nocere reipublicæ; & licet ſit in odium culpæ clerici, tamen remanet pœna ordinatoris.

Obiecta iura, & argumenta ſic diluuntur.

28 AD Primum, Dicitur non eſſe de neceſſitate ſacramenti titulus, ſed de neceſſitate præcepti, unde licet quis ſuſcipiat ordinem ſine titulo, non recipit tamen executionem, donec impedimentum paupertatis non fuerit remotum, præceptum uero Domini non eſt ob neceſsitatem, ſed propter perfectionem, facilius n. ac perfectus perfectius Chriſtum imitamur paupertate, quam diuitiis.

29 Ad ſecundum, In primitiua Eccleſia non aderant bona, unde in illo feruore fidei omnia penes Apoſtolos libenter deponebantur, ſed creſcente malitia, quia ſic pauperes clerici contemnabantur, neceſſe fuit inſtituere ordinationem cum titulo ad uitandum opprobriũ paupertatis.

Ad Tertium, Concluſio ſuperius firmata ſupponit terminos habiles nimirum, uel quod Eccleſia, uel Prælatus, uel ordinãdi bona poſſideãt ſi minus, non ceſſat, et imputatur ordinãdo, qui altari ſeruire obligatur, quod nihil habet.

30 Ad Quartum, Non tenetur ſucceſſor ex culpa alterius, ſed ex obligatione Eccleſiæ. remanet enim Eccleſia obligata, quando eſt cõmoda, quando non eſt commoda, tenentur heredes ex quaſi contractu, ut in ſecunda ampliatione dictum eſt ex ſent. Abb. in d.c. cum ſecundum Apoſtolum.

31 Ad Quintum, Negatur, quod collatio beneficij ſit donatio, quia nõ procedit ex mera liberalitate Prælati, ſed etiam ex obligatione, quã adſtringuntur Prælati prouidere ordinatos. hinc eſt quod ex generali obligatione ſemper tenentur loco euicti, uel non ſufficientis aliud conferre. iuxta not. in d.c. inter cetera.

32 Ad Sextum, Titulus ſui patrimonij ſuccedit in locum tituli beneficij,

ficij,quia ordinator dicitur exoneratus,nec refert an fiat patrimonium eccleſiaſticum, nec ne,quia ſatis eſt iuri ſatisfactum, ut ordinatus non indigeat,ita cum honore altari ſeruire ualeat, & ſi de altari non uiuit ſibi imputetur,cum mercedi renuntiauerit,quia uoluit ordinem ad titulum ſui patrimonij.

33 Ad Septimum,Aut diues expreſſe eſt ordinatus ad titulum ſui patrimonij,& tunc non poteſt petere beneficium, & procedit, quod dicit Oſt.in d,c.Epiſcopus.quod non petimus,quod intus habemus, aut non eſt ordinatus ad titulum,& tunc poteſt petere,quia nemo tenetur militare ſuis ſtipendijs,ut in ſolutione.

34 Ad Octauum,Habere intentionem ſeruiendi altari propter beneficium, ut ipſe ſe alere, & uiuere honeſte poſſit, non eſt peccatum, quia unuſquiſque tenetur quærere uictum, quinimmo, ut ipſe ſe alat, poteſt locare exercitium,etiam in ſpiritualibus,ut Abb. in d.c. cum ſecundum Apoſtol. nu.3. ubi dicit, quod pauper locando operas ſuas,non habet intentionem uendendi diuina, ſed ut uiuat, & ſic non inuitantur ad uendendum diuina,ſed ad onus ſuſtinendum.

Ad Nonum,In caſu noſtro non compenſatur,quia alias præiudicaretur Eccleſiæ,& Chriſto Domino,quod quis fraude,& culpa utriuſque ordinaretur cum opprobrio paupertatis, unde uterque tenetur, ſic Doct.in d.c.cum ſecundum Apoſtol.

35 Ad Decimum,Non tenet hæc renuntiatio,niſi in caſu,quo haberet,unde ſe alere poſſit,alioquin non poteſt quis renuntiare bono publico,ut ſuperius dictum eſt.

Articulus decimusquartus.

Vtrum ordinator debeat exigere uotum caſtitatis, & ordinandus ſpondere continentiam, necne.

SVMMA.

1 *Verba illa* S. P*auli:Melius eſt nubere, quam uri, quando intelligatur n. 34.*
1 *Quod uni permittitur,alteri uidetur permittendum.*
2 *Coniugati,ſi ordinantur,recipiunt characterem,non autem executionē ordinis.& quare.n.35.*
3 *Bonum,aliud bonum augere,non impedire ſolet.*
4 *Votum eſt uinculum uoluntatis,nō neceſsitatis, & quando habeat uinculum neceſsitatis n. 37.*

5 Votum

5 *Votum caſtitatis dicitur ordini annexum;& quomodo n.39.*

6 *In minoribus ordinibus non requiritur promiſsio uoti nec tacite, neq; expreſſe, & quare.n,40.*

6 *Ordines omnes ſiue maiores, ſiue minores,ſunt ſub unitate ſacramenti ordinis poteſtatiue.*

7 *Sacerdotibus ueteris teſtamenti permittebatur uſus uxorum, & quare.n.41.*

8 *Matrimonium ſignificat coniunctionem Chriſti cum Eccleſia.*

9 *Ordines omnes inſtituuntur ad ſpiritualia.*

10 *Clerici coniugati poſſunt promoueri iuxta canonicas ſanctiones.*

11 *Verba illa S.Pauli:Coniugatis uacandum eſſe ad tempus,&c.quomodo intelligantur,n.44.*

12 *Nuptijs interdicens anathematizatur,quomodo intelligatur.n.45.*

13 *Ordinati ſemper debent obſeruare continentiam;& quare.&.n.46.*

14 *Vſus carnalis tempore oblationis tantum,quibus prohibeatur.n.47.*

15 *Epiſcopus non poteſt ordinare Subdiaconum,ſi is continentiam non promittit.*

16 *Clericis ſemper altari aſsiſtendum eſt.*

17 *In minoribus conſtituti, cum ad annos pubertatis perueniunt,debent cogi,uel uxorem ducere,uel caſtitatem profiteri.*

18 *Non poteſt quis toto corde cum Deo ambulare,ſi feminarum acceſsibus copulatur.*

19 *Nemo prouidendus eſt clericus, niſi caſtitatem uouerit.*

20 *Clerici ſunt ſodales Angelorum in ſeruiendo Deo.*

21 *Sacerdotes mundare alios debent.*

22 *Sacerdotum, & clericorum ſponſa eſt Eccleſia,cui inſeruiunt.*

23 *Clerici ſunt de ſorte Domini.*

24 *A clerico ſoluto impuberi non eſt exigendum uotum caſtitatis, ſecus à puberi,& quare.& n.40.*

25 *A clericis coniugatis an ſit exigendum uotum,tres ſunt opiniones.*

25 *Coniugati non ſunt promouendi ad minores ordines,ſecundum aliquos: & quare.*

26 *Bigamus ex diſpenſatione Epiſcopi poteſt promoueri ad minores ordines.*

27 *Coniugatus poteſt promoueri ad minores ordines ex cauſſa,& ex neceſſitate,& ex diſpenſatione Epiſcopi,non tamẽ ab eo debet exigi uotum, & quare.*

28 *Coniugatus ignorãte,uel ſciente, & contradicente uxore,non adulteratu,non poteſt ad maiores ordines promoueri,& quare.& n.30.*

29 *Coniugatus ad maiores promotus,ignorante uxore, non, poteſt petere debitum ab ipſa, licet teneatur redere,cum uxor petierit.*

31 *Coniugatus uxore conſentiente ſua ordinationi,& uoto poteſt promoueri,& uotum emittere,& obſeruare,ex cõmuni, ſecus ſi tantum ordinationi*

Digitized by Google

tioni conſenſerit,& uoto contradixerit.n.32.
33 *In ordinatione communiter exigendum eſt uotum.*
34 *Nuptiæ in Eccleſia orientali,quare fuerint permiſſæ.*
36 *Sacramentum ordinis,& matrimonij dupliciter conſideratur,& in quo differant,& conueniant.*
37 *Votum exigere non eſt legem imponere,ſed explorare uoluntatem.*
37 *Legis impoſitio procedit à uoluntate uouentis, & promittentis.*
38 *Quid,dicitur alteri annexum dupliciter.*
42 *Coniunctio Chriſti cum Eccleſia actu nobiliori repræſentatur ab ordinatis,quam à coniugibus,& quare.*
43 *Copula carnalis non eſt de ſubſtantia matrimonij.*

Quod Prælatus,nec uotum exigere,neq; ordinandus continentiam ſpondere teneatur,his probatur rationibus.

PRimo,Vel hæc exactio uoti ſit de neceſſitate ſacramenti,uel de neceſſitate præcepti,uel de honeſtate; non de honeſtate iuxta
1 illud S.Pauli.1.ad Cor. 7. Melius eſt nubere,quã uri:nõ de neceſſitate præcepti,quia permittitur Græcis,& nulla eſt ratio ,cur Græcorum,& non Latinorum Eccleſiæ permittatur;eadem de cauſſa, qua permittitur uni,alteri uidetur permittendum;& eodem iure , quo denegatur uni,alteri denegandum,cum utraque ſit ab unitate uniuerſalis Eccleſiæ,cuius Chriſtus Dominus eſt caput;non de neceſſitate ſacramenti,quia ſi coniugati ordinantur recipiunt characterem, adnot.per Io. Andr. in c.placet de conuerſ. cleric. refert Stephan. de Gaet. in d. c.ad lim. §.3. n. 92. igitur ſuperflua uidetur exactio.

Secundo,Aut requiſitio uoti ſit ne quis ordinatus contrahat matrimonium,aut ne in peccatum carnis prolabatur ;ſi ad euitãdum peccatum,uidetur præſtare cauſſam grauius peccandi, cum grauius ſit peccatum poſt emiſſionem,quam ſine uoto,ſi ad impediendum matrimonium,ergo unum ſacramentum alteri uidetur eſſe impedimẽ
3 to,quod eſt abſurdum dicere,cum bonum aliud bonum augere, & non impedire ſoleat.

Tertiò,Exigere uotum eſt imponere legem,quæ habet perpetuũ
4 uinculum neceſſitatis,ſed uotum eſt uoluntatis non neceſſitatis. c. ante triennium diſt.31.ergo ordinator non deberet exigere ,ſed relinquere libero arbitrio ordinandorum .

5 Quarto,Votum caſtitatis dicitur ordini annexum.c.Diaconi.diſt. 28.c.in præterito diſt.83.qui enim ſacrum ordinem recipit, tacite promittit continentiam c.in ſummam 27.q. 1. adnot. in c. cum olim.

lim. de cleric. coniug. ergo ſuperflua exactio, cum ſit eiuſdem uirtutis tacitum, cuius expreſſum l. de quibus ff. de leg. l. cum quid. ff. ſi cert. pet.

6 Quinto, In minoribus non requiritur promiſſio uoti, nec tacite, neque expreſſe, adnot. in c. 1. de cler. coniug. ſed omnes uel illi ſint maiores, uel minores ſunt ſub unitate ſacramenti ordinis poteſtatiue, ut in ſuperius in ſecunda q. art. 15. deciſum eſt, ergo eadem ratione debet terminari uotum in uno, quam in altero, & ſicut in minoribus, ita in maioribus uidetur ſuperuacanea exactio.

7 Sexto, ſacerdotibus ueteris teſtamenti permittebatur uſus uxorum, nec requirebatur continentia. ergo & ſacerdotibus nouæ legis cum illud noſtrum ſignificaret.

8 Septimo, Matrimonium ſignificabat coniunctionem Chriſti cũ Eccleſia, ſed hoc conuenit ordinatis. ergo non uidetur exigendum uotum continentiæ.

9 Octauo, Si uotum continentiæ exigitur, procedit ratione ſpiritus, ſed omnes ordines inſtituuntur ad ſpiritualia, ergo in omnibus requiritur uotum continentiæ, ſed hoc eſt falſum, quia in minoribus non requiritur, ergo neq; in alijs.

10 Nono, Patet in tit. de cler. coniug. quod clerici coniugati promouentur iuxta canonicas ſanctiones in d. tit. collectas; modo ſic; aut coniugatis clericis permittitur uſus uxorum, & ſic habetur intentio, aut denegatur; & tunc aut hæc prohibitio ſit, ut dimittantur uxores, & ſic eſt cõtra præceptũ Domini, ut nõ liceat dimittere uxorem; aut ut ſeparentur, neque hoc licet cum quos Deus coniunxit, homo non ſeparet; aut hæc ordinatio ſit de conſenſu uxoris, & tunc duo ſequerentur inconuenientia; alterum, quod coniuges poſſent ad libitum ſeparari; alterum quod daretur maxima occaſio fornicationi; aut cogenda, ut ingrediatur monaſterium, & hæc coactio eſt prohibita per text. in c. per triennium diſt 31. aut de uoluntate, & tunc non poſſumus euitare præceptum Domini prohibens, ne ſeparentur illi, quos Deus coniunxit ergo coniugati non debent promoueri, aut nullo modo eſt exigendum uotum.

11 Decimo, Facit illud S. Pauli. 1. ad Corinth. 7. ubi dicitur, Coniugatis uacandum eſſe ad tempus, & de conſenſu, & non inuito, quando orandum erat, ergo non exigitur uotum perpetuæ caſtitatis.

12 Vndecimo, Eſt text. in c. ſiquis. & ſeqq. ubi anathematizatur, qui nuptijs interdicit, damnando hæreſim Manichæorum.

13 Duo·

13 Duodecimo, Ideo continentia ſemper eſt obſeruanda ab ordinatis, quia ſemper illi debent orare, text. eſt in c. ſacerdotibus diſt. 31. & c. fin. diſt. 36. ſed uidetur impoſsibile, ut quis continuo perſeueret in oratione. ergo ſi datur tempus, quo non fit oratio, datur tempus, quo quis non tenetur continere, & ſicut oratio non eſt perpetua, ſic minus eſt perpetua continentia, & ſic non exigitur uotum perpetuæ caſtitatis,

14 Decimo tertio, Eſt text. in c. quoniam. diſt. 31. ubi in tempore oblationis prohibetur uſus carnalis, ergo non ſemper, ergo non exigendum uotum.

Quod uero votum requiratur, & ordinandus ſpondere teneatur, ſic poteſt probari.

15 Primo, Eſt text. in c. ante triennium diſt. 31. ubi expreſſe omnibus Epiſcopis prohibetur, ut nullum Subdiaconum ordinare præſumāt, niſi continentiam promiſerit.

16 Secundo, Clericis ſemper altari eſt aſſiſtendum, ergo à carnalibus ſemper abſtinendum c. ſacerdotibus diſt. 31. ergo exigendum uotum,

Tertio, Sacramentis diuinis inſeruiunt, ergo continentes. c. Epiſc. ead. diſt.

Quarto, Scriptum eſt: Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum; nec præterit dies, qua uel à ſacrificijs diuinis, uel ab adminiſtratione ſacramentorum uacent. c. tenore ead. diſt. ergo eſt exigenda hæc ſanctitas, & ſi noluerit, non eſt ordinandus.

17 Quinto, Eſt text. in c. lectores. diſt. 32. ubi dicitur, quod in minoribus conſtituti, cum ad annos pubertatis peruenerint, debent cogi, uel uxorem ducere, uel caſtitatem profiteri, ergo exigendum uotum.

18 Sexto, Non poteſt quis toto corde cum Deo ambulare, ſi feminarum acceſsibus copulatur, c. hoſpitiolum diſtinct. 32. ſed ordinandus toto corde cum Deo ambulare debet, ergo exigendum uotum.

19 Septimo, Eſt text. in c. ſane de cler. coniug. ubi non eſt promouendus clericus, niſi expreſſe uouerit caſtitatem.

Octauo, Eſt text. in c. diuerſis fallaciis eod. ubi dicitur citharam cum pſalterio non concordare, nemo enim, & Deo, & mulieri placere poteſt. ergo exigendum uotum.

Nono, Deus ſpiritus eſt, ergo clerici ſeruientes Deo, ſpiritui, & non carni uiuere debent, ergo exigendum.

20 Deci-

20 Decimo, Clerici ſunt ſodales Angelorum, ſicuti enim Angeli, ſic & clerici Deo inſeruiunt, ſed Angeli ſunt omnimodo ſpirituales, ergo clerici illos, quoad fieri poteſt, imitari debent, & ſic exigendū uotum.

21 Vndecimo, Sacerdotes mundare alios debent, ergo mundi eſſe debent, ergo uotum exigendum.

22 Duodecimo, Sacerdotum, & clericorum ſponſa, eſt Eccleſia, cui inſeruiunt adminiſtrando, ergo abſtinere debent ab actu carnali, ne adulteretur, ergo uotum exigendum.

23 Decimotertio, Cum clerici ſint de ſorte Domini, debent eſſe ex toto corde ipſius Dei, & non diuiſi, ſed ſi coniungerentur cum aliis copula carnali, diuiderentur, ergo exigendum eſt uotum caſtitatis.

SOLVTIO.

TAnta eſt uarietas caſuum, qui accidere poſſunt circa huiuſmodi negotium, tantaque eſt opinionis diuerſitas inter ſcribentes, ut uix ueritas compræhendi poſſit; unde ſic diſtinguendum putarem. Aut ordinandus eſt in minoribus, aut in ſacris, & maioribus; ſi in minoribus, aut eſt coniugatus, aut ſolutus, ſi ſolutus,

24 aut eſt pubes, aut non; ſi impubes, tunc abeo non eſt exigendum uotum, tum quia non eſt capax rationis, ut uouere poſsit, tum quia poteſt redire ad ſæculum, & contrahere matrimonium, c. quia diſt. 28. Si pubes eſt crederem exigendum eſſe uotum, per text. in c. lectores. diſt. 31. & licet text. loquatur de ordinato in minoribus, tamen argumentum magis procedit in ordinando, licet Doctores magis cōmuniter, & indiſtincte ſequantur Gloſſ. in c. Epiſcop. diſt. 77. quam ſequitur Abb. in c. coniugatus. de conuerſ. coniugator. & licet diſpoſitio d. c. lectores. non obſeruetur, tamen male faciunt Prælati iudicio meo, qui ordinant, & ordinatos in clericatu patiuntur abſque eo quod profiteantur caſtitatem: laudabilem; conſtitutionem d. c. lectoris exequendam eſſe monerem.

25 Si uero eſt cōiugatus, tūc tres ſunt opiniones; prima, quod cōiugati non ſunt promouendi ad minores; & ſic nullnm exigēdum uotum, niſi in caſibus, in quibus promoueri debet ad ſacros; & hanc opinionem ſequuntur Io. Bernard. Inn. in c. nullos. de temp. ord. per illum text. Ant. Gab. de matr. n. 121. & eſt ratio, quia coniugati non habēt benefi-

beneficium,et ſic non poſſunt habere titulum, & per ordinationem non dirimitur matrimonium, etiam ſi non ſit conſummatum; Inn. Io. Dom. & alij in c.unic.de uot.& uot.redēpt.& tanquā cōmunem ſequitur Tholoſ.deciſ.361.ſecus per ingreſſum religionis,& ſolemnem profeſsionem.c.ex publico.de conuerſ. coniug. & eſt de fide, ut habetur in Conc.Trid.ſeſſ.24.can 6.

Altera opinio eſt illorum,qui indiſtincte tenēt coniugatos ad minores poſſe ordinari,& licet non habeant beneficia,tamen ex diſpēſatione poſſunt obtinere ſimplex beneficium,adnot.in c. diuerſis fal
26 laciis.de cler.coniug.& Bigamus ex diſpenſatione Epiſcopi poteſt promoueri ad minores.c.2.de bigam.ſed quidquid, ſit poſſent ordinari ad titulum ſui patrimonii.c.tuis de præb.ſed hæc opinio ita in diſtincte non placet.

27 Tertio opinio eſt Oſt.& Guilielm. quod ex cauſſa, & neceſsitate,& ex diſpenſatione poteſt coniugatus promoueri ad minores huic opinioni aſtipulatur Henric.Boich.in c.coniugatis.n. 6.de conuerſ.coniug.ſed an ſit exigendum uotum dubitatur, propter præiudicium uxoris; unde in coniugato,etiam quoad minores non debet exigi uotum,niſi in caſu,in quo exigitur ab ordinandis in ſacris propter præiudicium,ut inferius dicitur.& opinio Gloſſ. & Abb. quod ex coniugato debet exigi uotum, eſt intelligenda ſecundum diſtinctionem inferius faciendam. Aut coniugatus eſt ordinandus in ſa-
28 cris,& in maioribus.& tunc aut ignorante uxore,aut ipſa ſciente; ſi ignorante, tunc non debet promoueri,& per conſequens neq; exigi uotum,quia non debet fieri præiudicium mulieri.Doct.in c.1,& 2.de conuerſ,coniug.Io.& Archid.in c.quia ſunt culpæ. diſt. 27. & ibi Gloſs.refert Henric.Boich.in c.couiugatis de conuerſ. coniugator.n.3.Quæ opinio procedit etiam,quando de facto ordinetur, &
29 exigitur uotum,quia reſtituitur uxori,eique tenetur reddere debitum,licet ipſe ſic ordinatus non poſsit ab uxore illud petere,eſt text. in c,quidam.de conuerſ.coniug.& ibi Inn.& Abb. in c. præterea eod. multa congerit Henric.Boich.in d.c.coniugatis n.3. Aut ordinatur uxore ſciente,& tunc,aut ipſa contradicit,aut non; ſi contradicit,aut hæc mulier ſeruauit fidem matrimonij,aut adulterata fuit;ſi adulterata,tunc duæ ſunt opiniones;altera illorum, qui dicunt mulierem propter adulterium amittere ius reclamandi, & maritum repetendi,adnot.in c.ſignificaſti de diuort. hanc opinionem uidetur ſequi Bern.& Gloſſ.in c.conſtitutum de conuerſ.coniug. ſed hæc opinio non habet locum in ordinando,ſed in uolente ingredi monaſterium

ſterium. ſic declarat Henric. Boich in d.c.coniugatis. Altera eſt illorũ, qui dicunt nullũ fieri præiudicium, & quod hic non poteſt ordinari inuita vxore, etiam adulterata, adnot. per Io. Inn. Oſt. in c. ueniens. de conuerſ. coniugator. refert Henr. Boich in d.c.con-
30 iugatis n.3. Aut non eſt adulterata, & tunc eſt communis opinio, ut non poſſit promoueri, ut de communi teſtatur Abb. in c. præterea. n. 5. de conuerſ. coniug. quæ opinio ampliatur, ut etiam locum habeat, ſi ab initio contradixerit, & poſtea ratificauerit, quia præſumitur metus cauſſa facere c. 1. quod met. cauſſ. & c. is qui de
31 reg. Henr. Boich in d.c. coniug. n. 4. Aut mulier ſcit, ſed non contradicit, aut conſentit; ſi conſentit, aut conſentit ordinationi tãtum, & non voto, aut vtriq; ſi utriq; tunc non eſt dubitãdum, quin promoueri poſſit, & ſic votum exigendum. adnot. per Doct. communiter in d.c. coniugatis. & Henric. Boich in c. uxoratus. n. 12. Abb. in d.c. præterea. Aut conſentit ordinationi, & non voto, & tũc ſunt plures opiniones. Alij enim opinati ſunt indiſtinctè, ut ſi ſciuerit, & non contradixerit, ut hoc modo tacitus dicatur præſtitus conſẽſus, & mulier non poſſit amplius reclamare; & quod intelligitur uoniſſe. Hanc opinionem ſequuntur Io. Laur. Goffr. Inn. Archid. & alij, quos refert Henric. Boich in d.c. coniugat. n. 4. Alij uero ſic diſtingunt; Aut mulier ignorauit effectum iuris, aut fuit certior effe-
32 cta; Si certior effecta, & contradixit uoto, licet conſenſerit ordinationi, non debet ordinari, nec exigendum uotum. Hanc opinionem ſequitur Henr. Boich in d.c. uxoratus. n 12. ſed hæc opinio uidetur nimis contraria ſuperiori, qua concluſum eſt indiſtinctè, quod ſi tacite conſenſit ordinationi, tenetur mulier, ſed inter illã, & hãc, medium quis tenere poteſt, ut ſi certificata fuerit, quod ſibi præiudicet, ſit præſtitus conſenſus; ſi uero ignorauerit, tunc placet opinio contraria, ut non auferatur mulieri ius reclamandi, & ſic maritus non eſt ordinandus, adnot. in c. ſignificauit de cõuerſ. coniug. & in c. placuit diſt. 2. ex Io. & Archid. in c. Agathoſa diſt. 31. refert & alias congerit Henr. Boich in d.c. uxoratus. n. 12.

33 Eſt igitur concluſio, quod in ordinatione exigatur uotum, quod probatur ex his, quæ adducta ſunt pro parte affirmatiua; quare reſpondendum eſt ijs, quæ pro parte negatiua allata fuerunt, ex quibus reſponſionibus limitationes dictæ concluſionis colliguntur.

34 Ad Primum, Sanctiſsima eſt Pauli ſententia: *Melius eſt nubere, quam uri*; ex quo datur intelligi, melius eſſe non ordinari; quam

uri. Vnuſquiſq; enim probet ſemetipſum ante ordinationem, ſi cõtinere poſsit, nec ne; Eccleſiæ orientali permiſſum eſt, quia noluit recipere ordinem continentiæ, & ne ſchiſma ſuccederet, permiſit ſedes Apoſtolica, ut poſsit ordinatus vxorem retinere, ut legitur in c. quoniam. & in c. aliter diſt. 31. ſed in Eccleſia occidentali fuit recepta ordinatio continentiæ, hinc eſt quod non permittitur. clariſsimum eſt, & pro comperto omnes habent, quod tempore Apoſtolorum nullus coniugatus promouebatur, ut Doctores in c. Ni-
35 cæno diſt. 31. ſi de facto tamen contingat aliquem coniugatum ordinari, nulli eſſe dubium, illum ſic ordinatum, characterem ſuſciperе, non autem executionem; quandoquidem continentia non eſt de neceſſitate ſacramenti, ſed de honeſtate, & de præcepto Eccleſiæ.

Ad Secundum, Ab illo, qui ex uoto diuinæ uoluntati mancipatur, &c. licet contrauentione duplicetur peccatum, obſeruantia
36 augetur præmium, & gratia, & ſic ceſſat argumentum. ſecundo dupliciter ſacramentum ordinis, & matrimonij poteſt conſiderari. Primo, uti ſacramenta, & tunc unum non eſt alteri contrarium, nec impedimento. Secundo reſpectu actus utriuſque ſacramenti, & tunc negari non poteſt, quin aliqua ſit repugnantia, non in ſacramentis, ſed in actibus, quia actus matrimonij eſt copula carnalis, ordinis uero eſt copula ſpiritualis, quæ impeditur à carnali; & hinc eſt, quod exigitur uotum, ne actus unionis cum Deo impediatur per carnalem uſum.

37 Ad Tertium, Exigere uotum non eſt imponere legem, ſed explorare uoluntaté, impoſitio legis procedit à uoluntate uouentis, & promittentis, & ſic exigere cum præcedat promiſſionem, reſpicit uoluntaté, & nullam inducit neceſsitatem, ſed ſubſecuta promiſſio bene habet uinculum neceſſitatis l. quod ſemel ff. de reg. iur.

